UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117921

urn:nbn:de:hbz:466:1-66313

Visual Library

Nr. 5176.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
LATINE REDDITA
ET NOTIS ILLUSTRATA
A
R. P. BRUNONE PARODE
ORD. S. BEN. IN MONASTERIO ETTALENSI
PROFESSO p. t. SUBPRIORE & BIBLIOTHECARIO.

TOMUS XIII.
AB ANNO CHRISTI 888. USQUE AD ANNUM 1000.

Collegii Societ. Jesu Paderani. 1762.


Ardet amans Spe nixa Fides.



Cum Approbatione & Consensu Superiorum.

AUGUST. VIND. & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



PRÆFATIO.

Ad illam pervenimus, Amice Lector, Historiæ Ecclesiasticæ partem, ad illa Ecclesiæ tempora, quorum lugubrem statum Scriptores omnes, qui res gestas hujus Sæculi literis mandarunt, amare deflent. Audiamus Eminentissimum Cardinalem Baronium ad annum Christi 900.

En incipit annus Redemptoris nongentesimus.... quo & novum inchoatur Sæculum, quod sui asperitate ac boni sterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum, atque inopia Scriptorum appellari consuevit obscurum. In cujus limine constituti.... antequam progrediamur ulterius, hic Lectorem monendo, præfari aliquid necessarium duximus, ne quid scandali pusillus animo patiatur, si quando vi-

* Dan. 9. *dere contigerit abominationem* desolationis in Templo, sed magis miretur, & cognoscat in ejus custodia Divinam*

† Matth. 16. *invigilare potentiam.... & † portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et paulo infra: *Certe quidem, Ecclesia in nullo unquam graviori visa est versari discrimine, nec manifestiori pereundi penitus constituta periculo, quam cum ingruentibus Sæculo isto est jactata procellis.... At quænam mala ista, dices, & unde tanta omnium acerbissima tempestas exorta?*

Est

Est plane, ut vix aliquis credat, immo nec vix quidem sit crediturus, nisi suis inspiciat ipse oculis, manibusque contrectet, quam indigna, quamque turpia atque deformia, execranda insuper & abominanda sit coacta pati Sacrosancta Sedes Apostolica, in cujus cardine universa Ecclesia Catholica vertitur, cum Principes Sæculi hujus quantumlibet Christiani, hac tamen ex parte dicendi Tyranni sævissimi, arrogaverunt sibi tyrannice electionem Romanorum Pontificum. Quot tunc ab eis, proh pudor! proh dolor! in eandem Sedem, Angelis reverendam, visu horrenda intrusa sunt monstra? quot ex eis oborta sunt mala, consummatæ tragœdiæ? quibus tunc ipsam sine macula & sine ruga contigit aspergi sordibus, putoribus infici, inquinari spurcitiis, ex hisque perpetua infamia denigrari? Quæ cuncta considerans quisquis sapiens plane horrescens in hanc prorsus sententiam mecum ibit: nihil

penitus Ecclesiæ Romanæ contingere posse funestius, tetrius nihil atque lugubrius, quam si Principes Sæculares in Romanorum Pontificum electionem manus immittant.

Consentit de omnibus adjunctis Caveus *in Consp. ad Sæc. obscurum, seu X.* at non cum Baronio, Catholicisque omnibus, scutum Fidei arripit, nec verbis JEsu Christi: *Et portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.* Matth. XVI. innititur, sed cum Calvino aliisque Communionis Romanæ desertoribus in tentatione recedit, turpis transfuga. Quippe dicit, homo in falsis præjudiciis enutritus, *Nihilominus non penitus deerant hac ipsa ætate, etiam in medio Papatu, qui Tyrannidi Pontificiæ, Cælibatus Clericalis jugo, Doctrinæ de Scriptura Sacrisque lingua vulgari non habendis, de purgatorio, cultu imaginum, corporali in Eucharistia præsentia &c. viriliter restiterunt. De quibus Catalogus testium veritatis,*

Mor-

Mornæus & Heideggerus in Hiſtoria Papatus, & quicunque ex reformatis hiſtoriam Eccleſiaſticam condiderunt.

Vulgaris in ore Adverſariorum noſtrorum calumnia eſt, Tyrannidem SS. Pontificum plenis buccis crepare. Sed præterquam quod pauci, etiam Sæculo X., Pontifices malis moribus vixiſſe demonſtrentur, Tyranni neutiquam dici poſſunt, quibus utpote Succeſſoribus Summi in Eccleſia Vicarii, ad quem Chriſtus dixit: *Paſce oves meas.* Joan. XXI. Reges & Principes, Patriarchæ & Epiſcopi cum toto Chriſtianorum grege ſe ſponte etiam ſubjecerunt. Cælibatus Clericalis in Sæc. X. non erat novum jugum, ſed jam tempore Concilii Niceni antiqua Eccleſiæ traditio, ut illi, qui Clericus ordinatus eſſet, impoſterum nubendi libertas adimeretur, Teſte S. Paphnutio in Conc. Nic. Fleur. Tom. III. pag. 186. Quod Catholicis non liceat S. Scripturam lingua vulgari habere falſum eſt. Ut vero etiam Sacra lingua

vulgari celebrentur, non expedit morem perpetuum Ecclesiæ Occidentalis mutare. Nec Doctrina de Purgatorio nova erat. Cum enim exploratum sit, Fideles in veteri & novo Testamento pro defunctis orasse, eos utique precibus viventium adjuvari credebant. Si Caveo, de Cultu Imaginum mentionem facienti, sermo est de aliquo Cultu hominibus congruo, is semper in vera Ecclesia viguit, ut Historia docet, si de cultu *Latriæ*, insontes Catholicos calumniatur. Tandem corporalis Christi præsentia in S. Evchariſtia non in hoc demum Sæculo ab aliquibus affirmabatur, sed ex S. Scriptura, Auctoritate Ecclesiæ, & Christianorum in omnibus Sæculis fide demonstrabatur.

Quinam vero illi, qui SS. Pontificibus restitisse dicuntur, nisi pauciſſimi homines, suo Sæculo obscuriores, & manifesti Hæretici a tota Fidelium frequentia crediti?

De hoc Sæculo differens Joannes Mabillonius *in Præf. ad Sæc. V. Ben.* ait: *Nec tamen inter illas funestas tem-*

tempeſtates ita Eccleſiam ſuam deſeruit miſericors Deus, ut Boni aliqui malis permiſti non fuerint, quales Stephanus VIII. Papa. Leo VII. Agapitus II. miræ Sanctitatis, ac Sanctæ memoriæ Pontifex appellatus & ante eum Marinus &c. Quin & hoc ævo per converſionem barbararum Nationum Eccleſia Chriſti maxima accepit incrementa, cum Normanni, Rollone Duce, circa annum 912. Ruſſi circa annum 969. mox etiam Poloni, Dani, Hungari, prædicantibus potiſſimum Ordinis S. P. Benedicti Alumnis, Fidem Chriſti ſuſceperunt. Præterea in mediis hujus Sæculi tenebris eximia Ordinis Benedictini lumina S. Majolus, S. Udalricus, S. Wolfgangus, S. Romualdus emicuerunt.

Lege & vale.

CONSPECTUS
TOMI XIII.
LIBER LIV.

§. 1. *Caroli Craſſi obitus. Plures Reges.* Pag. 1.
§. 2. *Concilium Moguntinum.* 4
§. 3. *Concilium Metenſe.* 7
§. 4. *Statuta Riculfi Sueſſionenſis.* 8
§. 5. *Ludovicus Rex Provinciæ.* 11
§. 6. *Mandata Pontificis ad Archiepiſcopum Remenſem directa.* 12
§. 7. *Stephani Papæ obitus.* 17
§. 8. *Viri eruditi in Anglia.* 18
§. 9. *Alfredi Regis Scripta.* 24
§. 10. *Regis Alfredi Pietas.* 27
§. 11. *Literæ Fulconis in Angliam miſſæ.* 29
§. 12. *Formoſus Papa.* 30
§. 13. *Reſponſum Pontificis ad Stylianum.* 31
§. 14. *Photii exitus. Ejus Bibliotheca.* 34
§. 15. *Photii* Nomocanon. 38
§. 16. *Eccleſia Conſtantinopolitana.* 40
§. 17. *Res Franciæ.* 42
§. 18. *Guido & Lambertus Imperatores. Carolus Simplex Rex.* 44
§. 19. *Balduinus Comes Flandriæ excommunicatur.* 46
§. 20. *Formoſi literæ in Franciam datæ.* 47
§. 21. *Regula Monachorum recluſorum.* 53
§. 22. *S. Geraldus Auriliacenſis.* 56
§. 23. *Concilium Cabilonenſe.* 61
§. 24. *Concilium Triburienſe.* 63
§. 25. *Arnulphus Imperator. Formoſi obitus. Stephanus Papa.* 71

§. 26.

§. 26. *Fulconis Epistolæ ad Papam & Regem.* 73
§. 27. *Stephani VII. exitus. Romanus. Theodorus II. Joannes IX. Pontifices.* 76
§. 28. *Concilium Romanum.* 79
§. 29. *Concilium Ravennatense.* 87
§. 30. *Argrimus restituitur.* 90
§. 31. *Arnulphi obitus. Ludovicus Rex Germaniæ.* 91
§. 32. *Epistola Episcoporum Bavariæ ad Pontificem.* 93
§. 33. *Hungari in Italia.* 99
§. 34. *Ecclesia Constantinopolitana.* 100
§. 35. *Fulconis obitus. Herveus Archiepiscopus Remensis.* 102
§. 36. *Ovetum Metropolis.* 105
§. 37. *Joannis IX. obitus. Benedict. IV. Papa.* 108
§. 38. *Regis Alfredi obitus.* 110
§. 39. *Benedicti IV. obitus. Leo V. Christophorus, Papæ.* 113
§. 40. *Leonis Imperatoris Nuptiæ quartæ.* 114
§. 41. *Res Orientis.* 120
§. 42. *Sergius III. Papa.* 122
§. 43. *Formosus ab Auxilio defensus.* 125
§. 44. *Concilium Troslejanum.* 133
§. 45. *Monasterium Cluniacense fundatur.* 140
§. 46. *Res Ecclesiæ in Germania.* 145
§. 47. *Leonis obitus. Alexander & Constantinus Imperatores.* 149
§. 48. *Epistola Nicolai Mystici.* 152
§. 49. *Summi Pontifices.* 155
§. 50. *Joannes Abbas Cassinensis.* 157
§. 51. *Normanni convertuntur.* 159
§. 52. *Quæstio de Hungaris.* 165
§. 53. *Ecclesia Germaniæ.* 168
§. 54. *Ecclesia Hispaniæ.* 174
§. 55. *Constantinopolitani reconciliantur.* 178
§. 56. *Richarius Episcopus Tungrensis.* 182
§. 57. *Concilia Confluentinum & Remense.* 186
§. 58. *Hungari grassantur.* 190
§. 59. *S. Wiborada.* 193

LIBER

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LIBER LV.

§. 1. *Hugo infans, Archiepiscopus Remensis.* 197
§. 2. *Joannis X. mors. Leo VI. & Stephanus VIII.* 199
§. 3. *Benno Episcopus Metensis.* 203
§. 4. *S. Odo Abbas Cluniacensis.* 205
§. 5. *Stephani VIII. obitus. Joannes XI. Papa.* 214
§. 6. *Ratherius Episcopus Veronensis.* 216
§. 7. *Artaldus Archiepiscopus Remensis.* 217
§. 8. *Concilium Erfordiense.* 219
§. 9. *S. Udalricus Episcopus Augustanus.* 221
§. 10. *Ecclesia Hispaniæ.* 223
§. 11. *Albericus Romæ Dominus.* 224
§. 12. *Theophylactus Patriarcha Constantinopolitanus.* 225
§. 13. *Res Ecclesiæ Orientalis.* 227
§. 14. *Joannis XI. exitus. Leo VII. Papa.* 233
§. 15. *S. Odo Romæ.* 234
§. 16. *Saraceni in Italia.* 236
§. 17. *Epistola Papæ in Bavariam missa.* 238
§. 18. *Henrici Aucupis obitus.* 244
§. 19. *Ecclesiæ Septentrionis.* 245
§. 20. *Otto Rex Germaniæ.* 249
§. 21. *S. Wenceslaus.* 253
§. 22. *Hungari in Francia &c.* 254
§. 23. *Artaldus Remis pulsus.* 255
§. 24. *S. Odonis obitus.* 260
§. 25. *S. Gerardus Bronienſis.* 264
§. 26. *Joannes Gorzienſis.* 268
§. 27. *Ecclesia Normanniæ.* 273
§. 28. *S. Odo Cantuarienſis.* 275
§. 29. *S. Dunstani initia.* 279
§. 30. *Imago prodigiosa Edessena.* 282
§. 31. *Simeon Metaphrastes.* 289
§. 32. *Romani Lecapeni exitus.* 292
§. 33. *Turcæ conversi.* 295
§. 34. *S. Lucas junior.* 297
§. 35. *Artaldus Remis restituitur.* 302
§. 36. *Concilium Ingelheimense.* 308

§. 37.

§. 37. *Concilium Trevirense.* 314
§. 38. *S. Majolus Abbas Cluniacensis.* 317
§. 39. *Turquetulus Abbas Crulandensis.* 321
§. 40. *S. Adaldagus, Archiepiscopus Bremensis.* 326
§. 41. *Sclavi convertuntur.* 329
§. 42. *Concilium Augustanum.* 331
§. 43. *S. Bruno Archiepiscopus Colonienſis.* 334
§. 44. *Ratherius Episcopus Leodienſis.* 338
§. 45. *S. Udalricus Augustæ præsidium.* 342
§. 46. *S. Udalrici vitæ ratio.* 344
§. 47. *Ecclesia Hispaniæ.* 349
§. 48. *Joannis Gorzienſis Legatio.* 351
§. 49. *Quæ in ea Legatione secuta sint.* 357
§. 50. *Agapiti II. obitus. Joannes XII. Papa.* 362
§. 51. *Theophylacti obitus. Polyeuctus Patriarcha Constantinopolitanus.* 363
§. 52. *S. Paulus Latrenſis.* 367
§. 53. *Constantini Porphyrogeniti exitus.* 379
§. 54. *Attonis Vercellenſis Epistolæ.* 381
§. 55. *Epistolæ ad Disciplinam pertinentes.* 384
§. 56. *Alia Attonis Scripta.* 389

LIBER LVI.

§. 1. *Otto Imperator Occidentis.* 395
§. 2. *Magdeburgum Ecclesia Metropolitica.* 400
§. 3. *S. Dunstanus Archiepiscopus Cantuarienſis.* 401
§. 4. *Udalricus Archiepiscopus Remenſis.* 407
§. 5. *Joannes XII. contra Imperatorem seditionem movet.* 411
§. 6. *Concilium Romanum.* 415
§. 7. *Joannes deponitur. Leo VIII. Papa.* 420
§. 8. *Romani obitus. Nicepherus Phocas Imperator.* 422
§. 9. *Joannes XII. Leonem deponit.* 426
§. 10. *Joannis XII. mors. Benedictus V. Papa.* 431
§. 11. *Joannes XIII. Papa.* 436

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 12. *S. Brunonis Archiepiſcopi Colonienſis obitus.* 438
§. 13. *Poloni convertuntur.* 441
§. 14. *Frodoardus. Scripta.* 442
§. 15. *Joannes XIII. reſtitutus.* 444
§. 16. *Concilium Ravennatenſe.* 446
§. 17. *S. Adalbertus Archiepiſcopus Magdeb.* 448
§. 18. *Epiſcopatus Pragenſis.* 453
§. 19. *S. Mathildis Regina.* 456
§. 20. *Luitprandus Conſtantinopolim Legatus.* 461
§. 21. *Nuncii Pontificis Conſtantinopoli male habiti.* 469
§. 22. *Luitprandus in reditu.* 472
§. 23. *Nicephorus in Bello felix.* 473
§. 24. *Nicephorus interficitur. Joannes Zimiſces Imperator.* 476
§. 25. *S. Niconis Armeni initia.* 479
§. 26. *Novi Archiepiſcopatus in Italia.* 481
§. 27. *S. Dunſtani conſtantia.* 483
§. 28. *Regis Edgari Pœnitentia.* 487
§. 29. *Leges a Rege Edgaro editæ.* 489
§. 30. *Synodus in Anglia.* 491
§. 31. *S. Ethelwoldus Wintonienſis.* 493
§. 32. *S. Oſualdus Vigornienſis.* 496
§. 33. *S. Udalricus Regimine ſe abdicat.* 499
§. 34. *Ottonis I. obitus. Otto II. Imperator.* 503
§. 35. *S. Udalrici obitus.* 505
§. 36. *Joannis XIII. obitus. Benedictus VI. Benedictus VII.* 507
§. 37. *Aimardi Abbatis Cluniacenſis obitus.* 510
§. 38. *S. Majolus Abbas.* 511
§. 39. *S. Majolus a Saracenis captus.* 515
§. 40. *S. Majolus Dignitatem Papalem fugit.* 518
§. 41. *S. Adelheidis Imperatrix.* 520
§. 42. *S. Wolfgangus Epiſcopus Ratisbonenſis.* 522
§. 43. *Ratherius adverſus Clericos ſuos.* 527
§. 44. *Ratherii Synodus.* 533
§. 45. *Alia Ratherii Scripta.* 535
§. 46. *Ratherius ad extrema deductus.* 539

§. 47. *Ecclesia Hispaniæ.* 544
§. 48. *S. Rudesindus.* 545
§. 49. *Zimiscis exitus.* 549
§. 50. *Ecclesia Constantinopolitana.* 551
§. 51. *Ecclesia Anglicana.* 553
§. 52. *Turquetuli Abbatis pars vitæ extrema.* 554
§. 53. *S. Eduardus Martyr.* 558
§. 54. *S. Haroldus Martyr.* 561
§. 55. *S. Adalberti Archiepiscopi Magdeburgensis obitus.* 562
§. 56. *S. Adalbertus Episcopus Pragensis.* 564
§. 57. *Ottonis II. obitus. Otto III. Imper.* 566
§. 58. *Bernardus Ottonis III. Præceptor.* 568

LIBER LVII.

§. 1. *S. Romualdi initia.* 572
§. 2. *Petri Ursеoli conversio.* 574
§. 3. *S. Romualdus in Catalonia.* 575
§. 4. *Olibanus Comes convertitur.* 579
§. 5. *S. Nilus Calaber.* 580
§. 6. *S. Nilus in Eremo.* 584
§. 7. *Primi S. Nili Discipuli.* 589
§. 8. *Theophylactus & Leo S. Nilum invisunt.* 594
§. 9. *Eupraxius convertitur.* 597
§. 10. *Alia S. Nili facta.* 599
§. 11. *S. Nilus in Monasterio Cassinensi.* 602
§. 12. *Benedicti VII. obitus. Joannes XIV. Joannes XV. Papæ.* 606
§. 13. *S. Dunstani suprema.* 608
§. 14. *S. Adalbertus Praga discedit.* 612
§. 15. *S. Adalbertus Romæ.* 614
§. 16. *Libentius Archiepiscopus Bremensis.* 617
§. 17. *Russi convertuntur.* 621
§. 18. *Hugo Capetus Rex Franciæ.* 634
§. 19. *Arnulphus Archiepiscopus Remensis.* 627
§. 20. *Exordia Gerberti.* 630
§. 21. *Concilium Remense.* 635
§. 22. *Querelæ contra Arnulphum Archiepiscopum motæ.* 639

§. 23. *Argumenta adversus Arnulphum.* 641
§. 24. *Arnulphus defenditur.* 644
§. 25. *Arnulphi Aurelianensis Sermones.* 647
§. 26. *Reflexio in superiorem Sermonem.* 659
§. 27. *Arnulphus Remensis in Concilio.* 660
§. 28. *Confitetur Arnulphus & abdicat.* 663
§. 29. *Adalgerus deponitur.* 667
§. 30. *Gerbertus Archiepiscopus Remensis.* 668
§. 31. *Abbonis Floriacensis exordia.* 670
§. 32. *S. Udalricus Sanctis adscribitur.* 674
§. 33. *Literæ Gerberti adversus Arnulphum.* 675
§. 34. *S. Majoli Cluniacensis obitus.* 682
§. 35. *Monasteria a S. Majolo reformata.* 685
§. 36. *S. Wolfgangi Ratisbonensis extrema.* 689
§. 37. *Concilium Mosomense.* 693
§. 38. *Adalbero II. Episcopus Metensis.* 699
§. 39. *S. Bernardus Episcopus Hildesheim.* 701
§. 40. *S. Adalbertus in Bohemiam revocatur.* 704
§. 41. *Manso Abbas Cassinensis.* 707
§. 42. *Ecclesia Constantinopolitana.* 710
§. 43. *S. Niconis Armeni extrema.* 712
§. 44. *Apologia Abbonis.* 715
§. 45. *Canones ab Abbone collecti.* 720
§. 46. *Joannis XV. obitus. Gregor. V. Papa.* 722
§. 47. *S. Adalbertus in Bohemiam remissus.* 725
§. 48. *Martyrium S. Adalberti.* 729
§. 49. *Joannes XVI. Antipapa.* 732
§. 50. *S. Nilus Romæ.* 734
§. 51. *S. Nili Monasterium prope Cajetam.* 737
§. 52. *S. Romualdus apud Imperatorem.* 740
§. 53. *Imperator S. Nilum invisit.* 744
§. 54. *Franco & Buchardus Episcopi Wormatienses.* 746
§. 55. *Abbo Floriacensis Romæ.* 749
§. 56. *Gerbertus Archiepiscopus Ravennas.* 751
§. 57. *Concilium Romanum.* 754
§. 58. *Ecclesia Hispaniæ.* 757
§. 59. *Gregorii V. obitus. Silvester II. Papa.* 769
§. 60. *S. Adelheidis extrema.* 763
§. 61. *Archiepiscopus Gnesnensis.* 765

IOANNES X.



HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER LIV.

STEPHANUS VI. PAPA.
ARNULPHUS REX GERMANIÆ. LEO VI. IMPERATOR ORIENTIS.

§. I.

Caroli Crassi obitus. Plures Reges.

Cum Carolus Imperator in miſerandam animi, corporisque imbecillitatem incidiſſet, in Comitiis ab ipſo Tri- Sæculum IX. A. C. 888.

Sæculum IX. A. C. 888. Triburiæ circa Festum S. Martini hoc anno octingentesimo octogesimo septimo celebratis, eum omnes Germaniæ Proceres deserunt, & Arnulphum, Carlomanni filium, (*) Regem salutant. Tanta vero Caroli fuit calamitas, ut cibus tantum & potus ex Liutberti Archiepiscopi Moguntini sumptibus ei præberetur, & ad Arnulphum mittere cogeretur, qui vitæ præsentis subsidium pro se supplices exposcerent. Arnulphus commiseratione motus patruo fundos concessit in Allemannia, ubi e misera vita exiit duodecima Januarii anno octingentesimo octogesimo octavo, & in Monasterio Augiæ divitis sepultus est.

Regi-

(*) Arnulphus filius Carlomanni Regis Bojoariæ ex Littovvinda nobilissima in Carinthia amica genitus a Scriptoribus fertur; unde Genus Carolinum in Germania jam tunc defecisse dici potest. Ceterum post Caroli Crassi casum Francorum Imperium ita divisum est, ut exinde Francia Occidentalis seu hodierna Gallia, & Francia Orientalis seu Germania sub uno Principe nunquam amplius coaluerint. Franci in Germania lingua Teutonica utebantur, in Gallia, Latina corrupta, unde hodierna Gallica maximam partem ortum trahit, quamvis multa etiam a Teutonica, præsertim modum conjugandi cum verbis auxiliaribus, acceperit, & retinuerit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Regino Abbas Prumienſis, illius ætatis Scriptor, Caroli pietatem, aſſiduum orandi ſtudium, in diſtribuendis eleemoſynis liberalitatem, Legum Eccleſiaſticarum obſervantiam, & Dei Præcepta implendi ſolicitudinem laudat. At nihilominus idem Regino commemorat, quod Carolus Godefredum Ducem Friſiæ, qui ab ipſo defecerat, ſtructis clam inſidiis interfici juſſerit, & ſimili arte Hugonem Lotharii filium, illius ſeditionis Auctorem, a proditoribus captum & oculis privatum in Monaſterio S. Galli incluſerit. Hugo poſtea in Abbatiam Prumienſem commigravit, ubi poſt longum temporis ſpatium, accepta de manu Reginonis Tonſura monaſtica, elapſis exinde aliquot annis deceſſit.

Sæculum IX. A. C. 888.

Reg. an. 885.

Carolo Imperatore defuncto Regna, quæ ipſe poſſederat, in multos diviſa. Quædam pars Italiæ Berengarium filium Everhardi Ducis Forojulienſis Regem ſalutavit. Alia Guidonem Lamberti Ducis Spoletani filium, cui Pontifex maximus favebat, Regem ſibi ſubſtituit. Inde exitiale bellum ortum, quo tandem Guido vicit; Berengarius vero ad Arnulphum Regem Germaniæ ſe recepit. In Francia coactis hujus gentis Comitiis Rex creatur Odo Comes Pariſienſis & Aurelianenſis, filius Roberti fortis, viri ſtrenui, qui & ipſe Regnum contra incurſio-

Sæculum IX. A. C. 888.

cursiones Normannorum egregie propugnaverat. Odonem unxit Walterius Archiepiscopus Senonensis; habemusque juramenti a Rege tunc editi formulam. Ceterum hæc electio cum consensu Arnulphi celebrata; sed ipso invito Rudolphus † Conradi filius effecit, ut Rex Burgundiæ superioris, scilicet Regionis inter Alpes & Juram montem positæ renunciaretur. Is electus coronatusque est in Conventu Principum & Episcoporum, ad S. Mauritium in Valesia celebrato.

Tom. 2. Cap. p. 291.

† Raoul.

§. II.

Concilium Moguntinum.

tom. 9. Conc. p. 401.

Regino an. 889.

Eodem anno octingentesimo octogesimo octavo, Arnulphi Regis primo, ipso jubente, celebratum est Concilium Moguntiæ, cui tres Archiepiscopi Luitbertus Moguntinus, Guillebertus Colonienſis, & Ratbodus Trevirensis cum suis Suffraganeis interfuerunt.

Obiit Luitbertus anno sequente octingentesimo octogesimo nono, eique successit Sunzo seu Sunderoldus, Monachus Fuldensis, qui annis non plus duobus sedem tenuit. In Præfatione hujus Concilii Episcopi calamitatis publicæ causam peccata sua, & præsertim quod Concilia provincialia non convocarentur, esse confitentur. Tristem vero regionum

gionum faciem describunt in hunc modum: *Videte & considerate, quam præclara & nobilia Servorum Dei ædificia destructa, incensa, & ad nihilum redacta sint; Altaria eversa & conculcata, Ornamenta Ecclesiarum Dei pretiosissima direpta & igni exusta. Episcopi & Sacerdotes ceterique Ordinis Ecclesiastici viri gladio truncati, omnis ætas utriusque sexus, omnis conditionis Laici gladio, igne, diversoque mortis genere consumpti sunt. Incolæ Monasteriorum utriusque sexus metuentes, huc illucque vagantur incerti, sine Pastore, omni auxilio destituti, quid agendum aut quo confugiendum nescii, cum periculo vota & professionem suam violandi. Alia vero ex parte, innumera quippe sunt gentis nostræ mala! turba raptorum & schismaticorum sævit. Hi pauperes opprimunt, nec Deum verentes nec homines; ab ipsis namque, si deesset Paganorum sævitia, in solitudinem dilecta patria redigeretur. Rapinas & cædes parvipendunt, nec pœnitentiæ colla submittere volunt.* Sæculum IX. A. C. 888.

Post Præfationem occurrunt Canones viginti sex, maximam partem ex Conciliis superiorum temporum, præcipue ex illis, quæ Carolus Magnus anno Regni sui ultimo convocari jussit, excerpti. Primi continent Monita generalia *Sup. Lib. XLVI.* §. 2. 3. *&c.* c. 2. & 3.

Sæculum IX. A. C. 888.

de Officio Regis. Tum Arno Würzeburgensis † Episcopus ad aures Sanctæ Synodi defert, quod homines quidam scelesti venerabilem Presbyterum suum comprehendissent, nares abscidissent, capillos capitis rasissent, &, sævis verberibus cruciatum, semivivum reliquissent. Hos Synodus excommunicat, & pœnitentia homicidæ, qui Presbyterum interfecerit, statuitur in hunc modum:

† Herbipolensis.

c. 8.

c. 16. *Carnem non comedat, nec vinum bibere præsumat omnibus diebus vitæ suæ. Jejunet singulis diebus, usque ad vesperam, exceptis Festis & Dominicis. Armatus nunquam incedat, & nullo unquam vehiculo, sed propriis pedibus proficiscatur. Ecclesiam per quinquennium non ingrediatur, sed cum Missarum Solemnia celebrantur, ante fores Basilicæ perseveret orans ac deprecans Dominum. Post expletum quinquennii tempus, ingrediatur Ecclesiam, non tamen communicet. Dum autem duodecimi anni cursus fuerit finitus, reliqua pœnitentiæ opera tribus per hebdomadam diebus impleat.*

Ejusmodi illa adhucdum ætate erat pœnitentia, si qui crimina atrocia admisissent.

c. 10. Clericis interdicitur, mulieres quascunque demum in domo sua habere; nam quidam Sacerdotum cum propriis sororibus concumbentes filios ex eis generasse deprehensi fuerant.

§. III.

Sæculum IX.
A. C. 888.

§. III.
Concilium Metenſe.

Sub idem tempus celebratum Concilium Metenſe, in quo ſimiles ferme Canones conditi. Convocatum eſt in Eccleſia S. Arnulphi a Ratbodo Archiepiſcopo Trevirenſi, quocum erant Robertus Epiſcopus Metenſis, Dado Virdunenſis, & Arnoldus Tullenſis. Canones autem ſunt numero tredecim. Dominis Laicis interdicitur, aliquam partem Decimarum Eccleſiarum ſuarum accipere (puta illarum Eccleſiarum, in quibus Jure Patronatus gaudebant) Presbyter duas Eccleſias non poſſideat, quia humanæ vires ad unam regendam vix ſufficiunt, & curam animarum utilitatis ſuæ cauſa ſuſcipere non debet.

tom. 9. Conc. p 412.

c. 2.

c. 3.

c. 4.

Pro labore ſepulturæ nihil petatur. Presbyteri in Synodo libros ſuos & veſtes Sacerdotales Epiſcopo exhibeant. Iidem nec arma portent, nec more Laicorum veſtiti incedant.

Cum Gumbertus Primicerius Metenſis contra Judæos illius Civitatis querelas moviſſet, interdictum eſt Chriſtianis cum hominibus perfidæ gentis cibum ſumere.

c. 7.

Duæ Moniales, admiſſo crimine, e Monaſterio S. Petri ejectæ fuerant. De quibus ſtatuit Concilium; eis reddendum

c. 9.

Sæculum IX. A.C. 889.

dum esse velum monasticum, & in carcerem Monasterii esse mittendas, ubi arcto pane & aqua brevi contentæ esse juberentur, donec satisfeciſſent. Diacono, sacrilegii convicto, ministerium interdicatur, carceri includatur, & omnes pro ipso orent. Cum quidam Presbyter nobilem suæ parochiæ feminam, quæ a marito discesserat, & adulteræ fratrem, flagitii complicem, a scelere revocare conatus fuisset, probrose mutilatus fuerat. Igitur conscii ad judicium vocati, & contumaces excommunicati sunt. Præterea quidam alii aliorum criminum rei nominatim excommunicati. Veteres etiam Leges, ne quis cum excommunicatis communicet, renovantur; Servi tamen eorum, Liberti, & Vasalli excipiuntur.

c. 10.

c. 11.

c. 12.

§. IV.

Statuta Riculfi Sueſſionenſis.

tom. 9. Conc. p. 416.

Riculfus Episcopus Sueſſionensis Parochis suis anno octingentesimo octogesimo nono Constitutiones dedit superiorum Conciliorum Regulis admodum consentaneas. Continent vero etiam particularia notatu digna. *Magna cura & devotione*, inquit, *cantate Horas Canonicas, Primam, Tertiam, Sextam, Missam, quam quotidie celebrabitis, Nonam, Vesperas, Completorium & Officium*

n. 3.

cium Matutinum. Parochianos veſtros ſæpe invitate, ſaltem ad Miſſam. Diebus Dominicis & Feſtis a Veſperis, Matutinis, & Miſſa non abſint. Quilibet veſtrum Pſalmos, Symbolum QUICUNQUE, & Canonem Miſſæ, memoriter teneat. Quilibet habeat Miſſale, Lectionarium, Librum Evangeliorum, Martyrologium, Antiphonarium, Pſalterium, & quadraginta Homilias S. Gregorii. Omnia vero ad normam librorum Eccleſiæ noſtræ Cathedralis correcta ſint. Ceterum, ſi quis omnes Veteris Teſtamenti libros habere nequiverit, ſaltem Geneſim ſibi deſcribat. Nempe rari admodum erant illa ætate Libri.

Sæculum IX. A. C. 889.

n. 5.

n. 6.

Diſtricte prohibemus, ne quis illa Alba utatur in Sacris Miniſteriis, qua in uſu quotidiano induitur. Videlicet Clerici ſemper Albam ſuper Tunicam gerebant, Ordinis Eccleſiaſtici Inſigne; unde Albam aliam, quæ nitida ſit, ad Altaris Officium induere jubentur. Ab Alba uſus quotidiani originem traxit, amiculum, quod Supparum † dicitur, ſcilicet Alba contractior, & Superpelliceum, ſeu Alba amplior. Mundities in veſtibus & Vaſis Sacris præcipitur. Jubentur habere thus, ſi poſſibile ſit, quod in Miſſa & Veſperis Deo offerant. Quadrageſimæ tempore in Eccleſiis Baptismalibus ſcrutinia fiant, & Evchariſtia

c. 7.

† Rochet.

Sæculum IX. A. C. 889.

statim post Baptismum Fidelibus præbeatur, quod JEsus Christus utrumque pariter necessarium (*) pronunciasset. Parochi Pœnitentium publicorum curam maximam gerant, & eos nec pecuniæ cupiditate victi, nec familiaritatis aut amicitiæ studio, ante tempus completum ad reconciliationem adducant, sed nec odio aut avaritia ducti, quod absit, causa sint, ut ea plus justo differatur.

Joan. 3. 5. 6. 54.

n. 8. Duos etiam vel tres Clericos habeant, qui cum eis Missas celebrent, & populum salutantibus respondeant. In calice aquam vino misceant, & sciant, quod in hoc Mysterio verus (**) Sanguis Domini Nostri consecretur. Paro-

(*) In ipsa Riculfi Constitutione, Act. Conc. Edit. Paris. referuntur verba Sacræ Scripturæ: Quoniam qui dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non intrabit in Regnum Cælorum*, ipse dixit: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Non inepte argumentatur Riculfus Episcopus. Sed Ecclesia primum Mandatum de Necessitate medii, alterum, de Necessitate Præcepti esse docet. Cum enim homo baptizatus, ac proinde in Gratia constitutus, a Regno Cœlorum excludi non possit, Verba JEsu Christi, Carnem Filii hominis manducari præcipientis, de necessitate medii explicari vix possunt.

(**) Verba Constitutionis, in Act. Conc. sunt: *Verum*

Parochi sic ruralibus & ceteris negotiis temporalibus inserviant, quatenus Divinum Officium non negligant. Pueros in schola sua solicite erudiant, puellas vero docendas neutiquam suscipiant. Pro sepeliendis mortuis xenia non petant; si quid autem libere offeratur, id liceat accipere. In Calendis uniuscujusque mensis Parochi per singulas Decanias conveniant, non ut convivia adornent, sed ut de rebus ad ministerium suum pertinentibus, & de iis, quæ in parochiis suis aecidunt, consultent.

Sæculum IX. A.C. 890.

n. 16.

n. 19.

n. 20.

§. V.

Ludovicus Rex Provinciæ.

Anno sequente octingentesimo nonagesimo, Indictione octava Bernoinus Archiepiscopus Viennensis, Romam profectus, Pontifici exposuit, quanta calamitate Regnum premeretur, ex quo Carolus Imperator obiisset. Nimirum Incolæ sine Domino erant, qui Regionem in potestate haberet, ipsosque hinc a Normannorum latrociniis, inde a Saracenorum furore liberaret. Cum hæc percipe-

to. 9. *Conc. p.* 424.

Verum Domini Corpus procul dubio in veritate conficitur. Riculfus Episcopus Suessionensis in Sæculo IX. Realis præsentiæ Corporis Christi in Evchariſtia contra Protestantes testis est luculentus.

Sæculum IX. A. C. 890.

ciperet Stephanus Papa erumpentes lacrymas cohibere non potuit, datisque ad Episcopos Galliæ Cisalpinæ literis suasit, ut Ludovicum, Bosonis filium, Regem eligerent. Ergo cuncti Valentiæ congregati, scilicet Aurelianus Archiepiscopus Lugdunensis, Rostangius Arelatensis, Arnaldus Embrodunensis, & Bernoinus Viennensis cum pluribus aliis Episcopis, consilium Papæ amplecti statuunt, unanimi consensu Regem eligunt, & ungunt Ludovicum filium Bosonis & Hermingardis, ex Imperatore Ludovico II. genitæ, puerum decennem. Sed confidebant fore, ut Matris suæ Hermingardis, & Patrui Richardi Ducis Burgundiæ, Bosonis fratris consiliis adjutus, rem patriæ restitueret.

Hæc Regni Arelatensis seu Provinciæ principia fuere.

§. VI.

Mandata Pontificis ad Archiepiscopum Remensem directa.

Ecclesia Lingonensis ab annis jam decem turbis jactabatur. Isaaco Episcopo defuncto, aliqui Teutboldum ejusdem Ecclesiæ Diaconum, alii vero elegerunt Egilonem, seu Geilonem, Monasterii Nigri Abbatem, qui ex illa Insula a Normannis pulsus tandem cum sua Congrega-

gregatione in Monasterio Turnensi sedem fixerat. Hunc Aurelianus Archiepiscopus Lugdunensis anno octingentesimo octogesimo Episcopum Lingonensem consecravit, qui quoad vixit Sedem hanc obtinuit, & sub finem anni octingentesimi octogesimi octavi fatis functus est. Tunc igitur rursus, qui Teutboldo favebant, eum in Sedem Episcopalem evehere conabantur, sed alii Argrimum eligunt, cujus Electionem Aurelianus Archiepiscopus confirmavit. Itaque Teutboldi Fautores, querelis ad Stephanum VI. delatis, missoque ad eum Teutboldo rogant, ut ipsum Pontifex suis manibus Episcopum Lingonensem crearet. Sæculum IX. A.C. 890.

At Papa, ut sua cuique Ecclesiæ jura salva essent, ad suum Metropolitam remisit Teutboldum, quem, si Electio Canonica fuisset, sine cunctatione ordinaret, si vero non fuisset, id ad Papam perscriberet, sed alium, Episcopum Lingonensem, sine Pontificis consensu ordinare non præsumeret. Misit Papa Oiranum Episcopum Sinigalliæ Legatum suum, qui mandata executioni daret. Cum vero perveniisset ad Aurelianum; is Legatum Lingonas ire jubet, promittens, se propediem secuturum. Sed diu expectatus, nec venit, nec ullam cunctationis causam Papæ perscripsit. Ergo, qui Teutboldum elegerant, iterum eum Romam

Flod. hist. IV c. 1. Mabill. to. 6. Act. p. 504. to. 7. p. 22.

Sæculum IX. A. C. 890.

Romam cum Decreto Electionis ſuæ mittunt, inſtantiſſime Pontificem rogantes, ut ipſum conſecraret. Nihilominus Papa, ne tunc quidem prærogativis Eccleſiæ Lugdunenſis quidquam detrahere volens, remiſſum ſecundo Teutboldum ordinare datis literis Aureliano præcipit, aut indicare, cur id recuſaret. Aurelianus ſpreto Pontificis mandato Argrimum Lingonenſis Eccleſiæ Epiſcopum ordinat, & in poſſeſſionem immittit. Adverſarii tertio Romam recurrunt; tandemque Papa, quod petebant, conceſſit, datis ad Archiepiſcopum Remenſem literis in hæc verba:

Stephanus VI. ad Archiepiſcopum Remenſem.

Cum in Perſona S. Petri curam omnium Eccleſiarum ſuſcipere juſſi ſimus, & perbene ſciamus, Epiſcopum Legitimum eſſe non poſſe, quem nec Clerici elegerunt, nec populus expetiit; præterea Clericorum, populique Lingonenſis precibus tacti, Teutboldum Diaconum eis Epiſcopum dedimus. Idcirco tibi præcipimus, ut quamprimum has noſtras Epiſtolas acceperis, ad Eccleſiam Lingonenſem te conferas, Teutboldum ibidem ſtabilias, & omnibus Archiepiſcopis declares, nos hujus Eccleſiæ curam ſingularem gerere, nec diutius refractariæ partis inſolentiam, & innocentium oppreſſionem, eſſe paſſuros.

Fulco

Fulco Archiepiſcopus Remenſis, acceptis Papæ mandatis, haud diu poſtea reſcripſit, ſe ſine mora obtemperaturum fuiſſe, niſi ſuadente Odone Rege rem differre coactus fuiſſet, donec ipſe ad Papam Legatos miſiſſet, ex quibus de voluntate Pontificis certior fieret. Ceterum, omnes Epiſcopos, apud quos Papæ Epiſtolæ fuiſſent recitatæ, maxime gaudere, quod diceret, velle ſe omnibus & ſingulis Eccleſiis jura ſua & privilegia illibata conſervare. Præterea Pontificem rogabat, ut ſuam ſententiam ſcripto ſibi aperiret, de ſequente quæſtione; an Epiſcopis ipſius Suffraganeis Regem ungere, aut aliud ſimile ſummi momenti negotium ſine ſuo conſenſu perficere liceret. Hæc quæſtio pertinere videtur ad Regem Odonem, electum fruſtra repugnante Fulcone, qui Guidonem fœderibus ſibi junctum Franciæ Romanæ (*) (ita enim provinciæ cisrhenanæ vocabantur) Regem dare molitus fuerat. Unde etiam pronum eſt conjicere, ideo Odonem nec ab Archiepiſcopo Remenſi nec a quoquam alio illius provinciæ Epiſcopo, ſed a Walterio Archiepiſcopo Senonenſi unctum fuiſſe. Saeculum IX. A. C. 890.

Odor Chr. to. 2. Duch. p. 637.

Por-

(*) Nempe quia illi populi in Francia, nobis transrhenana, lingua Romana, id eſt, Latina, ut ut corrupta, utebantur.

Sæculum IX. A. C. 890.

Porro Summus Pontifex ad Archiepiscopum Remensem etiam literas dedit in causa litis inter Hermannum Archiepiscopum Colonienſem & Adalgarium Episcopum Hamburgenſem & Bremenſem exortæ. Ambo nuper ad has Cathedras evecti fuerant; nam Guillebertum Archiepiscopum Colonienſem Concilio Moguntino anno octingenteſimo octogeſimo octavo interfuiſſe vidimus, Adalgarius autem S. Remberto, eodem anno mortuo, ſucceſſerat. S. Rembertus Adalgarium Monachum novæ Corbejæ, unde eum, ut in ſuo munere adjutorem haberet, ad ſe evocaverat, Succeſſorem ſibi exoptaverat, atque hanc electionem a Rege Ludovico Germanico, Ludovico & Carolo ejusdem filiis, a Concilio, Abbate & fratribus illius Congregationis confirmari curaverat. Vir Sanctus ultima ante obitum ſuum ſeptimana ſingulis diebus Extrema Unctione & Viatico pro more illius ætatis munitus eſt, obiitque undecima Junii anno octingenteſimo octogeſimo octavo, ex quo Episcopatum ſuſcepiſſet, vigeſimo tertio. Eccleſia decima quarta Februarii ejus memoriam colit.

Sup. n. 1.

Flod. 4. hiſt. c. 1.

Mart. Rom. 4. Febr.

Cum igitur Hermannus querelas apud Pontificem moviſſet, & Adalgarius, poſtquam & ipſe rem ad S. Sedem detuliſſet, & Romam profectus, Hermannum accu-

Flod.

accusasset, quod Ecclesiæ suæ jura læderet, Papa Hermannum citavit, jussitque coram se causam dicere, & quamvis non venisset, in absentem pronunciare sententiam noluit, ne exinde nova oriretur contentio. Sed datis ad Fulconem Archiepiscopum Remensem literis, ei præcepit, suo nomine Concilium cum Episcopis vicinis Wormatiæ celebrare, quo etiam Hermannum Colonienſem & Sunderoldum Moguntinum cum suis Suffraganeis convenire jusserat; quin & Adalgarius monitus fuerat, ut adesset, ubi uniuscujusque jura accurate ad examen vocarentur. Tandem Papa Archiepiscopum Remensem rogabat, ut ad se inviseret, si aliqua ratione id fieri posset, quoniam non solum de hac causa, sed etiam de pluribus aliis cum ipso deliberare & communicare consilia cuperet. Hæc Stephani Papæ Epistola anno octingentesimo nonagesimo sub finem vitæ ejus scripta fuerit necesse est, quia Fulconis Responsum ad Formosum Papam Stephani Successorem directum fuit.

Sæculum IX. A. C. 890.

§. VII.

Stephani Papæ obitus.

Stephanus Papa pessimam, quæ irrepserat, consuetudinem abolevit, ne deinceps Presbyteri, singulis diebus in Basilica S. Petri Sacrificium offerentes, ad

vit. ap. Anast.

Sæculum IX. A. C. 891.

pendendam certam pecuniæ ſummam cogerentur. Oratio aliqua ad populum ſuum hujus Pontificis opus eſſe dicitur, quam inter Miſſæ Solemnia pronunciavit, qua aliquos in Eccleſia contra modeſtiæ leges peccantes aut garrulos, alios veneficiis & cantionibus magicis operam dantes increpat. Simplex eſt ſermo & familiaris, ſed auctoritate S. Scripturæ confirmatus. Præterea Stephanus a munificentia in pauperes, captivos, & Eccleſias, quas mire ornavit, commendatur. Videns, quod in Baſilica S. Petri ad Nocturnos ſemel tantum offerretur incenſum, conſtituit, ut ad omnes Lectiones & omnia Reſponſoria thus adoleretur. Inter illa, quæ Eccleſiis dono dedit, complures libri, ſcilicet aliquæ S. Scripturæ partes, vel Patrum Homiliæ adnotantur. Obiit ſecundum opinionem magis probabilem ſeptima die Auguſti anno octingenteſimo nonageſimo primo, poſtquam Sacram Sedem tenuiſſet annis ſex, uti in ejus Epitaphio legebatur.

Papeb. Con.

§. VIII.

Viri eruditi in Anglia.

Sup. Lib. LIII. §. 3.

Rex Alfredus in Anglia, editis legibus tranquillitate publica reducta, ad literarum ſtudia quoque revehenda animum adjecit, quibus & veritas Religionis

nis defenderetur, & puritas morum conſervaretur. Igitur miſſis in Franciam Legatis Grimbaldum & Joannem Monachos & Presbyteros advocavit, ambos ſcientia & virtutibus inſignes. Grimbaldus ſeptennis Hugoni Abbati, Caroli Magni filio, in Monaſterio S. Bertini, traditus, & in majore ætate deinde Præpoſitus electus, recuſavit accipere Abbatis nomen, quod ipſi Balduinus Calvus, Flandriæ Comes, tribuere volebat, eo conſilio, ut jus nominandi in hac Abbatia uſurparet, & electionem abrogaret. Porro Grimbaldus totius Congregationis nomine Regem rogavit, ut ipſis Fulconem, Archiepiſcopum Remenſem, Abbatem daret, intrepide profeſſus, malle ſe omnes e Monaſterio migrare, quam ſub poteſtate viri laici remanere. Obtinuerunt a Rege, quod petebant, namque Fulco Archiepiſcopus is fuit, qui a Rege Alfredo rogatus Grimbaldum in Angliam trajicere juſſit. Erat tunc Grimbaldus vir venerabilis, Cantor excellens, in Sacra Scriptura & Scientia Eccleſiaſtica verſatiſſimus.

Sæculum IX. A. C. 891.

Aſſeri. Menev. p. 14. *Mabill. Sæc. V. init.*

Joannes vero in Saxonia natus, & in Francia, in Monaſterio Corbejenſi, ut putant, educatus, feliciſſimum ingenium ſortitus erat, quod deinde bonis literis & multis artibus liberalibus excoluit.

Sæculum IX. A. C. 891.

Cum igitur in Angliam circa annum octingentesimum octogesimum quartum cum quibusdam aliis viris doctis appuliſſent, eorum documentis auditis Rex Alfredus multum proficiens Magiſtros ſuos opibus & honoribus auxit. Præter eos vocavit etiam Aſſerium Monachum Aſceterii Menevenſis ſeu S. Dwidi, in extrema parte Walliæ poſiti. In hac Eccleſia Metropolitana Monachi miniſtrabant; & Aſſerius Archiepiſcopum cognatione ſanguinis contingebat. Ægre conſenſit, ut in Regia Alfredi diverſaretur, atque ea ſolum conditione, ut ſibi liceret ſæpius ad Eccleſiam ſuam redire, & aliquam anni partem ibi exigere. In Regiam vero ibat, conſentiente Congregatione ſua, ad conciliandum ſibi Alfredi auxilium contra Hemeidi, Regis ipſorum, tyrannidem. Quippe illi Walliæ populi, veterum Britonum proſapia, necdum barbarorum ferocitatem exuerant. Aſſerius apud Regem Lectoris officio fungebatur, optimos Scriptores prælegebat, & de doctrina conferebat. Eique Rex Monaſteria Amgresburienſe & Banuvillanum conceſſit; tandem vero Epiſcopum Schireburnenſem creari curavit.

Id. Sæc. 4. ad ann. 895.

Sup. Lib. XXXIV. §. 14.

Aſſer. p. 14. 15.

Mabill. Sæc. 5. p. 58.

Phlegmundum quoque vocaverat, de gente Merciorum virum, qui in Ceſtria Inſula annis permultis vitam anachoreticam

ticam duxerat. Eum Alfredus ad Dignitatem Archiepiscopi Cantuariensis anno octingentesimo nonagesimo evexit. Sæculum IX. A.C 891.

Horum itaque virorum usus opera Rex Alfredus in Angliam reduxit amorem literarum, quæ usque adeo neglectæ fuerant, ut rarissimi essent, qui linguam latinam callerent. Supererat tamen Schola celebris Oxonienſis, cujus Magistri docendi methodum a S. Gilda, Melchino, aliisque, S. Germani Antissiodorensis tempora repetentes, sibi traditam affirmabant. *Asser. p.16.* Unde anno octingentesimo octogesimo sexto Oxonii magna orta contentio inter Grimbaldum & quos adduxerat socios ex una parte, atque ex altera inter senes illos Oxonienses Doctores, qui recentiorum nuper advectorum methodum & regulas respuebant. Jam annis tribus gliscebat animorum dissensio, tunc vero ad bellum literarium ventum est. Quod ut componeret, ipse Rex Alfredus Oxfordiam venit, tam unam quam alteram partem summa patientia audit, monita salutaria suggerit, nec prius inde, quam dissidentes reconciliasset, discedit. Nihilominus Grimbaldus, indignatus adversariorum pertinaciæ, illico in Civitatem Wintoniensem & Monasterium nuper a Rege fundatum se recepit. Ubi munere Abbatis suscepto obiit anno nongentesimo tertio, Schola Oxfordiensis.

Sæculum IX. A. C. 891.

octava Julii, qua die inter Sanctos honoratur.

Asser. p. 18. *Sup. Lib. LIII. §. 43.*

Joannes Abbas fuit Monasterii Æthelingiensis haud diu abhinc a Rege Alfredo extructi in illa Insula, quæ ipsi Asylum, Danis in Anglia dominantibus, præbuerat. Collapsa erat penitus Disciplina Monastica, tum ob frequentissimas Barbarorum incursiones, tum ob Anglorum socordiam, qui rerum omnium abundantia felices egestatem & laborem vitæ monasticæ spernebant. Unde nemo liberaliore genere ortus monasticum institutum sponte sua amplectebatur, & quamvis plurima in illis regionibus adhucdum extarent Monasteria, non nisi parvuli in iis alebantur, ætate necdum rationis capace. Regula autem nullatenus observabatur. His itaque causis permotus Rex Alfredus in novum suum Monasterium Æthelingiense diversarum nationum juvenes, præsertim Francos, immisit.

Postquam Joannes Abbas aliquot annis huic Monasterio præfuisset, duo ex illa Congregatione, unus Sacerdos, alter Diaconus, natione Galli, immani odio concepto, in optimi patris perniciem conjurant. Ergo servos duos pecunia corruptos jubent noctu in Ecclesia abscondi, his instructos mandatis: cum ille de more orandi causa solus intrasset, ceteris

ceteris Fratribus dormientibus, ad Altare procumbentem percuterent, & corpus ad ostium impudicæ mulieris exportarent; quo omnes crederent, Veneri indulgentem, deprehensum fuisse, & occisum. Perditissimi sicarii mandatorum tenaces, & armati in Ecclesia ad insidias collocantur; media nocte Joannes Abbas, ut solitus erat, ad orandum venit, cumque ante Altare genua flexisset, latrones nudo ferro erumpunt e latebris. Ille intrepidus, alias artis militaris non expers, ubi gressus præcipitantium strepitum audiit, obviam se infert, corpus tuetur, magna voce exclamans, Dæmones adesse, ut ipse nempe credebat, ratus, tam exquisitæ nequitiæ suspicionem in homines cadere non posse. Discusso somno, properant ad auxilium ferendum monachi, audito Dæmonis nomine pavidi; sed grassatores tunc quidem fugerunt, Abbati lethali vulnere inflicto, atque in paludibus monasterio subjectis delituerunt. Monachi semianimem tollunt mœrentes, & ad cellas deferunt; nullos vero tristis casus magis affligere videbatur quam versipelles illos, qui cædis auctores erant. At tam ipsi, quam qui tetro facinori perpetrando manus commodaverant, condignis suppliciis fracti, scelus eluerunt. Hic vitæ finis fuit Joannis Abbatis, qui alius fuit a Joan-

Sæculum IX. A. C. 891.

Sup. n. 58.

Sæculum IX. A. C. 891.

ne Scoto, seu Erigena, Carolo Imperatori olim carissimo, atque etiam a quodam Joanne Sophista, qui Malmesburiæ martyrio affectus dicebatur.

§. IX.

Alfredi Regis Scripta.

Asser. p. 5.

Alfredo Regi satis non fuit & literas & viros doctos fovere, sed etiam tam se ipsum quam populum suum erudiri voluit. Non ipse tamen in prima ætate literas didicerat; sed gentis suæ more venationi aliisque exercitationibus, quibus corpus duratur, indulserat. Duodenni major fuit, cum alphabetum cognoscere cœpit, & quamvis exinde sciendi avidissimus esset, bella tamen a Danis illata otium scientiis operam dantibus necessarium non concesserant. At rebus pacatis serio tempus omne cum viris doctis, quos advocaverat, literis dedit. Magna cura veteres versus lingua Saxonica concinnatos, qui illius Gentis historiam complectebantur, collegit, ipse Hymnos composuit, moribus populi sui formandis aptos. Ut illis, nimirum plerisque, qui linguæ latinæ ignari erant, obsequium præstaret, Doctorum virorum auxilio usus, libros quos judicabat fore utilissimos, & inter alios S. Gregorii librum Pastoralem, Historiam Pauli Orosii, & Bedæ, in linguam vulgarem

Sup. Lib. XLV. §. 29.

garem transtulit. In Præfatione Libri Pastoralis ad Episcopum Londinensem directa loquitur in hunc modum: Sæculum IX. A. C. 891.

Sæpe multumque perpendi, quam multi olim viri tam Ecclesiastici quam Seculares ex Gente Anglorum scientiarum laude floruerint, tanto discendi, aliosque docendi studio ardentes, ut eruditionis fama permultos peregrinos ad nos pertraxerit; dum econtra nostra ætate paucissimos Anglos cis Humbri fluminis ripas inveni, qui preces ab omnibus recitari solitas intelligerent, vel Scriptum quodcunque ex Latino in linguam vernaculam vertere possent. Non memini, me in ora Tamiris meridiana vel unicum noviſſe, qui latini sermonis peritus esset, cum Regnum auspicatus sum. Nunc vero, Deo sint infinitæ laudes! qui publicis muneribus fungutur, ad plebem docendam idonei sunt. Itaque te exhortor, ut scientiam a Deo tibi datam non parcius Fidelibus communices, quam bona temporalia pauperibus largiris. Cogita, Deum pœnas a nobis severissime exacturum, nisi sapientiam amaverimus, eamque posteris tanquam pinguem hæreditatem reliquerimus. Christianorum nomine gloriamur, sed pauci tanti nominis officium implent. Post. Asser. p. 25.

Illud quoque animo recurrit, priusquam hostes patriam nostram depopula-

Sæculum IX. A. C. 891.

rentur, vidisse me in Anglia Ecclesias pretioso ornatu nitentes, & maximam copiam librorum, ex quibus tamen viri Ecclesiastici haud sane multum emolumenti capiebant, quia eos non intelligebant. Majoribus vero nostris in mentem non venit, curare, ut in linguam vulgarem verterentur, quia nunquam putassent, eam fore unquam totius gentis segnitiem, ut linguæ latinæ usus periret.

Igitur utilissimum Fidelibus futurum existimamus, si libros omnibus maxime necessarios in linguam vulgarem transferri jubeamus, & curemus; ut flos juventutis in Anglia, illi præcipue, qui liberi nati sunt, & facultatibus abundant, præ ceteris rebus omnibus legere discant, unde ipsis saltem illa, quæ lingua patria scripta sunt, prosint. Illi deinde linguam latinam doceantur, qui ad ipsa scientiarum adyta admittendi videbuntur. Ad hunc finem salutarem consequendum, ego tanta negotiorum mole, qua Reges solent, pressus, Librum Pastoralem in linguam nostram transferre aggressus sum, nunc verba, nunc sensum reddens, prout mihi Plegmon Archiepiscopus meus, Asserius meus Episcopus, Grimbaldus & Joannes Capellani mei suadebant. Cujus libri exemplar unum ad singulas Ecclesias Episcopales Regni mei cum supellectile scriptoria marcarum quinquaginta

ginta missi; probibeo autem, Dei nomine, ne quis supellectilem a libro separare, aut librum ab Ecclesia auferre præsumat. Nescimus enim, an posteriore ætate Episcopi Doctrina præditi, quales hodie habemus, futuri sint. Unde præcipio, ut hi libri semper in suo loco serventur, nisi Episcopus illos legere, aut viro docto ad describendum commodare voluerit.

Sæculum IX. A. C. 891.

§. X.

Regis Alfredi Pietas.

Sapientissimus Rex plurima jussit celebrari Concilia; horum quippe numero Comitia accenseri possunt, quæ, ipso jubente, saltem bis in anno habebantur. Ad ea nemo, nisi Episcopi & Optimates Laici, vocabatur, & Episcoporum præcipua erat Auctoritas. Hujusmodi Concilium illud fuit, anno octingentesimo octogesimo sexto convocatum Londini; quam urbem, diu desertam, Alfredus incolis implevit, unde totius Angliæ Caput haberi cœpit. *vit. per Spelm. lib. 2. in fi.*

Idem Rex subinde eleemosynas Romam mittebat; quod anno octingentesimo octogesimo septimo, & tribus annis sequentibus feciisse legitur. *Asser. p. 15.*

Reditus universos Regni sui Alfredus in duas partes dividebat, quarum alteram in quatuor partes subdivisam ad *Id. p. 19.*

pia

Sæculum IX. A. C. 891.

pia opera impendebat, ſcilicet primam ad alendos omnis generis pauperes, ſecundam ad ſuſtentanda duo Monaſteria a ſe fundata, Æthelingienſe virorum, & Schafburienſe mulierum, cui Filia ipſius Athelgeva, prima Abbatiſſa, præfuit. Pars tertia Scholis, quas ipſe erexerat, conſervandis, & quarta ad ſubſidia omnium Monaſteriorum tam in Anglia quam ultra mare poſitorum mittenda, deſtinata erat. Diei tempus quoque diviſerat, mediam partem Religioni conſecrans, alteram negotiis, atque curando corpori tribuens.

Aſſer. p. 20. Quotidie Miſſæ Sacrificio intererat, Divinum Officium ſingulis horis canonicis recitabat, & noctu etiam ſecreto in *id. p. 13.* Eccleſiam ſe conferebat. Suo tempore lectioni aut meditationi vacabat; quare Pſalterium, horas minores ſemper circumferebat, & chartam paratam, in qua *p. 17.* ſingulis diebus illas S. Scripturæ ſententias, quibus maxime movebatur, adnotabat. Has deinde in Manuale contulit, & ſæpiſſime ſuaviſſimo animi ſenſu *p. 20.* relegit. Tandem Rex piiſſimus, cum ordinem in rebus agendis tota die ſervare cuperet, & uſus horologii necdum eſſet inventus, cereos ſex æqualis omnino ponderis fieri juſſit, quorum unus accenſus quatuor horarum ſpatium implebat; Capellanis vero imperatum erat,

per

per vices Principem monere, quoties- Sæculum IX.
cunque uno consumpto alius cereus ac- A.C. 891.
cendendus erat. Porro ne faces istæ flante vento forsan extinguerentur, eas laternis corneis, proprio ingenio excogitatis, includi curavit. Nam quamvis hoc invento aliæ provinciæ cumpluribus ante JEsum Christum sæculis uterentur, illud tamen hucusque in Anglia fuerat incognitum.

Plaut. Amphi. Act. vers. 185.

§. XI.

Literæ Fulconis in Angliam missæ.

Cum Fulco Archiepiscopus Remensis frequenter ad Regem Alfredum literas daret, & comperisset, eum Ecclesiam Archiepiscopalem Cantuariensem Phlegmundo contulisse, missa Epistola, gratias egit, quod primæ Ecclesiæ virum virtutibus & pietate clarum, & in Disciplina Ecclesiastica versatum præfecisset. Fulco enim non ignorabat, quam pio conatu Phlegmundus incumberet ad emendandum in Anglia errorem pernicioſum, a Gentilibus ortum trahentem. Videlicet putabant, non esse vetitum Episcopis & Presbyteris mulieres alere, cuilibet licere, feminas propinquas aut Virgines sacras matrimonio sibi jungere, & præter uxorem etiam aliam feminam concubinatus causa in domo habere. Ergo ex auctoritate Sanctorum Patrum demon-

Flod. hist. lib. IV. c. 5.

Sæculum IX. A. C. 891.

monſtrat, quantum hæ opiniones ſanæ Doctrinæ repugnent. Phlegmundo quoque ſcripſit Fulco pium zelum in extirpandis abuſibus laudans, & Textus Scripturæ Sanctorumque Patrum ad eos impugnandos ſuggerens; ut meritorum tanti viri aliquam partem particeps fieret. Ceterum in his literis nomen Regis legitur ſcriptum, *Albrad*, & Archiepiſcopi *Pleonic*. Tantopere idioma Francorum ab Anglicano divertebat.

Sup. n. 6.

Sub idem tempus Fulco Archiepiscopus data Epiſtola ad Formoſum Papam, qui Stephano VI. ſucceſſerat, rationem reddidit negotii ſibi a Stephano commiſſi, nam Concilio Wormatienſi in cauſa litis exortæ inter Hermannum Colonienſem & Adalgarium Bremenſem præeſſe juſſus fuerat. Tum nova mandata hac ſuper re expetiit.

Flod. l. IV.

§. XII.

Formoſus Papa.

Sup. Lib. L. §. 49.

Formoſus Leonis filius jam ante Episcopus Portuenſis erat, quam eum Nicolaus Papa in Bulgariam miſit.

Sup. Lib. LIII. §. 31. §. 44.

Superius commemoravimus a Joanne VIII. fuiſſe depoſitum & reſtitutum a Marino, quo ſedente atque etiam Hadriano & Stephano Succeſſoribus ejus Formoſi Romæ magna auctoritas fuit. Igitur electus eſt Summus Pontifex, quod

Luitpr. 1. *c.* 8.

vir

vir esset sincera Religione, Sacrarum Scripturarum & humanarum literarum scientia clarus. Cumque Episcopali ordine jam pridem esset insignitus, non fuit ordinatus, nec ei iterum manus impositæ, sed tantum in thronum Pontificalem solemni ritu evectus est. Quod factum creditur Die Dominica decima nona Septembris anno octingentesimo nonagesimo primo. Primum hoc est, quod legimus, exemplum Episcopi ab alia Ecclesia translati ad Sacram Sedem, quam Formosus annis quatuor & sex mensibus obtinuit.

Sæculum IX. A. C. 891.

Auxil. c. 26.

Papeb. Conat.

§. XIII.

Responsum Pontificis ad Stylianum.

Formoso itaque sedente, venerunt Legati Constantinopolitani cum Epistolis ad Stephanum Papam directis, in quibus utriusque partis argumenta, ut jusserat, in causa Photii Pontifex edocebatur. Photii nomine advenerant aliquis Metropolita, & quidam Præfectus Imperatoris. Legati autem adversæ Partis afferebant Styliani Episcopi Neocæsarienſis Epistolam, in qua loquebatur ad Pontificem in hunc modum: *Dicis, Imperatorem & nos diversa scripsisse. Causam aperio. Illi nempe scripserunt, Photium Sedi suæ renunciasse,* (*) *qui eum*

Sup. Lib. LII. §. 51.

to. 8. Conc. p. 1410.

(*) Cujusmodi Renunciatio fuerit, ex iis quæ

Sæculum IX. A C. 891.

eum Episcopum agnoverant; nos vero, qui secundum Nicolai & Hadriani Pontificum atque Concilii Oecumenici Constantinopolitani Judicium nunquam confessi sumus, in Photio vel minimum Sacerdotii vestigium reperiri, quomodo scribere potuimus, ipsum Sacerdotio renunciasse? Nos potius mirandi locum esse putamus, quod postquam initio Epistolæ dixisses, Photium a solida Petra, quæ est JEsus Christus, esse rejectum, in fine tamen scribas, ipsum in judicium esse vocandum; quasi vero aliquando Legitimus fuisset Episcopus.

Et infra: *Iterum iterumque te rogamus, ut illis indulgeas, qui Photium inviti & compulsi receperunt, petimusque, ut literas Encyclicas ad Patriarchas Orientis mittas, quo & ipsi, sicut nos, eadem indulgentia lapsos habeant. Antiqua sic fert Ecclesiæ Disciplina. Namque Magnus Athanasius ad Rufinianum scripsit, quod in Conciliis solummodo Hæresis & Schismatis auctores rejici, ceteri vero ex indulgentia recipi, soleant.*

Sup. Lib. XV. §. 26. 28

tom. 8. Conc. p. 1411.

Hac Epistola accepta Formosus Papa respondit: Misericordiam & Indulgentiam petitis, & quibus ea concedenda sit, non dicitis. Vel enim Laici sunt vel Pres-

quæ Sub. L. LIII. N. LI. commemorata sunt, Lector judicet.

Presbyteri. Si Laici, veniam merentur, si autem Sacerdotes, non attenditis, quod Photius, vir Laicus, per impositionem obliquæ manus nihil dare (*) potuerit, nisi damnationem, quam habuit. Oportebat vestram Ecclesiam gravissimam subire pœnitentiam; continet autem nos benignitas & Fratrum dilectio. Quapropter misimus e latere nostro Legatos, Episcopos Landulphum Capuanum & Romanum, quibuscum vos consultare hortamur, nec non Theophylactum Metropolitam Ancyranum, & Petrum nobis fidelem; ut ante omnia Sententia, qua damnatus est Photius, perpetuo tempore immutabilis (**) permaneat. Sæculum IX. A. C. 891.

Iis vero, qui a Photio fuerunt ordinati, indulgentiam impertimur, & decernimus, ut oblatis Libellis se deliquisse fateantur, veniam deprecentur, pollicentes, se nunquam talem culpam admissuros. Tum ad Communionem Fidelium laicam, secundum mandata ad vos transmissa, a quibus nec latum unguem recedatis, recipiantur.

§. XIV.

(*) Nec Stylianus, nec Summus Pontifex de caractere & valore Ordinationis in sensu stricto, sed in sensu morali loquuntur.

(**) Ipsum silentium satis indicat, Acta sub Joanne VIII. fuisse nulla & ab eodem retractata.

Sæculum IX. A C. 891.

§. XIV.

Photii exitus. Ejus Bibliotheca.

Hæc Formosi Epistola ultimum est, quod habemus, monumentum ad Photii Schisma pertinens, quod ab annis triginta Ecclesiam Constantinopolitanam perturbaverat. Exinde vero de Photio nulla amplius recurrit mentio; unde pronum est conjicere, haud diu postea superstitem fuisse.

Inter ejusdem Scripta, Bibliotheca & Nomocanone nulla magis celebrantur; & occasionem quidem scribendi Bibliothecam suam ipse in præfixa operi Epistola ad Fratrem suum Tarasium directa sic indicat: *Ex quo ab Imperatore & Senatu Legationem in Assyria obire jussus sum, rogasti me, ut tibi materiam librorum, quorum lectioni interesse non potuisti, mitterem, tum ut absentiæ meæ solatium haberes, tum ut saltem Summam istorum librorum, qui ferme trecenti numero sunt, cognosceres. Mitto tibi igitur hæc fragmenta, quæ mihi memoria suggerere valuit, eo ordine, quo mihi occurrerunt.* Verisimile est, initium Operis e memoria fuisse scriptum, nam brevia sunt Excerpta; posteriora autem prolixitate laborant & ex ipsis libris descripta videntur.

Talia

Talia autem fragmenta habemus ducenta & octoginta, maximam partem ex Libris, qui interciderunt, sed ex illis, qui ætatem tulerunt, videmus, ea bona fide & acri judicio fuisse electa. Sæculum IX. A. C. 891.

Solummodo Scriptores Ecclesiasticos deperditos, qui sunt numero quadraginta tum Theologos tum Historicos commemorabo, nulla facta mentione librorum deperditorum illorum Scriptorum, a quibus alia habemus Opera, quale est, *Hypotyposes* S. Clementis Alexandrini, non numeratis etiam quibusdam Conciliis, & complurium Hæreticorum libris. Photius plerumque suam sententiam de quolibet Scriptore, præsertim de Stilo profert. Sed en! primum Bibliothecæ ipsius articulum: *Lecta est Dissertatio Theodori Presbyteri; quod Liber S. Dionysii genuinum ipsius Opus sit. In ea solvuntur quatuor objectiones: Prima, si liber iste genuinus erat, qua ratione factum, quod non aliqui saltem Patrum, S. Dionysio posteriorum, textus aliquos ex eo protulerint? Secunda, Eusebius Pamphili, cum Sanctorum Patrum libros enumerat, hujus Scripti nullam mentionem facit. Tertia, quo pacto in hoc Libro peculiariter referuntur Traditiones, quæ sensim & longo temporis decursu in Ecclesia ortæ sunt? Nam S. Dionysius Apostolis erat coævus, quod ex Actis Apo-* *Vid. Sup. L. XXVII. §. 33.* *Act. 17. 34.*

Sæculum IX. A.C. 891.

ſtolorum ſcimus, & fidem ſane ſuperat, vel potius fabula eſt inepte conficta, S. Dionyſio in mentem veniſſe, ut talia ſcriberet, quæ, ipſo jam diu vita functo, in Eccleſiam erant introducenda. Quarta objectio eſt: quomodo S. Dionyſius de Epiſtola S. Ignatii loqui poteſt? Nam S. Dionyſius tempore Apoſtolorum in vivis erat, Sanctus Ignatius vero ſub Trajano paſſus eſt, paulo poſt quam hanc Epiſtolam ſcripſiſſet. Ergo Diſſertationis Auctor hanc quadruplicem difficultatem tollere, & probare conatur, Magni S. Dionyſii Librum vere ipſius partum eſſe.

Plura non adjecit Photius; ſed ſatis prodit, quam parvi pendat reſponſiones, quas ne quidem referre dignatur. Ex quo facile infertur, quid in quæſtione, an Liber revera S. Dionyſii Areopagitæ Opus ſit, ſenſerit. At veriſimile eſt, Photium mentem ſuam clarius explicare noluiſſe, ne ſui ævi homines, contrarium pertinaciter propugnantes, temere offenderet. Inter Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores, quos commemorat, præ reliquis notandi veniunt Philoſtogius, homo Ariana hæreſi inquinatiſſimus, Joannes Ægeus, cujus hiſtoria ab Hæreſi Neſtorii initium ducens usque ad tempora Petri Fulonis depoſiti continuabatur. Erat is Sectator Eutychis, & Concilii Calcedonenſis infenſiſſimus hoſtis.

Cod. 40 p. 26.

Cod. 41. p. 27.

Baſilius

Basilius ex Cilicia, qui res gestas ab obitu Simpliciani Papæ usque ad mortem Anastasii Imperatoris scripsit. Is plurimas Episcoporum Epistolas Historiæ suæ inseruit. Sergius in Causa Imaginum Cultus sub Michaele Balbo Confessor, & quidam Leucius Carinus, qui historiam apocrypham & admodum absurdam consarcinaverat, eamque itinera Apostolorum nuncupaverat. Sæculum IX. A. C. 891. *Cod.* 42. *Cod.* 67. *p.* 99 *Cod.* 114. *p.* 29.

Inter Theologos in Photii Bibliotheca occurrunt: Apollinaris Episcopus Hierapolitanus in Asia sub Vero Imperatore, qui Apologeticum pro Religione Christiana contra Paganos scripserat. Methodius Episcopus & Martyr, qui ad probandam Resurrectionem contra Origenem Opus ediderat. Theognostus Alexandrinus a S. Athanasio citatus, cujus doctrina sanæ fidei non erat satis consentanea. Pierius Presbyter, Doctor Ecclesiæ Alexandrinæ, & Martyr. Pamphylus Presbyter Pierii Discipulus, & etiam Martyr. Hippolytus Sancti Irenei Discipulus. S. Hippolytus Martyr, qui in Danielem commentatus est. Diodorus Tarsensis, & Theodorus Mopsuestenus. Joannes Scytopolitanus, qui contra Eutychianos decertavit. Eusebius Episcopus Thessalonicensis, contra illos, qui in illa Secta Incorruptibiles dicebantur. Modestus Episcopus seu verius *c.* 14. *p.* 11. *&c.* *c.* 202. *p.* 526.

Sæculum IX. A. C. 891.

rius Vicarius Jeroſolymitanus. S. Eulogius Patriarcha Alexandrinus, qui multa contra Novatianos & Eutychianos ſcripſit; nihil autem niſi hæc fragmenta, ut ſuo loco memini, ad nos usque pervenit.

p. 250. &c. Sup. Lib. XXXII. §.31.

Tandem Photius fragmenta nobis tradidit ampliſſimi Operis Monachi Jobii de Incarnatione, in novem libros & quadraginta quinque capita diviſi. Hucusque de Bibliotheca Photii.

§. XV.

Photii Nomocanon.

Bibl. Juſtel. p.789.tom.2.

Photii *Nomocanon* eſt Collectio Canonum in quatuordecim Titulos diviſa, cujus Tituli plura Capita pro materiæ diverſitate complectuntur. In hac Collectione continentur omnes Canones in Eccleſia Græca recepti, & initium ducitur a Canonibus Apoſtolorum usque ad Synodum ſeptimam Oecumenicam, quibus Photius Concilia, a ſe ipſo celebrata, improba ſolertia adjunxit; ſcilicet illud, quod in Eccleſia SS. Apoſtolorum anno octingenteſimo ſexageſimo primo habitum, & primo-ſecundum dictum, tum etiam illud, in quo anno octingenteſimo ſeptuageſimo nono in Sedem Patriarchalem reſtitutus eſt. Canonibus jungit Leges Civiles, illis conſentaneas, easque in quolibet Capite refert, Titu-

Sup. Lib. L. §.13.

los

los Codicis vel Digestorum, in quibus leguntur, citans. Verum in toto Opere Canones & Leges solummodo indicat, & verba non refert. Cujus exemplum sit; ad Caput primum Tituli primi, qui est, de Religione & Fide Catholica, subjungit: *Canon Apostolorum quadragesimus nonus, & quinquagesimus. Canon primus & quintus Constantinopolitani. Canon 7. Concilii Ephesini. Canon 2. Concilii Carthaginensis. Canon 1. 73. 81. sextæ Synodi. Lib. 1. Cod. tit. 1. Constitut. 1. 5. 6. 7. 8. 9.*

Sæculum IX. A. C. 891.

Ceterum Photius hoc Opus concinnavit anno Mundi 6391. seu JEsu Christi 883. atque exinde apud Græcos in magno pretio fuit. Ipsius quoque complures habemus Epistolas, (*) atque

(*) Natalis Alexander de Photii Epistolis Sæc. IX. & X. istud habet: *Inter Photii Epistolas eminet illa, quam scripsit ad Michaelem Bulgarorum Regem De Officio Principis, in qua præclara hæc documenta inter alia observanda sunt.* Documenta XXXVII. deinde excerpit Alexander, ex quibus hæc paucula subjicere hic satis sit: *I. Habe tibi amicos non malos sed optimos. Qui in amicos eliguntur, mores & dispositiones propalant ipsos eligentium. II. Sunt, qui pronunciant, ad Officium Regis imprimis pertinere, Rempublicam e parva magnam*

Sæculum IX. A. C. 893

Opus amplum, *Amphilochia* dictum, de Nomine illius Episcopi, † cui inscribitur. In eo complures difficultates de explicatione Sacræ Scripturæ dissolvuntur. Sed Opus adhuc est ineditum.

† Cyziceni.

§. XVI.

Ecclesia Constantinopolitana.

Stephanus Photii in Sede Constantinopolitana Successor obiit anno octingentesimo nonagesimo tertio, cum annis sex sedisset. Eum Ecclesia Græca die 17. Maji inter Sanctos colit, quod omnia boni Pastoris munera impleverit. Eidem omnes Novellæ a Leone Imperatore, fratre ipsius, in causis Ecclesiasticis editæ inscribuntur. Unde dispicimus, illas

Boll. 17. Maj. Tom. 15. p. 36.

---

gnam facere: Mihi potius videtur, ex improba, probam constituere. III. Principem non tam excolit virtus bellica & salvum præstat, quam benignitas & pius in cives affectus. IV. Turpe est eum, qui viris imperat, succumbere mulieribus, & voluptatibus subditum inveniri. In illa femina tantummodo non delinquit aliquis, quam vitæ secundum leges adjutricem sortitur. V. Contumelia verbis ingesta apud homines liberos parum differt a plagis acceptis & verberibus. Cavendum ergo ne proclivis feraris ad convitiandum. Quam dissimilia fuere pessima & turpissima Photii facta pulcherrimis verbis!

illas sex prioribus Regni sui annis fuisse vulgatas. Hæc Novellæ pleræque ad abrogandas res novas a Justiniano invectas tendunt. Sæculum IX. A. C. 893.

At Leo Imperator majus aliquid in Jus Romanum molitus est. Cum enim Compilationem Justiniani imperfectam judicaret, quod in plures partes scilicet Digesta, Codicem, & Institutiones, ut nihil de Novellis recentioribus dicamus, esset divisa, omnes Leges illas in tot libris dispersas renovari & in unum corpus cogi jussit, quam Collectionem in sex partes & sexaginta libros divisit. Hæ Leges dictæ sunt Basilicæ, sive ideo, ut servaretur memoria Basilii Imperatoris, Leonis patris, qui Opus inchoaverat, sive ad indicandum, quod essent Constitutiones Imperiales. Dicebant Græci, voluisse se omnes leges contrarias, aut per consuetudinem abrogatas, ex hoc Opere rescindere. Ceterum hoc Jus exinde Græci semper observarunt, lingua Græca editum, cum Justinianeum latina scriptum fuisset; sed cum jam illa, Justiniani nempe, ætate Constantinopolitani lingua latina non amplius uterentur, post breve tempus in Græcam translatum fuerat. *Præf. Basil. Not. I. & testi. aut to. 1. edit. 1647.*

Stephani in Sede Constantinopolitana Successor fuit Antonius, cognomento Caulea, & ipse Sanctis adscriptus. *Post Theoph. p. 220. n. 8.*

Sæculum IX. A. C. 893. Qui nobili genere ortus, & ab ineunte ætate Institutum Monasticum amplexus, deinde a Congregatione Abbas electus est. Inde evocatus, ad Sedem Constantinopolitanam evectus est; eamque duobus non plus annis tenuit.

§. XVII.

Res Franciæ.

Formosus Papa sub idem tempus duos Legatos Paschalem & Joannem, ambos Episcopos, in Franciam misit, qui Concilio, ipso jubente Viennæ anno octingentesimo nonagesimo secundo, Indictione decima, celebrato, præfuere. Complures Episcopi, & inter alios Bernuinus Archiepiscopus Viennensis, Aurelianus Lugdunensis, Isaac Episcopus Valentinus & alter Isaac Gratianopolitanus subscripserunt. Quatuor vel quinque Canones conditi, contra Usurpatores Bonorum Ecclesiasticorum, contra Paricidas, latrones qui Clericos vel mutilarent, vel contumeliis afficerent. Contra fraudulenter agentes in reddendis Legatis piis Episcoporum & Presbyterorum, contra Sæculares, qui sine consensu Episcoporum Ecclesias Clientibus suis conferrent, aut pensionem a Presbyteris officium suum suscipientibus exigerent.

Fulco

Fulco Archiepiscopus Remensis, datis ad Formosum Papam literis, maximum gaudium professus est, quod tantum virum in S. Petri Cathedra sedere sciret; idque certissimum esse indicium existimabat, a Deo optimo Ecclesiam suam solicite custodiri. Cum prius a Pontifice accepisset Epistolam consolatoriam, in qua dicebat vehementi desiderio ipsum videndi, & colloquendi se teneri, gratias egit, & præterea Papæ indicat, quosdam Galliarum Episcopos Pallium petere, omni Jure destitutos, & Metropolitam suum vilipendentes, unde charitas lædi, & invidiosæ turbæ oriri possent. Quare nomine totius Ecclesiæ Papam rogat, ne hujusmodi gratiam sine consensu omnium unanimi, & scripto, concedat. Sæculum IX. A. C. 893. *Flod. vers. to. 4. Act. Ben. p. 601. Flod. IV. hist. c. 1.*

Papa in Responsoria Fulconem ceterosque Franciæ Episcopos hortabatur, ut cum Ecclesia Romana dolerent, & periclitanti opem ferrent. Subjiciebat, jam diu Ecclesias Orientis variis Erroribus pernicios, & Ecclesiam Constantinopolitanam Schismate turbari. Inter Episcopos Africæ quoque jam diu discordiam gliscere, eorumque Legatos vehementer instare, ut in hac causa (*) respon- *ibid. c. 2.*

(*) Non apparet, quodnam hoc schisma, & qua

Sæculum IX. A. C. 893.

sponderet, nec non se multum postulationibus Mandatariorum ex aliis Regionibus fatigari. *Quare*, inquit, *statuimus, Concilium Generale convocare, cui prima Martii, Indictione undecima* (nempe anno octingentesimo nonagesimo tertio) *initium dabitur, vosque admonemus, ut sine cunctatione veniatis; sic enim mature deliberare, & ampliora Responsa ad propositas nobis quæstiones dare licebit.*

§. XVIII.

Guido & Lambertus Imperatores. Carolus Simplex Rex.

Illud quoque Formosus Papa in sua Epistola Fulconi significabat, quod eodem anno, Indictione decima, seu anno octingentesimo nonagesimo secundo Guidonem Imperatorem coronasset. Erat is Guido Dux Spoletanus Filius Lamberti, qui Joannem VIII. Papam tantopere torserat, Fulconi sanguinis propinquitate junctus.

Anno

---

qua de re dissensio inter Episcopos Africæ fuerit. Illud vero exinde liquet, non in Europa modo, sed etiam in aliis Orbis terrarum Partibus constantem Doctrinam & Disciplinam viguisse, in arduis negotiis vel ad Fidem, vel ad mores pertinentibus ad Sedem Apostolicam esse recurrendum.

Anno sequente 893. Formosus Lambertum quoque Guidonis filium coronavit. (*) Inter hæc vero Fulco Archiepiscopus coacto Remis Concilio, Episcopis & Proceribus præsentibus & consentientibus, Carolum juvenem Ludovici Balbi & Adelheidis filium anno ætatis suæ decimo quarto Regem proclamari curavit, qui vigesima octava Januarii anno octingentesimo nonagesimo tertio coronatus, postea Carolus simplex dictus est. (**) Nihilominus Odo in majore Franciæ parte regnabat, & in illis exordiis illi solummodo Optimates Carolum

Sæculum IX. A. C. 893.

(*) Consilium bonum! habere Imperatores in Italia & Romæ regnantes. Si modo tam potentes Italia dedisset Principes, qui & suæ Dignitati conservandæ, & Ecclesiæ Romanæ defendendæ pares fuissent.

(**) De hoc Carolo Simplice, Ludovici Balbi ex Adelheide filio posthumo, in Narratione Flodoardi Act. Conc. ad annum Christi 892. inserta, ex Epistola Fulconis ad Arnulphum Regem Germaniæ, hæc leguntur: *Denique de hoc quod audierat* (Fulco) *ipsi Arnulpho dictum fuisse, quod hic Carolus filius Ludovici* (Balbi) *non fuerit; asseverat, neminem se posse credere fore, qui eum si viderit, & parentem ipsius agnoverit, non agnoscat illum de Regali processisse progenie: quædam etiam signa Ludovici Patris sui gestare, quibus agnoscatur filius illius fuisse.*

Sæculum IX. A.C. 893.

rolum receperunt, qui privatis rationibus Odonis Imperium averſabantur.

§. XIX.

Balduinus Comes Flandriæ excommunicatur.

In eodem Concilio Remenſi Epiſcopi Balduino Flandriæ Comiti complurium delictorum reo Excommunicationem comminati ſunt. Is enim Sacerdotem virgis cædi juſſerat, & quibusdam Presbyteris ab illis Eccleſiis, in quibus ordinati erant, abſtractis, repugnantibus Epiſcopis, alios conſtituerat. Fundum Eccleſiæ Noviodunenſi a Rege collatum, & Monaſterium S. Vedaſti Attrebati uſurpaverat; tandem Sacramentum violaverat Regi præſtitum, & ab eo defecerat. Præterea diu ante ab Epiſcopis admonitus non reſipuerat. Ergo Concilii Remenſis Patres cenſebant, Balduinum Excommunicationis pœna dignum eſſe; verumtamen, cum penſarent, quantum hic vir Eccleſiæ & Reipublicæ prodeſſe poſſet, Cenſuram differendam eſſe, eique longius tempus, quo errata emendare poſſet, concedendum exiſtimarunt.

Flod. lib. IV. c. 7.

Hanc ſententiam Epiſcopi data Epiſtola Synodica Balduino ſignificarunt, & aliam ad Epiſcopum ipſius Diœceſanum,

num, nempe Dodilonem Cameracenſem, dederunt, qui, ad Synodum vocatus, excuſaverat ſe ob latrocinia Normannorum vias publicas infeſtantium. Hunc rogabant Epiſcopi, ut Comitem Balduinum ſevere exhortaretur ad emendanda præterita; Epiſcoporum Epiſtolam ei prælegeret, ſi præſens eſſet, abſenti vero eam per Archidiaconum ſuum transmitteret, qui ſenſum eidem diſerte explicaret. Si ad Balduini conſpectum pervenire non poſſet, Archidiaconus in aliquo loco, in quo ille Religioni illuſiſſet, ſe præſente literas publice recitari juberet. Poſtea vero, niſi Balduinus reſipiſceret, nemo nec Monachus, nec Canonicus, nec Chriſtianorum aliquis, ſub pœna anathematis, cum ipſo communicare præſumeret. Sæculum IX. A. C. 893. *ibid. c. 6.*

Si Hetilo Epiſcopus Noviodunenſis Attrebatum veniſſet, Dodilo ſe ad eum conferret, & cum ipſo deliberaret, quid ſecundum Canones agendum eſſet, & illud deinde datis literis Archiepiſcopo ſuo communicarent.

§. XX.

Formoſi Literæ in Franciam datæ.

Fulco, corona Regi Carolo impoſita, rem celeriter per Epiſtolas Papæ indicavit, petens conſilium & auxilium. Ille complures Epiſtolas hac in cauſa dedit; *ibid. c. 2.*

Sæculum IX. A. C. 893.

dit; imprimis ad Regem Odonem, quem exhortabatur, ut delicta, quorum postulabatur, expiaret, Regis Caroli nec Personam lacesseret, nec Bona occuparet, inducias concederet, dum Fulco Archiepiscopus Romam proficiscí posset. In

§. 3.

Epistola ad Galliæ Episcopos Pontifex instabat, ut eadem Regi Odoni suaderent, & inducias obtinere satagerent. Regi Carolo Responsoriam scripserat, salubria suggerens consilia, & panem benedictum, quem petierat, mittens.

At Arnulpho Regi Germaniæ minime probabatur, quod se inscio Carolus in Regiam Dignitatem fuisset assertus; sibi enim soli in totum Francorum Imperium jus competere ajebat. (*) Archiepiscopus Remensis, ut se de hoc facto apud potentissimum Principem purgaret, multum adlaboravit, rogavitque

§. 5.

Papam, ut ad eundem literas daret, quibus

(*) Id juris omnino Arnulphus posterorum ex Carolo Magno primogenitus sibi vindicari potuisset, si se ex legitimo toro natum probasset. At non jus modo, sed sæpissime unanimis populorum voluntas Reges facit. Ceterum illo Sæculo nec tam scrupulose ac hodie de matrimoniorum valore quærebatur, nec istam Natalium maculam Arnulpho vel a Summo Pontifice, vel ab aliis coævis Regibus objectam fuisse legimus.

bus Regnum Caroli turbari vetaret, sed contra hortaretur Arnulphum, ad mittenda Regi adolescenti & agnato auxilia. Postea datis literis Fulco apud Pontificem conquestus est, quod nec Arnulphus Carolo opem ferre, nec Odo militem Regnum ipsius depopulantem revocare voluisset, quin utrumque agros permultos Ecclesiæ Remensis occupasse, Odonem ipsam Civitatem obsidione cinxisse, denique, priusquam belli turbæ componerentur, iter Romam suscipere neutiquam sibi licere. Ceterum rogabat Papam, qui Lambertum juvenem Imperatorem filii loco habebat, ut inter ipsum & Regem Carolum fœdus amicitiæ conciliaret, Odonem vero aliosque Franciæ Optimates datis literis pacis consilia arripere, & Carolo de tanto Patrum suorum imperio saltem exiguam partem relinquere compelleret. Sæculum IX. A. C. 893.

Pontifex in Responsoria Archiepiscopi affectu, quo Lambertum Imperatorem prosequebatur, dilaudato, hortabatur, ut fidem eidem, utpote consanguineo, ad ultima servaret, promittens de se ipso, nunquam fore, ut Imperatoris juventutem destitueret.

De quibusdam aliis causis, quas Fulco ad Pontificem detulerat, rescripsit Formosus, quod excommunicasset, & anathemate percussisset Richardum, Ma-

Sæculum IX. A. C. 893.

nassem, & Ramponem, quod Teutboldo Episcopo Lingonensi oculos immani crudelitate eruissent, & Walterium Episcopum Senonum Sede sua pulsum in carcerem detrusissent. Præcipiebat ergo Papa, ut convocatis Suffraganeis suis hoc Judicium confirmaret. Præterea Papa Fulconem increpabat, quod Bertarium Presbyterum a Clericis populoque, Odone Rege consentiente, electum Episcopum Catalaunensem ordinare recusasset. *Quin imo*, addebat: *ajunt te, defuncto Episcopo, hanc Ecclesiam Herilando Episcopo Teruanensi tanquam Feudum contulisse, jamque te dicere, quod quemdam Mancionem, quem alii criminibus admissis inquinatum ferunt, Episcopum Catalauni ordinasses. Porro Bertarium, cum iter Romam susceperturus esset, a quodam, cui nomen Conradus, Vasallo tuo, ex Ecclesia abstractum, & unius mensis spatio in exilio detentum fuisse.* Unde Pontifex Fulconem cum Mancione, Conrado, & quibusdam aliis Episcopis Suffraganeis suis præstituto tempore Romam venire jubebat.

Formosus Fulconi.

Fulco autem Papæ perscripsit, Ecclesia Teruanensi a Normannis vastata, Herilandum Episcopum ad se confugisse, quem ipse, ut oportebat, excepisset, & vacantis Ecclesiæ, (nempe Catalaunensis

sis) Visitatorem constituisset, unde alimenta pararet, donec in illa Ecclesia alius Episcopus consecraretur. Sæculum IX. A. C. 893.

Quia vero Teruanensis Diœcesis a Barbaris ferocis ingenii incolebatur, quorum lingua etiam ab idiomate Francorum diversa erat, Papam consulebat, an Herilando ad Sedem vacantem translato, Teruanensibus suæ gentis Episcopum dare sibi liceret. Scripsit quoque Fulco cuidam Episcopo Romano, nomine Petro, petens, ut a Papa impetraret, Herilandum Teruana Catalaunum transferri posse, adducto Actardi Nannetensis exemplo. Ceterum pronum est conjicere, Bernarium, Rege Odone consentiente & approbante ad Episcopatum Catalaunensem evectum, propter Fautorem suum Fulconi Archiepiscopo fuisse invisum. Itaque cum Herilandum transferre non posset, Mancionem Catalauni Episcopum consecrare statuit, atque eo consilio Suffraganeos suos convocavit. Sed fuere, qui obsisterent; namque Honoratus Episcopus Bellovacensis non solum venire detrectavit, sed etiam Archiepiscopi sui molimina publice vituperavit. Nihilominus Mancion Episcopatum Catalaunensem obtinuit, habemusque aliquam ipsius Epistolam ad Fulconem Archiepiscopum datam, quam referre, operæ pretium videtur. c.6. p.625. p. 629.

Sæculum IX. A. C. 893.

Analect. to. 3. p. 438.

Cum quidam Presbyter, inquit, *nomine Angelricus, ex pago Vasnovia Parochiæ S. Lupi, illo tempore, quo Synodum celebrabamus, Catalaunum ad nos venisset, & convictus fuisset, accedente etiam propria confessione, quod in facie suorum Parochianorum, & consentientibus parentibus, cum femina, nomine Grimma, nuptias iniisset, in ipso autem temporis articulo, quo sponsam in domum suam deducturus erat, a viris quidam piis & fidelibus, (*) probibitus fuisset; re percepta omnes indoluimus, & priusquam in hac causa pronunciaremus, literas ad te mittere per eundem Presbyterum decrevimus, rogantes, ut, quid agendum sit, nos edoceas. Interim vero hominem a nostra Communione segregavimus.*

Nun-

(*) Ex his dispicimus, quam constans & perpetua in Ecclesia consuetudo, & quis sensus Fidelium de Sacrilegis Sacerdotum nuptiis fuerit.

Tam antiquam vero, tam venerabilem & ab Apostolis acceptam Disciplinam Lutherum monachum & Sacerdotem violare non puduit, cum suam sibi Catharinam, feminam votis solemnibus Deo consecratam, ad nefandum connubium rapuit; quem, si Jura Ecclesiastica Divinaque cohibere non possent, saltem honestas naturalis, qua rem, non malam, Deo promissam servare tenemur, a fœda lascivia revocare debebat.

Nunquam ante hujusmodi nuptiarum exemplum me legisse memini. Sæculum IX A. C. 893.

§. XXI.

Regula Monachorum Reclusorum.

Formosus Papa in quadam Epistola, ad Fulconem Archiepiscopum data, Presbyterum, quem magni faciebat, ad Episcopalem Dignitatem, si occasio se offerret, promovendum commendabat. Is Grimlaicus fuisse creditur, Regulæ Reclusorum auctor, aut certe ejusdem nominis Presbyter, cujus precibus dedit, ut eam scriberet. Solitarii, quibus traditur hæc Regula, Monachi erant Recluſi, qui Cellam ingrediebantur emisso voto nunquam exeundi. Nullus nisi diu multumque probatus admittebatur, accedente Episcopi vel Abbatis Monasterii illius consensu, namque Reclusorum cellulæ semper cuidam Monasterio jungebantur. Prælato licentiam tribuente, uno anno in Monasterio probabantur, quo tempore nunquam exibant. Tum votum Stabilitatis in Ecclesia coram Episcopo pronunciabant, & postquam Reclusus Cellam ingressus fuisset, ostium signo annuli sui Episcopus muniebat. *Ap. Flod. IV c. 3. Cod. reg. to. 2. p. 464.* *c. 15.*

Cellam exiguam esse oportebat, & firmissime clausam. Intus Reclusus omnia habebat necessaria, &, si Presbyter esset, etiam Sacellum ab Episcopo *c. 16.*

Sæculum IX. A. C. 893. consecratum, cum fenestra, qua Ecclesiam spectabat, per quam oblationem suam in Missæ Officio dare, cantantes audire, ipse cum Congregatione cantare, & ad se invisentibus respondere posset. Hæc fenestra duplici sipario nempe interiore & exteriore tegebatur, ne Recluſus quemquam videret, aut ipse a quoquam conspiceretur. Intra clauſtrum hortulus erat, ubi olera plantare, & auram liberius captare daretur. Extra clauſtrum, sed in cella contigua, habitabant ipsius Discipuli, qui per aliam fenestram Magistro ministrabant, aut docc. 17. centem auscultabant. Ad salutem animarum magis conducere credebatur, si duo tresve Recluſi in uno loco degerent; & tunc cellas habebant contiguas, cum fenestris, per quas communicare possent.
c. 16. Si quæ mulieres Recluſum consulere aut ei peccata sua confiteri vellent, id in Ecclesia omni populo spectante fieri oportebat.
c. 20. In eadem Regula Recluſi Sacram Scripturam & Scriptores Ecclesiasticos legere jubentur, unde se ipsos regere, tentationibus resistere, eosque, qui ad se Doctrinæ capiendæ causa venirent, erudic. 24. re discant. Ubi duo erant juncti, non alia loqui quam quæ ad spiritualem animæ profectum pertinebant, licebat. Tum alter alteri culpam dicebat. Recluſus

solus

solus, sibi ipsi culpam dicebat, & conscientiam solicite examinabat. Auctor Regulæ amare defiet corruptos ævi sui mores, præcepta Evangelii ex hominum memoria deleri, teporem ipsorum Reclusorum, quorum prima cura esset, cum hoc Institutum amplecterentur, quærere, an in Monasterio magna quiete fruituri essent, & nihil eorum, quæ vitæ humanæ subsidia sunt, sibi defuturum esset. Orationem mentalem præprimis necessariam Reclusis præcipit, & Communionem accipere, vel Missam celebrare singulis diebus approbat, si modo mente pura & rite disposita id fiat. Saeculum IX. A. C. 893. c. 27. 28. c. 31. c. 36.

Labor manuum præscribitur, ne Reclusus illis horis, quibus nec orat, nec legit, vacet. Postquam auctoritatem S. Pauli attulit hujus Regulæ Scriptor, ait: *Cum S. Apostolus Evangelium prædicans, nihilominus de gravi manuum suarum labore vixerit, qua fronte nos panem gratis nobis datum otiosi comedemus? Nos, inquam, qui non Prædicationis officio, sed sola propriæ animæ cura onerati sumus? Verum ideo S. Paulus non semper licentia sibi ob prædicationem Evangelii concessa utebatur, ut peccatores liberius corripere posset; vix enim satis constanter eos redarguimus, a quibus mercedem accipimus. Solitario Monacho, etiamsi aliunde haberet,* 2. *Thess.* 3. 7.

Sæculum IX. A. C. 893.

ret, unde viveret, nihilominus ſuis manibus laborandum eſt, ut corpus caſtiget, mentem puram conſervet, vagas cogitationes figat, & cellulæ ſuæ tranquillitatem amet.

c. 40. Laboris tempus a Tertia usque ad Nonam, nempe totum ſex horarum ſpatium, conſtituitur, aut etiam longius, ſi
c. 41. id paupertas exigat. Verum Solitario monacho ſponte a Fidelibus oblata accipere licet, quibus vel propriam vel pauperum inopiam ſublevet.

c. 48. Quando Recluſus ægrotabat, aperiebatur oſtium, ad ferendum auxilium; ipſi vero quocunque demum prætextu
c. ult. exire non licebat. Balneum in cellula habere, & ſi eſſent Sacerdotes, quotiescunque videretur, lavari eis permitteba-
c. 51. tur. Nam iſta mundities externa ad SS. Myſteria accedentibus convenire
c. 37. credebatur. Ceterum hæc Conſtitutio maximam partem ex Regula S. Benedicti & Textibus SS. Patrum excerpta, ubique & teneram & ſolidam pietatem ſpirat.

§. XXII.

S. Geraldus Auriliacenſis.

Act. SS. Be. Sæc. 5. p. 7. 9. Sub idem tempus S. Geraldus, Comes Auriliacenſis in Arvernia, inſigne hoc prœdium ad fundandum Monaſterium delegavit; ſed, completa fabrica, anxiebatur,

batur, ubi posset reperire Monachos, Regulam exacte observaturos. Misit igitur pueros nobiles ad Vabrense Cœnobium, ut in illa Congregatione norma vivendi monastica imbuerentur. Cum vero iidem pueri sine Magistro reverti jussi fuissent, brevi tempore molliter resoluti rigorem Disciplinæ neglexerunt, illo quoque, quem ceteris præfecerat, in teporem prolapso. Cœnobium Vabrense, quod hodie Ecclesia Episcopalis est, jam anno octingentesimo sexagesimo secundo Raimundus Comes Tolosanus fundaverat, ut obsequeretur desiderio cujusdam S. Abbatis, nomine Adalgisi, qui a Barbaris Palmatio in regione Petricoriensi pulsus, cum decem monachis, quos regebat, ad Comitem Raimundum se receperat. Sæculum IX. A. C. 893.

S. Geraldi nobilissimum Genus fuit. Alterius Geraldi, etiam Auriliaci Domini, Comitis opulentissimi & piissimi, filius, anno octingentesimo quinquagesimo quinto in lucem editus, in timore Dei educatus est. Grandior deinde, quod adolescentes ceteri ex primis stirpibus orti solebant, venatione & armis exercitari jubebatur; sed cum infirma valetudine diu ab armis tractandis prohibitus, ex mandato parentum plus temporis lectioni tribueret, bonis literis usque adeo captus est, ut postea sanitati *ibid p. 6. Vit. per Odon. lib. 1. c. 4. 5.* S. Geraldi vita.

Sæculum IX. A.C. 893.

restitutus, earum studium nunquam dimiserit, & quamvis artis militaris non esset ignarus, omnes propemodum S. Scripturæ Libros intellexerit. Parentibus defunctis latissimorum fundorum, plurimorumque servorum agros excolentium Dominus ad eos regendos secundum Justitiæ & Prudentiæ leges totus incubuit.

c. 6.

Cum aliquando in coloni filiam formæ eximiæ oculos licentius conjecisset, puellæ specie illectus & patrem & filiam in domum suam venire jussit; ulterius vero non insanivit, sed domita libidine, noctu & tempestate perfrigida e domo se proripuit, & deinde puellam, prope pellicem, dimissam honesto viro in matrimonio tradidit.

c. 9.

Exinde S. Geraldus plus toto anno oculorum usu privatus est; quod in pœnam admissæ noxæ sibi evenisse credidit, & nunquam postea fœminas in domo sua versari passus, magno rigore corpus macerare cœpit. Nuptiis renunciavit; unde Guilielmi Ducis Aquitaniæ sororem, pluresque alias e præclaro genere sponsas sibi oblatas accipere noluit. Amicis vero suggerentibus, quod nobilissimæ suæ, ex qua ipse ortum traxisset, familiæ filios & nepotes deberet, respondere solebat; præstare improlem mori, quam liberos degeneres relinquere.

c. 10.

c. 11.

S. Geral-

S. Geraldus debilium & oppreſſorum Defenſor, ad eos ſolum protegendos arma corripiebat. Cum enim temporum illorum calamitas & Regum infirmitas cauſas in Judicio decidi raro permitterent, Proceres, Regum more, graſſatorum vim repellere cogebantur; unde etiam Geraldus, vir pacis & quietis amantiſſimus, viris ſapientiſſimis id ſuadentibus, vim armorum latrocinantibus opponere ſtatuit. Summa autem moderatione habebat devictos, ſanguini parcebat, captivos generoſo animo fovebat. Unde in his velitationibus ſæpiſſime hoſtibus ſuperior extitit, multisque viſum, Geraldum non ſine Numine Cælique ſingulari favore in adverſa agmina movere. Sæculum IX. A. C. 893. c. 7. 8.

Eleemoſynas largiſſime diſtribuebat, nullum mendicum dimittere vacuum ſolitus. Non nunquam menſas pro pauperibus ſterni jubebat, &, cum cibi inferrentur, aderat, quos deguſtabat etiam, ut ſciret, an ſatis laute haberentur. Namque culinæ præfecti cibos ſemper paratos reponebant, quos ſupervenientibus famelicis præberent. Præter pauperes autem peregrinantes, certum eorum numerum ſingulis diebus alebat; dum interim ipſe parce admodum cibum ſumeret. Nunquam cœnabat, ad veſperam leviſſima refocillatione contentus. Ad pran- c. 14. c. 15.

Sæculum IX. A. C. 893. prandium fercula inferebantur, quantum sat erat; viros doctos menſæ adhibebat aut pios, quibuscum de his, quæ ſuper menſam legebantur, diſſerebat. Aliis diei horis negotia diſponebat, litigantes conciliabat, familiares inſtruebat, Hoſpitia inviſebat, ſacram Scripturam legebat. Ter in hebdomada jejunabat, & ſi in diem jejunii Feſtum incideret, jejunium in aliam diem differebat; ſi autem in Dominica jejunandum fuiſſet, una die maturius, nempe Sabbato abſtinebat. Quod deinde in univerſa Eccleſia receptum. *c. 16.* Veſtibus holoſericis, aut valde pretioſis non utebatur, & in quibuscunque Solemniis ſemper amictus Viri Sancti implicitatem & modeſtiam prodebat.

Lib. II. c. 17. Septies ſaltem legitur Romam fuiſſe peregrinatus, ut limina S. Petri veneraretur, cui etiam Cœnobium ſuum Au-*Lib. V. c. 2.* riliacenſe ſacrum eſſe voluit. Quin & ipſe totum ſe Deo in illo monaſterio conſecraſſet, niſi aliud perſuaſiſſet Gausbertus Epiſcopus Cadurcenſis, Conſcientiæ ipſius Moderator, qui ſe conſulentem admonuit, quod utilior proximo ſuo in Principatu, quam in monaſterio futurus eſſet. Ex eo vero tempore vitæ rigorem *Mart. Rom.* auxit. Obiit S. Geraldus anno Chriſti *13. Octobr.* circiter 909. decima tertia Octobris, qua die Eccleſia ejus memoriam colit.

§. XXIII.

Sæculum IX.
A. C. 894.

§. XXIII.

Concilium Cabilonense.

Adalgario Episcopo Augustodunensi † fatis functo, Gerfredum Diaconum & monachum Flaviniacensem rumor publicus accusabat, quod piissimum Patrem lethali veneficio extinxisset; idque facinus toti Ecclesiæ Gallicanæ horrendum videbatur. Pertinax fama Gerfredum eo atrocius perculit, quod magna beneficia a defuncto Præsule accepisset. Cum ergo Galonem Episcopum Adalgarii Successorem consuluisset, quid sibi agendum, ut infamiam effugeret. Is vehementer hortari cœpit; rem sincere fateretur, si sibi criminis conscius esset. Tum Gerfredo reclamante, se omnino insontem esse, Galon nolens tanti momenti causam solus definire, convocavit Synodum Provincialem, quæ prima die Maji anno Salutis octingentesimo nonagesimo quarto, Indictione duodecima, celebrata. Huic Concilio præfuit Aurelianus Archiepiscopus Lugdunensis, qui in Actis ad nos usque delatis Primas totius Galliæ dicitur. Cum Archiepiscopo aderant Suffraganei ipsius, Galon Augustodunensis, Ardradus Cabillonensis, Geraldus Matisconensis, Sanctorum numero adscriptus, & Teutboldi Lingonensis Legati. Ergo Concilium in Ecclesia S. Joannis

to. 7. Conc. p. 437.

† Æduensi vel Æduorum.

Gall. Chron.

Sæculum IX. A. C. 894.

nis Baptistæ in suburbio civitatis Cabilonensis congregatur, & Gerfredo monacho præsente, ejus causa secundum Canones ad examen vocatur. Cum autem nullum contra ipsum appareret argumentum, & post tertiam proclamationem nullus prodiret accusator, decretum est, ut ad scandalum tollendum in proxima Synodo Diœcesana a Gallone celebranda se de hoc crimine purgaret, in testimonium suæ innocentiæ Sacram Communionem accipiens.

Ut huic Decreto obsequeretur, Galon Synodum suam habiturus in Monasterium Flaviacense se contulit, ubi in Ecclesia S. Petri Sacris publice operans, moneri jussit Gerfredum monachum, ad Communionem accederet, vel secundum conscientiæ suæ testimonium recederet. Ille non dubitavit accedere, Deumque testem, & Sacramentum, quod sumpturus erat, invocans, inspectantibus omnibus communicavit. Ut vero imposterum a calumnia tutum præstaret, Galon Episcopus eidem literas authenticas dedit, quibus cum Episcopis Cabilonensi & Matisconensi subscripsit. Aurelianus Archiepiscopus Lugdunensis haud diu post hoc Concilium e vivis abiit, nimirum anno, ut complures credunt, octingentesimo nonagesimo quinto, quem sua Ecclesia cultu Sanctis debito prosequitur.

Elog. Mabil. tom. 6. p. 504.

Sedem

Sedem Lugdunenſem annis viginti te- Sæculum IX.
nuit, & Alvalonem Succeſſorem habuit. A. C. 895.

§. XXIV.

Concilium Triburienſe.

Eodem anno octingenteſimo nonageſimo quinto, menſe Majo, Indictione decima tertia, Rex Arnulphus, cum in Palatio ſuo Triburienſi prope Moguntiam verſaretur, Concilium Generale ex omnibus provinciis ſibi ſubditis celebrari juſſit, cui interfuere Epiſcopi viginti duo, nempe Hatto Archiepiſcopus Moguntinus, Hermannus Colonienſis, & Ratbodus Trevirenſis. Hatto ſeu Otto, hujus Synodi Præſes, antea Abbas Augiæ divitis, Sunzoni, ſeu Sunderoldo, cum in pugna ad Cliviam contra Normannos dimicaret, interfecto ſucceſſerat. Porro Rudolphus Epiſcopus Herbipolenſis Arni, in acie contra Sclavos anno octingenteſimo nonageſimo ſecundo cæſi, & poſtea SS. Martyrum numero adſcripti, Succeſſor erat, vir nobiliſſimæ proſapiæ & multarum imaginum, ſed cujus vita plurimis non probabatur, & vires ferendo oneri Epiſcopali impares credebantur. Præter Epiſcopos in hoc Concilio aderant complures Abbates; atque etiam ad Regem omnes Imperii Proceres confluxerant.

Regin. an. 895.
tom. 9. *Conc.* *p.* 439.
Reg. an. 891.
Id. 892.
Ditm. lib. 1.
Præf. Conc.

Indicto

Sæculum IX. A.C. 895.

Indicto igitur trium dierum jejunio, precibusque publicis, populo ad Ecclesiam procedente, peractis, Rex Palatium ingressus & in throno, vestium splendore omnium oculos perstringente, sublimis, de salute Reipublicæ & Ecclesiæ pace deliberare cœpit, Episcopis interea in Ecclesia ejusdem loci congregatis, qui missis ad Regem Mandatariis, suo nomine interrogare jubent, an potentia a Deo sibi concessa ad protegendam Ecclesiam, ejusque auctoritatem confirmandam uti vellet. Remisit Rex, qui responderent; si curæ ipsis præprimis fuisset, Ministerio suo digne fungi, nunquam se commissurum, ut Sacerdotum Decreta a quoquam impune contemni sineret. Tunc vero Episcopi de sedibus suis surgentes exclamare: *Exaudi nos, Domine!* vivat Arnulphus, Regum maximus! pulsantur campanæ, *Te Deum Laudamus* decantatur. Mox coram Regis Legatis inclinato capite petunt, ut suo nomine gratias dicerent. Ergo cum Episcopi de rebus ad Ecclesiam pertinentibus deliberant, intrat Rex, & vicissim Episcopi ad Regium consilium adhibentur. Ceterum quæ hoc Concilium præcesserunt, & quæ secuta sunt, suspicandi ansam præbent, Regem ad illud convocandum non tam Ecclesiæ quam reipublicæ causa fuisse permotum. Namque,

Regin. an. 894. 895.

anno

anno superiore, cum Arnulphus, Comitiis Wormatiæ coactis, Lotharii Regnum filio suo Zwentiboldo, ex Concubina genito, conferre cuperet, obstiterant Proceres; at Triburiensi Conventu soluto, eodem anno octingentesimo nonagesimo quinto, cum alium Wormatiam convocasset, Zwentiboldum, Regem Lotharingiæ, consentientibus omnibus Principibus proclamavit. Sæculum IX. A. C. 895.

In Concilio Triburiensi Canones quinquaginta octo conditi, qui ferme omnes ad reprimendam improborum vim tendunt, vetantque crimina manere impunita. Quidam Presbyter coram Episcopis querebatur, se utroque lumine fuisse orbatum ob crimen non admissum, suamque innocentiam Episcopi sui testimonio comprobari. Episcopus quidem virum illum laicum, qui Presbyterum oculis privaverat, congregata Synodo in Judicium vocaverat, sed ipse ad Concilium provinciale appellaverat. Unde Episcopi hujus viri nocentis temeritate excitati missis ad Regem Arnulphum Legatis quærunt, quid de hoc Laico, aliisque peccatoribus contumacibus, & excommunicatis, pœnitentiæ subdi nolentibus, decerneret, simulque Canones excerptos mittunt, quibus omnes Christiani cum quocunque excommunicato communicare prohibebantur. Arnulphus Rex in Concilio. c. 2.

Sæculum IX. A.C. 895.

Rex responsum edidit in hunc modum: *Omnibus Comitibus nostri Regni*

c. 3. *præcipimus, excommunicatos pœnitentiam Ecclesiasticam, recipere pertinaciter recusantes, comprehendere, & ad nos perducere; si ipsos capere volentibus resistant rebelles, & in tali colluctatione occidantur, Episcopi nullam pœnitentiam interfectoribus injungant, nos eosdem a pecuniaria mulcta, quam leges præscribunt, eximimus, & cæsorum propinqui sacramento se obstringant, quod nullo tempore vindictam cogitare velint.*

c. 4. Deinde mulctæ modus statuitur, quam ille secundum leges Barbarorum solveret, qui vulnerasset vel contumeliis violasset Presbyterum; si vero eum interemisset, pœnitentiam subire cogebatur hujusmodi: Annis quinque a carnium esu, & vino abstineat, quotidie usque ad vesperam jejunet, exceptis Dominicis & Festis, arma non portet, pedibus proficiscatur, Ecclesiam non intret,

c. 5. sed ad portam oret. Annis quinque ita exactis, Episcopus ei Ecclesiam intrare concedat, sed inter Auditores stet, & non communicet. Post decem annorum spatium communicare licebit, & equo vehi, verum ceteros pœnitentiæ articulos ter in septimana servet.

c. 54. 55. Cujuscunque homicidii voluntarii pœnitentia ad septennium extenditur.

Primo,

Primo, percussor quadraginta diebus ab Ecclesia exclusus in pane & aqua jejunet, nudipes incedat, nullo lineo amictu nisi femoralibus utatur, armatus nunquam conspiciatur, nec equo, nec curru iter faciat, ab uxore se contineat, & cum ceteris Christianis non communicet. Si ægrotet, aut ei inimici insidientur, pœnitentia differatur. Post dies quadraginta, adhucdum uno anno ab Ecclesiæ ingressu arceatur, carne non vescatur, nec caseo, nec vinum, nec quemcunque liquorem melle dulcoratum bibat. Si morbo vexetur, aut iter faciat, pœnitentiam diei Martis, Jovis, & Sabbati uno denario, aut alendo tres pauperes, permutare liceat. Elapso anno Ecclesiam intrare possit, & duorum annorum spatio eandem pœnitentiam peragat, concessa sibi licentia relaxationem hujus rigoris tribus diebus in hebdomada prædictis operibus repensandi. Annis deinde quatuor sequentibus ter diebus quadraginta jejunet, nimirum ante Pascha, ante Festum S. Joannis, & ante Nativitatem Domini. Iisdem quatuor annis solum feria quarta & sexta jejunet; quin & feriam quartam eleemosynis redimere possit. Septem annis exactis reconcilietur, & Communionem accipiat. Si quis hominem dato veneno necaverit, pœnitentia in duplum augeatur.

Sæculum IX. A. C. 895.

Pœnitentia Homicidæ.

c. 56.

c. 57.

c. 58.

Sæculum IX. A C. 895.

Ex his videmus, necdum consuetudinem fuisse introductam in Sabbato jejunandi, sed Disciplinam pœnitentiæ publicæ viguisse, secundum diversos gradus, quos primorum Sæculorum Canones constituerant, & quales in Concilio Ancyrano, atque in Epistolis S. Basilii ad Amphilochum legimus.

c. 50. c. 58. Sup. Lib. X. §. 16. L. XVII. §. 14. Can. 26. 27.

Clerici & Monachi Apostatæ, mulieres Deo Sacræ contemptis votis Religiosis nubentes, varii generis connubia illicita, præsertim nuptiæ inter adulterum & adulteram, qui in necem primi mariti conspirassent, damnantur.

c. 23 24. c. 43. &c.

Vir liber mancipium, concubinæ, (*) non autem uxoris titulo, alere possit. Si autem libertam duxerit, tanquam legitimam uxorem habeat. Diversitas Nationum & legum nuptias non impediat; unde Francus mulierem ex Bavaria aut Saxonia ducere possit, si modo ea, quæ formulæ contractus civilis desunt, suppleantur.

c. 4. c. 38.

Qui citatus ab Episcopo venire contempserit, quadraginta diebus in pane & aqua jejunet. Si dies, qua Episcopus Diœcesim suam visitans conventum indixit, forsan illa ipsa sit, qua Comes populum ad negotia forensia convocavit, popu-

c. 3. c. 8. c. 9.

(*) Id est, nomine uxoris in foro poli, & non in foro fori.

populus poſtpoſito Comitis mandato E- Sæculum IX.
piſcopo obediat, namque ipſe Comes A. C. 895.
præcipienti Epiſcopo morem gerere te-
netur. In illa civitate autem, in qua E-
piſcopus reſidet, ſi Comes prior cœtum
indixerit, ipſius mandatum præferendum
eſt. Comites pœnitentes in judicium c. 35.
non vocent, ne eos a ſpiritualibus pœni-
tentiæ operibus abſtrahant. Judicii c. 30.
diem nec in Quadrageſima, nec aliis die-
bus jejunii, nec in Dominicis, nec in Fe-
ſtis indicant. Si quis Clericus accuſe-
tur, quod falſas Papæ Epiſtolas attulerit
ad perturbandam Diſciplinam Eccleſia-
ſticam, Epiſcopus eum in carcerem mis-
ſum detineat, donec Reſponſum a Papa
acceperit, quas pœnas hic falſarius ſe-
cundum legem Romanam dare compel-
lendus ſit.

Canones veteres renovantur, ne Pres-
byteri pro ſepultura mercedem exigant, c. 15. 16. 17.
ne quemquam in Eccleſia ſepeliant. Sa-
cra Myſteria in calicibus aut patenis li- c. 18.
gneis non peragantur. Non conſecre-
tur vinum ſine aqua, ſed duæ partes vi-
ni & tertia pars aquæ infundantur. Er- c. 19.
go illa ætate minima aquæ gutta ſuffice-
re non credebatur. Servus non ordi-
netur, niſi plenam libertatem conſecu-
tus.

Si Hæredes, quibus Patronatus cu- c. 29.
jusdam Eccleſiæ competit, de nominan- c. 32.

Sæculum IX. A. C. 895.

c. 9.

do Presbytero non consentiant, Episcopus Reliquias auferat, portas claudat, Sigillum apponat, ne quis in ea Sacris operetur, donec inter Patronos convenerit. Hi sunt Concilii Triburiensis (*) Canones, qui mihi præ ceteris memoratu digni videbantur. In eo etiam de causa Hermanni Archiepiscopi Coloniensis, & Adalgarii Bremensis actum. Rescissa sunt privilegia Pontificum & Regum edita, de Civitate Hamburgensi in Dignitatem Metropolis evehenda & cum Ecclesia Bremensi conjungenda. Hæc enim in ordinem Ecclesiarum Episcopalium redacta, & Ecclesiæ Colonienſi subjecta est; unde in Subscriptionibus Concilii Adalgarius loco decimo quarto, ut Episcopus Bremensis, legitur. Hæc omnia Formosi Papæ & Arnulphi Regis auctoritate confirmata.

Adam. Brem. lib. I. c. 41.

§. XXV.

(*) Huic Concilio omnes ferme Episcopi Bojoariæ interfuere. Nam proxime post nomina trium Archiepiscoporum Moguntini, Colonienſis, & Trevirensis legitur: *Waldo Frisingensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsi. Erchanbaldus Eistatensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsi. Tuto Radasbonensis Episcopus. Adalpero Augustensis Episcopus.*

Nomina Salisburgensis, & Passavienſis non occurrunt. Sed aliquis in Ecclesia Augustana S. Udalrici Antecessor notatur.

Sæculum IX.
A. C. 896.

§. XXV.

Arnulphus Imperator. Formosi obitus. Stephanus Papa.

Haud diu post celebratos Conventus Triburiensem & Wormatiensem Arnulphus Rex iter in Italiam suscepit, quo eum Berengarius, Guidone viribus inferior, & Formosus Papa vocabant. Guidonem fuga abstulit, & Arnulphus Romam diu obsessam assultu in potestatem (*) redegit, anno octingentesimo nonagesimo sexto. *Regino.* 895. 896. *Luitpr. L. I. c.* 8.

Ergo Formosus Regem perhonorifice exceptum coram Confessione S. Petri Imperatorem (**) coronavit; Arnulphus vero, ut injurias Papæ illatas ulciscereturtur, complures ex Optimatum Roma-

(*) Ajunt, milites Arnulphi lepusculum e dumetis fors excitum & Urbem versus diffugientem persecutos fuisse ingenti clamore, quo perterriti præsidiarii stationes prodidissent.

(**) Quid ergo de eo sentiendum, quod idem Pontifex Guidonem & Lambertum anno octingentesimo nonagesimo secundo Imperatores coronaverit? Nempe tunc amicos habebat, quos nunc hostes experiebatur. Sed cum illa tempestate Italia, & maxime Roma, diris motibus concuteretur, nec omnia Scriptores accurate literis mandaverint, de omnibus ratio reddi non potest.

Sæculum IX. A C. 896.

norum præcipuis, qui, cum in Urbem inveheretur, obsequii causa obvios se se intulerant, capite plecti jussit. Tum Populus Romanus fidem Arnulpho Imperatori juravit, salvo fidelitatis (*) vinculo, quo Formoso Papæ obstringebantur; tandemque Imperator, postquam Guidonem & uxorem (**) ipsius fuisset persecutus, mense Majo in Bavariam reversus est.

Ann. Fuld.

Inter hæc, Formoso Papæ in die Paschæ, decima quarta Aprilis eodem anno octingentesimo nonagesimo sexto, postquam S. Petri Sedem annis quatuor & dimidio tenuisset, fatis functo, suffectus est Bonifacius, Romanus, Hadriani filius, olim ab ordine Subdiaconatus & deinde ab ordine Presbyteratus depositus.

Bonifacius Antipapa.

(*) Rem haud ita facilem promittebant Romani; cum Christus Dominus dicat in Evangelio: *Non potestis duobus Dominis servire.* Matth. XXIV.

(**) Fleurius quidem hæc silentio præterit, sed in aliis Scriptoribus legimus, Lamberti matrem, quam unacum filio Arnulphus in Arce Camerinensi obsidebat, pocillatorem Imperatoris data pecunia solicitatum ad tetrum facinus impulisse, ut Domino suo venenatam potionem porrigeret. Exinde Arnulphus non tam vivere, quam languere visus est, Regum Germaniæ primus, qui in Italia perniciem sibi invenit.

tus. Populari factione electus, post quindecim dies podagræ doloribus consumptus expiravit. Successit Stephanus VII. Romanus, cujusdam Presbyteri, cui nomen Joannes, filius, seditque mensibus quindecim. Sæculum IX. A. C. 896. *Flod. d. vers. to. 4. Act. Be. p. 605.*

§. XXVI.

Fulconis Epistolæ ad Papam & Regem.

Fulco Archiepiscopus Remensis datis ad Stephanum VII. sicut antea ad Antecessores ejus, literis, professus est, quam addictus esset Sacræ Sedi, & quam vehementi desiderio teneretur ad limina Apostolorum proficiscendi, nisi variis obstaculis impediretur. Illud quoque perscripsit, quod Odonem & Carolum Reges reconciliasset. At Papa in Responsoriis Fulconem increpabat, quod Romam non veniret, cum tamen complures alii hoc iter susciperent. Tum subjungebat: *Statui Concilium mense Decembri, proxima Indictione decima quinta* (nempe eodem anno octingentesimo nonagesimo sexto) *celebrare, quo si non veneris, Censura Canonica te feriam.* Archiepiscopus respondit: *Nulla ratione fieri potuit, ut hoc tempore ipse Romam proficiscerer. Quare Episcopum, & Clericos ex mea Ecclesia ad* *Flod. IV. c. 4.*

Sæculum IX. A. C. 896.

te mitto, qui hujus rei causam tibi exponant. Plura in his literis nolo addere; durissime enim a te increpor sine merito meo; attamen hucusque Antecessores tui leniter me habuerunt. Sed confiteor peccata mea, & rogo, ne sermonibus hominum, in quibus nulla charitas, aures præbeas. Ceterum ab ineunte ætate in Disciplina Canonica educatus, a Rege Carolo Ludovici Imperatoris filio in Regiam evocatus, usque ad Regis Carlomanni tempora ibi permansi, cum me Episcopi Provinciæ Remensis a Clericis populoque electum ordinarunt. Ab aliis autem audies, si quæsieris, quo in statu hanc Ecclesiam invenerim, scilicet a Paganorum incursionibus misere devastatam. Referent etiam tibi, si æqui rerum æstimatores sint, quanto labore mihi pax & tranquillitas reducenda fuerit. Pronum tibi est igitur judicare ex moribus, quos ante susceptum Episcopatum exhibui; me jam isto pastorali munere non delectari sed onerari. Nihilominus ibo aliquando, & prosternar pedibus Sanctitatis tuæ, si licentiam hanc a Rege Odone impetravero, & viam a latrocinantium insidiis liberatam nactus fuero. Hodie autem quis se viæ dare audeat, Zwentiboldo Regis Arnulphi filio in his partibus grassante, & invadente ipsam Ecclesiam Remensem, cujus Bona in Vassallos

sallos suos conferre audet? Rogo, ut apostolica auctoritate hujus viri tyrannidem reprimas. Nempe Zwentiboldus, ut Regnum Lotharingiæ obtineret, bellum gerebat, in quo anno nongentesimo occubuit. Sæculum IX. A C. 900. *Reg. an.* 890.

Ceterum cum ad eundem Archiepiscopum Remensem delatum fuisset, Regem Carolum fœdera cum Normannis meditari, quo eorum armis adjutus Regnum firmaret, literas ad eum dedit in hunc ferme modum: *Quis fidelium servorum tuorum non expaveſcat, cum te Divini Nominis hostium societatem & amicitiam quærere videt? Nihil differt, Infidelibus jungi, aut Deum negare, & Idola adorare. Ad imitandum ea, quæ continuo conspicimus, quadam vi, cui varo resistimus, impellimur, iisque paulatim assuescimus. Reges, Majores tui, abjecto Idolorum cultu, semper auxilium Dei expetierunt; unde & feliciter regnarunt, & Regiam potentiam in filios transtulerunt. Tu autem a Deo recedis, & cum superiorum temporum calamitatibus terminos ponere, latrones punire, pauperes oppressos liberare, & pœnitentiam agere deberes, gravius iram Dei provocas, quia illis jungeris, qui eum non noverunt. Crede mihi, Fili mi, nunquam talibus adjutoribus Regnum stabities. Spem bonam de te conceperam; sed heu!* *Flod. IV. c. 5.*

Sæculum IX. A. C. 896.

heu! video, te unacum illis, quorum consilia sequeris, in perniciem ruere. Verum, obtestor te per Dei altissimi nomen, abjice istam mentem, noli rem facere, mihi, ceterisque fidelibus servis tuis æterni doloris materiam. Præstaret, te nunquam lucem aspexisse, quam ope Diaboli regnare. Tandem scias velim, si facinus, quod omnes probi abominantur, admiseris, me tibi ultra non fore fidelem. Quin & alios, quotquot potero, tuo imperio subtraham, cum aliis omnibus Episcopis, Fratribus meis, conjunctus damnabo te, & anathemate perpetuo feriam. Hæc dolens gemensque tibi scribo, quia fidelissimus tibi sum, teque non auxilio Satanæ, sed JEsu Christi feliciter & diutissime regnare exopto.

§. XXVII.

Stephani VII. exitus. Romanus. Theodorus II. Joannes IX. Pontifices.

Luitpr. l. 1. c. 8. Flod. vers. p. 606.

Stephanus VII. Papa Concilio, quod indixerat, celebrato, Formosum Antecessorem suum (*) damnavit, & mortuum

(*) Hic dicit Natalis Alexander: *In Formosum Decessorem suum sæviit, instigante potissimum*

tuum exhumari jussit; in medium Conventum infertur defunctus, in Cathedra Pontificia Sacerdotalibus indumentis ornatus collocatur, datur Causidicus, qui ipsius nomine responderet. Tum cadaver, quasi viveret, allocutus Stephanus, *cum Portuensis esses Episcopus*, ait, *cur ambitionis spiritu Romanam Sedem usurpasti?* Sententia deinde pronunciata, Sacris vestibus exuitur, tres digiti abscinduntur, & tandem caput, moxque in Tiberim projicitur. Stephanus Papa omnes deinde a Formoso ordinatos deposuit, & iterum ordinavit. Sed non diu post furoris pœnas dare cogitur; quippe ab inimicis Sacra Sede dejectus, & in carcerem teterrimum detrusus, strangulatus est. Sæculum IX. A. C. 896.

Stephani VII. Successor fuit Romanus, patria Galesianus, Constantini filius, quo

---

tissimum Sergio, qui contra ipsum Antipapa fuerat.

Nam notandum, quod Fleurius silentio præteriit, videlicet defuncto Stephano VI. factionem Comitum Tusculensium Sergium voluisse intrudere, quem ad Altare stantem jamque veste Pontificia induendum Romani abstraxerunt, & Formosum substituerunt, proclamantes, hunc Virum pium, justum, profanis sacrisque scientiis clarum, Summo Sacerdotio dignum esse. P. Ed. Pock.

Sæculum IX. A. C. 897.

quo necdum expleto quatuor menſium ſpatio defuncto, eligitur Theodorus Patria Romanus cujusdam Photii filius, vir ſobrius, caſtus, in pauperes largus, Clericis cariſſimus, pacis amans. Sed viginti non plus dierum Pontifex migravit e vita. Nihilominus breviſſimo hoc tempore pacem reducere in Eccleſia omnibus viribus contendit. Epiſcopos e Sedibus ſuis pulſos revocavit, Clericos a Formoſo ordinatos & a Stephano depoſitos reſtituit, ſacras veſtes reddidit, & munere ſuo fungi juſſit. Formoſi corpus a piſcatoribus inventum, ſolemni pompa ad Apoſtolicam tumbam referri præcepit. Qua in translatione complures viri pii affirmarunt, Formoſi corpus a Sanctorum imaginibus in tranſitu fuiſſe ſalutatum.

Auxil. L. II. c. 4. in fi.

Luit. c. 8.

Flod. vers.

Theodoro ad Superos translato, ſcinduntur in partes Romani, aliis Sergium Presbyterum, aliis Joannem patria Tiburtinum Rampoaldi filium eligentibus. Sed vicerunt Joannis fautores. Sergius, Roma ejectus, in Tuſciam ad Marchionem Adalbertum ſe recepit, ubi annis ſeptem commoratus eſt. Joannes IX. S. Sedem tenuit duobus annis, celebravitque tria Concilia. Duorum vero, quorum alterum Romæ, alterum Ravennæ congregatum, Canones ad nos usque pervenerunt.

§. XXVIII.

Sæculum IX.
A. C. 896.

§. XXVIII.

Concilium Romanum.

Postquam Arnulphus Imperator ex Italia rediisset, anno octingentesimo nonagesimo sexto, & Guidonem eodem anno mors abstulisset, Berengarius Dux Forojulienſis collectis viribus Imperator coronari voluit, & Conjectura est a Stephano VII. fuisse coronatum. Paulopost vero a Lamberto Guidonis Filio, quem Formosus anno octingentesimo nonagesimo tertio coronaverat, pulsus est. Ergo Lamberti auctoritate suffultus Joannes IX. Papa Concilium Romæ habuit, in quo ante omnia alia lectus est Libellus de Statu Ecclesiæ, & remediis ad pacem stabiliendam necessariis. Tum Joannes Episcopus Aretinus dixit: *Nos quoque petimus ut Libellus ad examen vocetur.* Petrus Episcopus Albanensis: *Jubetne Papa, ut Concilium sub Theodoro Papa celebratum legatur?* Illo perlecto Amolon Episcopus Taurinensis dixit: *Secundum Canones agitur, cum injuste damnatus absolvitur, & cum spoliatus restituitur.* *Musæ Ital. Mabill. to. 1. p. 86.*

Lectum est deinde Concilium Joannis Papæ, nempe illud, in quo Joannes VIII. Formosum damnaverat. Amolon deinde quæsivit; an non legendum esset Concilium sub Stephano VII. contra *Sup. Lib. LII. §. 31.*

Sæculum IX. A.C 897.

tra Formosum celebratum? Quod etiam lectum est. Ubi vero ad illum locum perventum, quo Paschalis, Petrus & Silvester Formosum perjurii postulaverant, & contenderant, ad Communionem Laicam fuisse redactum, interrogantur, an vera essent, quæ legebantur. Responderunt, non esse vera, addiditque Paschalis, se illi Concilio non interfuisse. Omnibus autem illius Concilii Actis perlectis Joannes Aretinus dixit: *Jam ergo profiteantur, an interfuerint.* Petrus Albanensis dixit: *Interfui, sed non subscripsi.* Petierunt deinde, ut sibi mora concederetur, qua impetrata surrexerunt omnes tres Petrus, Silvester, & Paschalis, & interrogati dixerunt, se non interfuisse. Amolon dixit: *Benedictus Protonotarius veniat, & dicat, quid scripserit.* Cum prodiisset, Joannes Aretinus dixit: *Benedicte, an tu hujus Concilii Acta scripsisti?* Respondit: *Non mei erat officii scribere, sed cujusdam Subdiaconi de Bibliotheca.* Iidem Episcopi accurate interrogantur, & Petrus dixit, quod interfuerit.

Stephanus Episcopus Ortinensis ex ipsorum numero ira incensus dixit: *Omnes adversus Papam* (videlicet Stephanum VII.) *insurgitis.* Antonius vero Brixiensis dixit: *Quia dicitis, quod a si-*

nu

nu Ecclesiæ Romanæ separati simus, examen differte usque in crastinam. Sæculum IX. A.C. 897.

Die altera, sedentibus omnibus, Amolon dixit: *Post moram heri concessam, jam, bona vestra venia, respondendum est.* Joannes Aretinus dixit: *Inde incipiendum est, ubi heri dimissum.* Tum, Petro Albanensi surgente, Joannes Aretinus: *Acta hujus Concilii vel vera vel falsa esse dicatis, necesse est.* Petrus Albanensis respondit: *Ceteri, qui interfuerunt, veniant, nam Sedes Apostolica aderat.* Volebat dicere, Episcopos omnia ex auctoritate Papæ egisse. Joannes Aretinus: *Sedem Apostolicam non judicamus.* Et postquam ostendisset, Synodum adversus Formosum non esse Judicium Apostolicum, cum ex altera parte destrueret, quod ex altera ædificaverat. Addidit: *Scandalum Ecclesiæ datum radicitus evelli oportet.* Exclamavit Concilium: *Idipsum petimus, id omnes exoptamus.* Jussit ergo Papa, ut ad quæstionem demum responderent. Et Petrus Albanensis dixit: *Interfui* (scilicet Concilio contra Formosum celebrato) *sed invitus.* Silvester Portuensis, ab Amolone interrogatus, fassus est, se interfuisse. Ildegerus Laudanus dixit: *Fateris, te heri coram omnibus mentitum fuisse.* Nempe pridie negaverat, quod hac die confitebatur. Tum Amoloni Silvestrum

Formoso fama redditur.

Sæculum IX. A. C. 897.

interroganti, an interfuiſſet, cum Formoſus eligeretur, *interfui*, reſpondit, *& cuncti eum in thronum Papalem intulimus.* Rurſus interrogatus, an horrendo illi Concilio Romano interfuiſſet, reſpondit: *Interfui, ſed vi compulſus.* Joannes Velitrenſis quoque interrogatus reſpondit: *Interfui invitus & metu cogente.* Joannes Galeſinus ſeu Caleſinus reſpondit: *Adfui, metu compulſus.* Stephanus Ortinenſis: *Sub finem adveni, & coactus ſubſcripſi.* Joannes Tuſculanenſis dixit, ſe non interfuiſſe, ſed poſtea invitum ſubſcripſiſſe. Bonoſus Narnienſis reſpondit, ſed nec interfuiſſe, nec ſubſcripſiſſe, nec conſenſiſſe.

Joannes, qui ſe Epiſcopum Mutinenſem dicebat, interrogatus, an haberet, quod afferret contra Gamenulfum in illa Cathedra ſedentem, vel an reſtitui poſtularet, reſpondit, id ſe minime poſtulare, & proſtratus in terra indulgentiam flagitavit. Tum Epiſcopi quoque cuncti, qui Concilio Stephani contra Formoſum interfuerant, humi procumbentes miſericordiam Judicum implorarunt. Itaque tota Synodus Pontifici ſupplex accidit, ut penitus aboleretur ille abuſus, ne impoſterum Epiſcopi ad agendum aliquid contra Canones compellerentur, & nemo eos quocunque prætextu

textu in carcerem mittere auderet. Quod Papa lubens conceſſit. Sæculum IX. A.C. 807.

Petrus Presbyter titulo Eudoxiæ, & Benedictus titulo Damaſi, interrogati, an illi Concilio interfuiſſent, reſponderunt, ſe interfuiſſe invitos, & veniam ſupplices rogarunt.

Decretum deinde Concilii duodecim Articulos complectens promulgatum, quod ferme hujusmodi eſt: *Synodum ſub Papa Stephano* (*) *celebratam, in qua venerabile corpus Formoſi Papæ violato ſepulchro eductum, profanatum & in terra raptatum, quaſi ad Judicium abſtractum & damnatum, quod alias nunquam Anteceſſorum noſtrorum temporibus factum accepimus, penitus rejicimus, & ne ulterius ejusmodi facinus fieri præſumatur, Spiritus Sancti Judicio interdicimus. Nemo enim in judicium vocatur, niſi ut ſe defendat, vel convincatur; neutrum vero in cadavere locum habet.* can. 1. Concilii Capita.

(*) Obſervo, de ipſius Pontificis Perſona honorifice mentionem inferri, quamvis de cetero ejus Concilium horrendum dicatur; nam Concilii Romani ſub Joanne IX. Decretum ita incipit: *Synodum tempore piæ recordationis ſexti* (nempe ſeptimi) *Stephani Papæ, deceſſoris videlicet noſtri, celebratam, in qua Venerabile Corpus &c.* Act. Conc. p. 487.

Sæculum IX. A. C. 897.

Episcopis, Presbyteris & reliquis Clericis, qui eidem Synodo interfuerunt, quia veniam petierunt, & formidine coactos se interfuisse confessi sunt, a Synodo rogati indulsimus, statuentes & decernentes, ut nullus futuris temporibus Conciliorum libertatem violare, Episcopis vim inferre, Bonis suis reluctantes spoliare, aut in carcerem detrudere, non prius cognita causa, præsumat.

§. 2.

§. 3. *Quia necessitatis causa a Portuensi Ecclesia Formosus pro vitæ merito ad Apostolicam Sedem provectus est, prohibemus, ne quis unquam id in exemplum assumat, præsertim cum Sacri Canones id penitus interdicant, & talia præsumentes etiam in articulo mortis Communione Laica privent. Prohibemus itidem, ne quis in Concilio de Gradu Ecclesiastico ejectus, & necdum Canonice restitutus ad altiora provehatur, quod factio popularis in Bonifacio prius de Subdiaconatu & deinde de Presbyteratu deposito ausa est. Si quis vero id quocunque demum modo tentaverit, non solum Apostolico anathemate feriatur, sed etiam indignationem Imperatoris experiatur.* De illo Bonifacio hic sermo est, quem mortuo Formoso intrudere

§. 4. conati erant. *Episcopos, Presbyteros, ceterosque Ecclesiæ Romanæ Clericos a Formoso canonice ordinatos, & quorumdam*

dam temeritate dejectos, in proprios gradus & ordines reducimus. Sanctos Patres Concilii Africani sequentes, interdicimus, ordinatos aut baptizatos iterum ordinari vel baptizari. Prohibemus, ne Episcopis rite ordinatis pulsis alii invebantur, & Ecclesiæ schismate turbentur. Sæculum IX. A. C. 897. c. 5.

S. Chrismatis unctionem filio nostro spirituali Lamberto Imperatori collatam approbamus & confirmamus. Illam vero, quam Berengarius (*) extorsit, rejicimus. Acta Concilii memorati ad ignem damnamus, eo modo quo concremata fuerunt Concilium Ariminense, Latrocinale Ephesinum, ea, quæ Hæretici contra Leonem Papam egerunt, & ea, quæ Constantinopoli contra Nicolaum Papam acta sunt, Romæ deinde sub Hadriano flammis tradita. Si quis inter Viros Ecclesiasticos habuerit Sergium, Benedictum & Marinum olim Ecclesiæ Romanæ Presbyteros, aut Leonem, Paschalem, & Joannem olim Diaconos, ca- c. 6. c. 7. c. 8.

(*) P. Pagius ad annum 898. affirmare non dubitat, hic vocem *Berengarius* fuisse intrusam, atque unctionem Arnulphi rejici. Affert etiam argumenta; quibus tamen illud obstat, quod Arnulphus a Formoso Pontifice, a quo Coronam accepit, ad ferendum auxilium fuerit vocatus.

Sæculum IX. A. C. 897.

nonice damnatos & e ſinu Eccleſiæ ejectos, vel eos, nobis inconſultis in ſuos gradus reducere voluerit, tanquam violator Canonum, Anathema ſit.

c. 9. *Ab Eccleſia excommunicatos declaramus, qui Sacrum tumulum Formoſi Papæ, ad capiendum theſaurum, violarunt, & qui ejus corpus in Tiberim raptare non horruerunt, niſi reſipuerint.*

c. 10. *Quia ſancta Romana Eccleſia improborum inſolentia male vexatur, Pontifice obeunte, idque inde proficiſcitur, quod Papa conſecretur Imperatore inconſulto, ejusque Legatis non præſentibus, qui tumultibus & diſſidiis mederi poſſent, volumus, ut Pontifex in Conventu Epiſcoporum & Clericorum, expetente Senatu populoque eligatur, & deinde in conſpectu Legatorum Cæſaris celeberrime conſecretur, nullusque ab eo juramentum aut promiſſum nova adinventione audeat extorquere, ne Eccleſia ſcandalizetur, vel honor Imperatoris minuatur.*

c. 11. *Quia etiam ſceleſtiſſima conſuetudo inolevit, ut moriente Pontifice Palatium Patriarchale expiletur, prædonum audacia in tota civitate & ſuburbiis graſſetur, atque omnium quoque Epiſcoporum obeuntium ſpolia diripiantur, id omnino interdicimus; quod qui facere præſumpſerint, non ſolum Cenſura Eccleſiaſtica*

siastica feriantur, sed etiam iram Cæsaris sentiant. Damnamus etiam pernicioſam consuetudinem, qua Judices Sæculares vel eorum præfecti mandata de criminibus quærendi pretio accepto aliis vendunt, & si forte feminas adulteras in domo ad Eccleſiam vel ad Clericum pertinente deprehenderint, eas capiunt & verberibus afficiunt, usque dum easdem vel Dominus, vel propinqui caro redimant; quo facto deinde liberius fornicari non metuunt, dicentes, quod Epiſcopi non ſit, de feminis publice caſtigatis & redemptis cognoſcere. Volumus itaque, ut Epiſcopi liberam habeant poteſtatem in ſuis Diœceſibus adulteria & ſcelera ſecundum Canones inquirendi & puniendi, &, cum opus fuerit, ad comprimendos rebelles conventus publicos convocandi.

Sæculum IX. A.C. 897. c. 12.

§. XIX.

Concilium Ravennatenſe.

Concilio iſto Romano poſterius eſt aliud, Ravennæ præſente Lamberto Imperatore celebratum, in quo decem ſequentes articuli lecti & approbati. *Si quis Canones & Capitularia Imperatorum Caroli Magni, Ludovici, Lotharii, ejusque filii Ludovici, de decimis contemſerit, & qui dat, & qui accipit, excommunicationi ſubjaceat.*

to. 9. Conc. p. 507. c. 1.

Sæculum IX. A. C. 897.

Addidit Imperator: *Si quis Romanus, Clericus vel Laicus, cujuscunque*
c. 2. *gradus vel ordinis, ad noſtram Imperialem Majeſtatem venire, vel tutelam noſtram implorare voluerit, nemo ei adverſari audeat, nemo ejus Bona invadat, aut ipſius perſonam vel in itinere, vel in diverſorio laceſſat; qui id facere præſumpſerit, noſtram indignationem incur-*
c. 3. *ret. Ceterum nos privilegia S. Romanæ Eccleſiæ fideliſſime conſervaturos promittimus.*

c. 4. Papa vero ad Imperatorem: *Synodus, veſtris temporibus in Baſilica S. Petri, maxime in cauſa Formoſi Papæ celebrata, tuo, Epiſcoporum, & Optimatum tuo-*
c. 5. *rum conſenſu roboretur. De tot criminibus (ideo enim ad tuam auctoritatem confugere compulſi ſumus) quæſtionem haberi jube, de rapinis, incendiis, latrociniis, quibus regiones noſtræ dire vexantur, & quibus usque adeo afflictus ſum, ut mors mihi in votis fuerit, ne atrociſſimæ calamitatis teſtis eſſe cogerer. Ne, quæſo, ſcelus in patria noſtra*
c. 6. *impune graſſari ſinas. Pactum a Genitore tuo Guidone felicis recordationis initum confirma. Donationes, quibus patrimonia, aliaque Bona, in alienos*
c. 7. 8. *ſparſa ſunt, reſcinde. Seditioſos conventus Romanorum, Longobardorum, Fran-*
c. 9. *corum, in Patrimonio S. Petri noſtræ*

tuæ-

tuæque Auctoritati adversantes prohibe. Nihil vero majore dolore pectus nostrum obruit, quam quorumdam improborum nequitia; cum enim, ad Apostolicum culmen Christi gratia evecti, cerneremus, Ecclesiam S. Salvatoris esse destructam, eam reparaturi, operas ad trabes cædendas misimus, & ecce! quos misimus, imperata facere a malevolis probibiti sunt. Perpende, obsecro! quam turpe sit pati, Ecclesiæ Romanæ tam proterve illudi. Illud quoque te non lateat, Ecclesiam Romanam cum extrema paupertate luctari. Non possumus eleemosynas constitutas pro Regni tui prosperitate largiri. Non suppetit, unde stipendia Clericorum & famulorum erogentur.

Sæculum IX. A. C. 897. c. 10.

His Articulis perlectis Papa ad Episcopos conversus peroravit. Hortabatur vero, ut commissæ sibi Ecclesiæ curam gerere unusquisque studeret, adjiciens: *Cum ad propria veneritis jejunium indicite, Litaniam celebrate, obsecrantes pium Dominum, ut pacem tribuat, schismata & seditiones comprimat, atque ad exaltandam & conservandam suam Ecclesiam Lambertum Imperatorem protegat.* Ceterum Ecclesiæ Lateranensis ruina, cujus hic mentio occurrit, ad tempora Stephani VII. spectat, cum tota ab Altari usque ad portam collapsa est.

MS. ap. Pagebr. in Steph.

Sæculum IX. A. C. 899.

§. XXX.

Argrimus restituitur.

Hoc Concilium Ravennæ forsan ante, sed certe non post annum octingentesimum nonagesimum nonum celebratum est, quo ante mensem Decembrem Lambertus Imperator, venationi indulgens, per insidias suorum interiit. Eodem anno & forte in eodem Concilio Joannes Papa Argrimum Episcopum Lingonensem (*) restituit. Is ille est, quem Aurelianus Archiepiscopus Lugdunensis ordinaverat, defuncto Geilone, sedente Stephano VI. Papa, & cui tunc quidem Teutboldus prælatus fuerat. Clerici populusque Lingonensis, scilicet pars illa, quæ Argrimo favebat, tertio Romam mandatarios miserat, ad impetrandam ejus Restitutionem; quin & Rex Berengarius data epistola pro ejus causa peroraverat. Nec amplius esse vir ignotus dice-

Sup. n. 6.

(*) Restitutionem Argrimi etiam Benedictus Papa IV. confirmavit in Epistola ad Galliarum Episcopos, Principes &c. his verbis: *Joannes Sanctissimus Papa . . . . canonice definivit; quatenus ei Apostolica auctoritate sua redderetur Ecclesia . . . . Nos vero . . . . Prædecessoris nostri Joannis Papæ Statuta in omnibus servare cupientes &c.* Act. Conc. Tom. VI. Part. I.

dicebatur, & clam omnibus ab Aureliano ordinatus; sed contra referebant, unanimi voce Clericorum populique fuisse electum, sibique invitis quorumdam præpotentium virorum arte ereptum. Sæculum IX. A. C. 899.

Ut his responderet, Joannes Papa Clericis populoque Lingonensi scripsit, se percepto consilio Episcoporum Collegarum suorum reddere ipsis Episcopum suum Argrimum, non ut Judicium Stephani Papæ Antecessoris sui vituperaret, sed in melius mutaret, id postulante necessitate, cujus rei complures alii Pontifices exemplum dedissent. *Ep.* 3. *to.* 9. *Conc. p.* 495.

Ad Regem Carolum similem scripsit Epistolam, rogans, ut Restitutionem hujus Episcopi curaret. Hæ duæ Epistolæ datæ sunt mense Majo, Indictione undecima, seu anno octingentesimo nonagesimo nono, qua tempestate Rex Carolus simplex Franciæ saltem in Neustria solus imperabat; nam Regem Odonem Caroli æmulum anno superiore octingentesimo nonagesimo octavo, die tertia Januarii fata abstulerant. Eum solemni pompa ad S. Dionysium Proceres condiderunt. *Ep.* 4. *ibid.* *Reg. an.* 898.

§. XXXI.

Arnulphi obitus. Ludovicus Rex Germaniæ.

Hoc anno octingentesimo nonagesimo nono *Papebr. p.* 152. *Luitpr. l. c.* 12.

Sæculum IX. A. C. 900.

nono vigesima nona Novembris obiit Arnulphus Imperator, postquam in reditu ex Italia paralysi correptus plus integro anno languisset. Piissimus Princeps peculiari devotione colebat S. Emmeramum (*) Ratisbonensem, cujus Ecclesiæ præter alia dona Ciborium seu Tabernaculum, fastigio & columnis aureis, & frontispicio gemmis ornato obtulit.

Anno sequente nongentesimo ineunte Regni Optimates Forcheimiæ congregati Ludovicum filium defuncti Imperatoris ex toro legitimo natum, puerum septennem, Regem salutarunt, & deinde Episcopi Germaniæ Arnulphi Imperatoris obitum Summo Pontifici significarunt, data nomine Hattonis Archiepiscopi Moguntini, & omnium ipsius Suffraganeorum Epistola, in qua dicebant: *Dubitavimus aliquantisper, quem Regem eligeremus, & timendum erat, ne Regnum in partes scinderetur; sed Deo disponente, ut pie credimus, unanimes filium Domini nostri, ut ut adolescentulum, elegimus, & antiquum morem servavimus, quo Francorum Reges semper ex*

(*) Abbas S. Emmerami Ratisbonæ, in quo Monasterio S. P. Benedicti filii hodieque pietate & scientiis florent, nostra ætate S. R. Imperii Principibus adscriptus est.

ex uno genere assumpti sunt. Ceterum, si id sine tua licentia factum, credimus, te hujus rei causam minime fugere; nimirum, quod Infideles in Provinciis inter te & nos positis grassantes, viam obstruant. Nunc vero, occasionem tibi scribendi nacti, rogamus, ut, quod egimus, tua Benedictione confirmes.

Sæculum IX. A. C. 900.

Infideles, quorum hic mentio fit, viam, qua ex Germania in Italiam pervenitur, infestantes, Hungari fuere.

Subjungebant Episcopi: *Fratres nostri, Bavariæ Episcopi, datis ad nos literis, conquesti sunt, quod Moravi, populus in Francos rebellis, jactent, se Metropolitam a te accepisse, quamvis semper Provinciæ Bavariæ juncti fuissent. Illud quoque ægre ferunt Bavari, quod ad te delati fuerint, cum Infidelibus fœdera pepigisse, & cum iisdem communicare consilia. Itaque rogamus, ut eos soleris, & Moravorum insolentiam reprimas, quippe, ut auguramur, multum sanguinis fusum ibit hæc seditio, & Moravi, velint nolint, Francorum potentiæ se subdere cogentur.*

§. XXXII.

Epistola Episcoporum Bavariæ ad Pontificem.

Episcopi Bavariæ quoque, videlicet, Theotmarus Archiepiscopus Juvavienſis, *tom. 9. Conc. p. 244. & 498*

Sæculum IX. A. C. 900.

vienſis, ſeu Salisburgenſis, Waldo Friſingenſis, Archembaldus Aichſtättenſis, Zacharias Sæbonenſis (is Epiſcopatus poſtea Brixinonem translatus eſt) Tutto Ratisbonenſis, & Richarius Paſſavienſis, data ad Joannem Papam Epiſtola, dicebant: *Nequaquam credimus, quod coacti quotidie audimus, de Sancta & Apoſtolica Sede quidquam Regulis Eccleſiaſticis adverſum profluere. Sed tres Epiſcopi de latere veſtro, ut ipſi promulgaverunt, nempe Joannes Archiepiſcopus, Benedictus & Daniel Epiſcopi, venerunt in Regionem Sclavorum, Moraviam dictam, nobis tam quoad Spiritualia quam Civilia ſemper ſubjectam, quia a nobis prima Chriſtianæ Religionis Elementa acceperunt; namque Epiſcopus Paſſavienſis, ad cujus Diœceſim Moravi pertinent, quotiescunque videbatur, intravit eorum Regionem, ex quo Fidem ſuſceperunt, Synodum ſuam ibi celebravit, & auctoritate Epiſcopali illam Eccleſiam, nemine obſiſtente, rexit. Comites quoque noſtri ibi Conventus convocarunt, jus populo dixerunt, tributa ab omnibus exegerunt, usque ad illud tempus, quo iidem populi a Chriſtiana lenitate & charitate deflectere, juſtitiam deſerere, bellum Dominis ſuis inferre, Epiſcopo & Evangelii Præconibus libertatem adimere, & jugum legitimum excutere cœperunt.*

Nunc

Sæculum IX. A. C. 900.

Nunc vero, quod grave nobis videtur & incredibile, in augmentum injuriæ noſtræ jactitant, ſe id a vobis data pecunia impetraſſe, ut prædicti Epiſcopi mitterentur, & unus Epiſcopatus Paſſavienſis in quinque divideretur. Intrarunt nomine tuo, ut ipſi dixerunt, ordinarunt Archiepiſcopum & tres Epiſcopos Suffraganeos, legitimo Archiepiſcopo inſcio, & Epiſcopo Diœceſano inconſulto, & Legibus Eccleſiaſticis fruſtra prohibentibus ne novi Epiſcopatus, niſi ex auctoritate Epiſcopi & conſenſu Concilii Provincialis erigantur. Anteceſſor quidem tuus, Duce Zwentiboldo regnante, Wichingum conſecravit Epiſcopum; ſed illum in antiquum Epiſcopatum Paſſavienſem non miſit, verum ad populum alium, armis ſubjectum, & Ducis cura ad Chriſtiana Sacra traductum. At Sclavi, cum Legati tui illis aures præberent, famam noſtram calumniis proſciderunt, nam nemo erat, qui mentientes refelleret. Dixerunt, rixas inter nos & Francos & Alemannos ardere, cum amiciſſimi ſimus. Dixerunt, nobis cum ipſis bellum eſſe; quod verum eſt, ſed ipſorum, non noſtra culpa. Etenim ex quo Chriſtianorum officia abjecerunt, tributa etiam Regibus noſtris pendere recuſarunt, & ad arma proruperunt, quibus Dominos ſuos aggrederentur. At confidimus fore,

Res Eccleſiæ in Bavaria.

ut

Sæculum IX. A. C. 900.

ut hujus gentis insolentia brevi obteratur. Cave igitur, ne improbis feras auxilium. Ceterum, Rex noster adolescentulus, nulli Antecessorum suorum secundus, nulli inferior, Ecclesiæ Romanæ Defensor esse cupit. (*)

Dixerunt quoque obtrectatores Sclavi, nos pacta Religioni adversantia cum Hungaris sanxisse, pacem jurasse nefando ritu per canem & lupum, atque alias, quas abominamur, superstitiones, item nos ipsis pecuniam dedisse, ut in Italiam transirent. Si Romæ essemus, ante Deum, qui cuncta novit, & coram vobis, qui vicem ejus geritis, criminationis nequitia, & innocentia nostra manifestaretur.

Illud

(*) Verba Episcoporum Bavariæ hic adjecta sunt memoratu digna: *Progenitores namque Sereniſſimi Senioris nostri Hludowici videlicet, Imperatores & Reges ex Christianissima Francorum gente prodierunt. Moravii vero Schlavi, a paganis & Ethnicis venerunt. Illi potentia imperiali Romanam Rempublicam sublimaverunt, isti damnaverunt. Illi Christianum Regnum confortaverunt, isti infirmaverunt. Illi toti mundo spectabiles apparuerunt, isti latibulis & urbibus occultati fuerunt. Illorum consilio Apostolica Sedes pollebat, istorum persecutione Christianitas dolebat. &c.* Act. Conc. Tom. VI. Part. I.

Illud quidem verum, quod cum Hungari Christianis nobis subditis & procul positis continuo imminerent, & dire miſellos affligerent, illis non pecuniam, ſed linea veſtimenta donaverimus, ut hominum iſtorum feritatem molliremus, & noſtri a perſecutione quieſcerent. Ipſi Sclavi, quod nobis perfide objiciunt, longo tempore fecerunt. Ipſi advocata non modica Hungarorum multitudine, multorum e ſuis capita more illius gentis detonderunt, & tam hos quam illos in nos Chriſtianos immiſerunt. Multos Chriſtianorum noſtrorum in captivitatem abſtraxerunt, alios occiderunt, alios in carceribus ferina fame & ſiti perdiderunt, honeſtos viros & nobiles feminas in ſervitutem redegerunt, ædificia deleverunt, Eccleſias Dei incenderunt, ita ut in tota Pannonia noſtra, maxima ſane Provincia, nec una ſuperſit Eccleſia. Epiſcopi a te miſſi, ſi fateri veritatem volunt, enarrare tibi poſſunt, quot dierum itinere totam terram devaſtatam viderint. Quando vero Hungaros Italiam intraſſe comperimus, teſtis ſit nobis Deus! nihil intentatum reliquimus, ut Sclavos ad tractandum de pace permoveremus. Promiſimus præteriti erroris veniam, voluimus omnia, quæ ipſorum erant reddere, ſi modo ſpatium temporis darent, quo arma ad defendendum patrimonium S. Petri & Sæculum IX. A.C. 900.

Sæculum IX. A. C. 900.

populum Christianum converteremus. Sed in cassum omnia. Unde te rogamus, ne malevolorum vocibus credas, non enim suspecti esse meremur. Sed expectandum, donec Legatus tuus ad nos pervenerit, vel nos ad te miserimus, qui omnium accurate rationem reddant. Ego vero Theotmarus Archiepiscopus Patrimonii S. Petri curator pecuniam vobis debitam, propter infestam paganorum sævitiam, nec ipse potui deferre, nec per alios transmittere. Sed quia, Dei gratia, liberata est Italia, quamprimum potero transmittam. (*) Prædiorum, quæ Ecclesia Romana in Bavaria possidebat, superius aliquoties mentio facta.

§. XXXIII.

(*) His ultima Epistolæ verba subjungit Archiepiscopus Salisburgensis: *Precatur nostra humilitas, ut dignetur vestra Sublimitas respondere per singula transmissa cum Epistola.* Et tandem, Sanctissimo Patri accinit in hunc modum;

Alme Pater mundi, dignus prænomine Petri:
Nomine quem sequeris, utinam virtute sequaris:
Sisque tuis famulis protector verus, & ipsos
Commendes Domino, cælo qui præsidet alto.

In principio Epistolæ Joannes IX. vocatur Papa universalis.

Sæculum IX. A. C. 900.

§. XXXIII.

Hungari in Italia.

Hungari, novum Barbarorum genus, ab extrema Scythia advectum, annis abhinc decem, nempe anno octingenteſimo octogeſimo nono Imperium Francorum infeſtare cœperant. Primo Pannoniam & Avarum Regionem ingreſſi feris venatione captis & piſcatu ſuſtentabantur; inde brevi in Carinthiam, Moraviam & Bulgariam effuſi ſunt. Sagittis maxime hoſtes configebant, quos certiſſimo ictu feriebant, non urbium obſidionem ſtruere, non cominus dimicare docti, ſed telis in adverſam aciem excuſſis uno momento ſpargebantur in diverſa. Sive proficiſcerentur, ſive ſubſiſterent, ſive conſultarent, ſemper equo inſidentes. Caput radebant, crudas carnes ſtomacho ingerebant, potabant ſanguinem, corda captivorum ſuorum diſſecta, medicinæ loco comedebant. Ceterum nec viri, nec feminæ ulla pietate movebantur, homines taciturni, manu quam lingua promptiores.

Regin. an. 889.

Luitpr. L. 1. c. 5.

Gentem barbaram & infidelem primo Rex Arnulphus, ad reprimendum Zwentiboldum, Moraviæ Ducem, qui a ſe defecerat, auxilio ſibi in bello futuram evocavit; unde non vana erat Moravorum querela.

Sæculum IX. A. C. 900.

Haud diu post Hungari in Bavariam indeque in Italiam penetrarunt, quo mense Augusto anno octingentesimo nonagesimo nono pervenerunt. Vigesima vero quarta Septembris Christiani occurrentes, ad Brentam amnem civitatis Patavinæ mœnia alluentem commissa pugna, ingentem cladem acceperunt, multa Christianorum millia tum cæsa, tum fluctibus hausta. Complures etiam Comites & Episcopi occubuerunt. Luitardum Episcopum Vercellensem, olim Carolo Crasso in paucis carum, cum suo thesauro fugientem, immensa pecuniæ vi direpta, capiunt & interficiunt. Cum Nonantulam in Ducatu Mutinensi pervenissent, Monachorum partem trucidarunt, Monasterium & permultos libros igni tradiderunt, & cuncta, quæ loco moveri poterant, avexerunt. Abbas, cui nomen Leopardus, arrepta fuga cum ceteris monachis aliquamdiu delituit; exinde vero rursus collecti Monasterium & Ecclesiam restaurarunt.

Chr. Nonan. ap. Mab. Sæc. 5. p. 114 Mar. Chr. 889.

Luitpr. lib. II. c. 4. 5.

§. XXXIV.

Ecclesia Constantinopolitana.

Joannes IX. Papa datis ad Stylianum Episcopum Neocæsarienſem literis, constantiam virilem, qua semper Schismaticis Photianis se opposuisset, laudavit, hortatus, ut eosdem ad Ecclesiam reducere sata-

Epist. 2. to. 9. Conc. p. 494.

satageret. *Volumus*, inquit, *Antecessorum nostrorum Decreta inviolata conservari. Unde Ignatium & Photium, Stephanum & Antonium, eodem loco & gradu, quo ab ipsis positi sunt, & nos habemus, omnibusque hanc Regulam tenentibus Communionem concedimus.* Ab origine Schismatis, nempe ab anno octingentesimo quinquagesimo octavo annos ferme quadraginta numerat. Sæculum IX. A. C. 900. *Sup. Lib. L. §. 3.*

Antonius Patriarcha Constantinopolitanus, cujus in hac Epistola Pontifex mentionem facit, anno Leonis Imperatoris decimo, id est Christi octingentesimo nonagesimo quinto obierat. Eum Sanctis adscriptum Ecclesia duodecima Februarii colit. Suffectus est Nicolaus, Imperatoris Mysticus, scilicet ab Epistolis secretis, unde nomen retinuit. Ecclesiam autem Constantinopolitanam annis prope duodecim rexit.

Anno post Nicolai Ordinationem tertio, id est, Regni sui decimo tertio, Leo Imperator constructa Ecclesia & Cœnobio Evnuchorum, illuc corpora S. Lazari, & S. Magdalenæ Sororis ipsius (ita sonant verba veteris ipsius Historiæ Scriptoris) transferri jussit. *n. 9.* *post. Theoph. p. 224. n. 18.*

Sæculum IX. A. C. 900.

§. XXXV.

Fulconis obitus. Herveus Archiepiscopus Remensis.

Flod. 14. c. 10 In Francia Fulco Archiepiscopus Remensis odium Balduini Comitis Flandriæ subierat. Nam, cum hic Princeps Attrebatum in sua potestate haberet, etiam invaserat Abbatiam S. Vedasti, quam Carolus Rex ab eo læsæ fidei reo ablatam Archiepiscopo contulerat. At cum Fulco magis exoptaret sibi habere Abbatiam S. Medardi, qua alius quidam Comes, cui nomen Altmarus, potiebatur, eam permutata Abbatia S. Vedasti obtinuit, postquam civitatem Attrebatensem obsidione ad deditionem compulsam Balduino Comiti eripuisset. Ille ingentem iram conceperat, atque, ut fieri amat, proceribus Domini sui affectus amplectentibus, Vasalli acceptam injuriam ulciscí constituunt. Ergo publice simulant, cupere se cum Præsule in gratiam redire, cumque quadam die ejusdem paucis comitantibus ad Regem euntis iter exploraſſent, incautum circumstant in via, duce quodam Vinemaro. Primo tamen colloquio de pace inter eum & Balduinum concilianda verba fecerunt; mox autem nihil hostile suspicantem hastis vulnerant, dejiciunt, & perimunt. Amicorum promptissimi super morien-

morientis corpus ſternuntur, reliqui ad Palatium Epiſcopale decurrunt attoniti, triſte fatum nunciantes. Advolant ad vindictam familiares arreptis armis, ſed latronibus dilapſis & deliteſcentibus inter magnos ejulatus receptum Epiſcopi corpus Remos reportant. Ubi honore competente terræ mandatum. Sæculum IX. A. C. 900.

Hunc exitum ſortitus eſt Fulco Archiepiſcopus decima ſeptima Junii anno nongenteſimo, poſtquam Eccleſiæ Remenſi annis ſeptendecim tribus menſibus & diebus decem, quod in ejus Epitaphio legimus, præfuiſſet. Bona temporalia Eccleſiæ ſuæ Regum aliorumque virorum munificentia adjutus plurimum auxit, muros Remenſis civitatis & non nullas Arces, quas inter numerantur Aumontium & Epernacum, collapſas reſtauravit, S. Remigii corpus ex Monaſterio Orbacenſi Remos revexit, permultis Presbyteris monachisque a Normannis graſſantibus in fugam actis aſylum præbuit. Eos ut filios ſuſcipiebat, quo affectu etiam proſecutus eſt Monachos S. Dionyſii in Francia, cum ejusdem Sancti corpus & complures alias Reliquias afferrent. Duas Scholas Remenſes pæne deſtructas alteram pro Canonicis, alteram pro Presbyteris ruralibus ſeparavit, duobus Magiſtris celeberrimis Remigio Monacho S. Germani Antiſſiodorenſis, c. 8. c. 9.

Sæculum IX. A.C. 900.

dorensis, & Hucbaldo Monacho S. Amandi advocatis.

Ipse quoque Archiepiscopus cum junioribus Clericis scientiis operam dare non respuebat.

Cum Sedes Remensis non plus octodecim diebus vacasset, sexta Julii anno nongentesimo Archiepiscopus ordinatus est Heriveus, ex Regia evocatus & parentibus nobilibus ortus, sicut ejus Antecessor, sed juvenis. Ejus Ordinationi interfuere Witon vel Guido Archiepiscopus Rotomagensis, Riculfus Episcopus Suessionensis, Hetilo Noviodunensis, Dodilo Cameracensis, Herinandus Teruanensis, Ogerius Ambianensis, Honoratus Bellovacensis, Mancion Catalaunensis, Rudolphus Laudunensis, Otfridus Silvanectensis, & Angelramus Meldensis. Eadem die duodecim his Præsulibus præsentibus in Ecclesia S. Mariæ Remis lecta est Excommunicatio contra Fulconis Archiepiscopi interfectores. Tres autem nominantur Winemarus, Everardus & Rotfredus, Balduini Comitis homines. † Tum fœdi facinoris conscii universim declarantur a sinu S. Ecclesiæ segregati, ac perpetuæ maledictionis anathemate condemnati. Adduntur etiam maledicta quæ in S. Scriptura continentur. Nullus Christianus eis *Ave* dicat, nullus Presbyter ipsis præsen-

Tom. 9. Conc. p. 481.

† Vasalli

sentibus Missam celebret, nullus, si ægrotent, confessionem eorum recipiat, nullus Sacrosanctam Communionem eis, nisi resipuerint, etiam in fine vitæ dare præsumat, nullus defunctorum corpora sepeliat. His dictis Episcopi lucernas, quas manibus tenebant, projectas extinxerunt. Estque istud primum mihi occurrens exemplum excommunicationis, quam hujusmodi adjuncta comitantur. Sæculum IX. A. C. 900.

§. XXXVI.

Ovetum Metropolis.

In Hispania Christianis imperabat Alphonsus III. jam toto triginta octo annorum spatio, cum parenti sui Ordogno anno octingentesimo sexagesimo secundo successisset. Is, civitate Ovetensi arte militari munita, ex aliis urbibus Reliquias illuc transferri jussit, ut incurrentibus Normannis extra periculum essent. Id enim indicabat erecta crux aurea miræ magnitudinis, cujus inscriptio annum Regni sui decimum septimum, & æram 916. nempe annum JEsu Christi octingentesimum septuagesimum octavum referebat. Ecclesiam ab Alphonso Casto Compostellæ super corpus S. Jacobi ædificatam demolitus est, quod parva nimis & vulgaris ipsi videretur, aliamque ex magnis lapidibus, marmoreis columnis suffultam, extruxit, atque vasis *Sup. Lib. LVIII.* §. 46 *Sampir. Astur. p.* 56. *Ambros. Mor. lib. XV. c.* 9.

Sæculum IX. A. C. 900.

pretiosis ornavit. Plures alias a fundamentis eduxit Ecclesias, non nullas urbes, & præter alias Portum, quæ tunc temporis Portucallia dicebatur, Braccaram, Viseum, & Tuyacum, incolis implevit, & Episcopos constituit.

Structura Ecclesiæ S. Jacobi perfecta, cum Rex Alphonsus Severum & Sinderedum Presbyteros, & Rainaldum Laicum, Romam misisset, duas Joannis Papæ Epistolas ei retulerunt. In prima Epistola Papa rogatus a Rege Ecclesiam Ovetensem in Metropolim erigebat. In secunda consensum dabat ad consecrandam Ecclesiam S. Jacobi, & celebrandum Concilium. Tum subjungit: *Nos quoque, sicut vos, ab Infidelibus vexamur, contra quos nobis diu noctuque pugnandum est. Unde rogamus, ut nobis idoneos equos, in Arabia satos, & arma transmittatis.* Rex acceptis hisce Epistolis diem Concilii Compostellæ ad dedicandam Ecclesiam indixit, cui Episcopi septendecim, atque inter illos Vincentius Legionensis, Gomer Asturicensis, Hermenegildus Ovetanus, & Dulcidius Salmanticensis interfuere. Rex quoque cum Regina conjuge, filiis suis, Comitibus tredecim, & innumera populi multitudine adfuit. Ergo nova Ecclesia S. Jacobi solemni ritu consecratur, & in ea Altaria tria, unum in honorem Domini

tom. 9. Conc. p. 219.

Domini noſtri, alterum SS. Petri & Pauli, & tertium S. Joannis Evangeliſtæ. At quartum ſuper corpus S. Jacobi extructum Epiſcopi conſecrare auſi non ſunt, quod a ſeptem S. Jacobi Diſcipulis, quorum nomina referebantur, conſecratum crederetur. Hoc Concilium ſexta Maji æra 938. ſeu anno Salutis nongenteſimo celebratum

Sæculum X. A. C. 901.

Ambr. Mor. lib. XV. c. 2.

Vigeſima nona ſequentis menſis Novembris in eadem S. Jacobi Eccleſia Epiſcopi octo Synodice congregati Cæſarium Abbatem, in Archiepiſcopum Tarraconenſem electum, conſecrarunt, Archiepiſcopo Narbonenſi, & illis Hiſpaniæ Epiſcopis, qui Narbonenſem Metropolitam ſuum agnoſcebant, reclamantibus. Quare Cæſarius Romanum Pontificem appellavit.

to. 9. Conc. p. 482.

Menſibus undecim poſt hoc de Dedicatione Concilium exactis, nempe menſe Aprili anno nongenteſimo primo, aliud Oveti celebratum, cui Rex iisdem, qui ſupra, comitantibus, & iidem Epiſcopi ſeptendecim interfuere. Quidam Epiſcopus etiam aderat, nomine Theodulfus, a Magno Principe Carolo, quo nomine Rex Franciæ deſignari videtur, miſſus.

Sampir. ibid.

In hoc Concilio Eccleſia Ovetenſis in Metropoliticam evecta eſt, & Hermenegildus, qui huic Eccleſiæ præerat, aliorum

Sæculum X. A. C. 901.

liorum Episcoporum Præpositus proclamatus, ut cum ipsis ad reformandam Disciplinam Ecclesiasticam, sub Dominatione Infidelium turbatam, omnes nervos contenderet. Statutum, ut eligerentur Archidiaconi, qui bis in anno Parochias & Monasteria visitarent; Archiepiscopus vero Ovetensis Episcopos in illis civitatibus, quæ olim Sedes Episcopales fuissent, qui idonei viderentur, ordinaret, & omnes ejus Suffraganei possiderent aliquas Ecclesias & agros in Provincia Asturicensi, utpote munitissima, & tuta, quo instante periculo se reciperent, & unde ad Concilia celebranda pergentes necessaria acciperent. Rex limites provinciæ Ecclesiasticæ Ovetensis definivit, & eidem Sedi complures ditiones adscripsit; quibus peractis Concilium decima octava Julii solutum est. Alphonsus III. cognomento Magnus, postquam regnasset annis quadraginta octo, anno nongentesimo decimo Æra nongentesima quadragesima octava decedens Garciam filium Successorem reliquit.

§. XXXVII.

Joannis IX. obitus. Benedictus IV. Papa.

Papebr. Conat. Flod. vers. p.606.

Joanne IX. Pontifice anno nongentesimo

mo fatis functo, in S. Petri Cathedram invectus est Benedictus IV. patria Romanus, Mummoli filius, nobilissima prosapia ortus, qui Sacram Sedem annis quatuor & dimidio tenuit, vir Magnus, publicæ utilitatis unice studiosus & in egenos largissimus. Sæculum X. A. C. 901.

Sub ipsa Pontificatus auspicia Legati advenerunt Argrimi Episcopi Lingonensis, tunc necdum restituti, eodem jubente exponentes; post obitum Geilonis unanimi consensu Clericorum & populi fuisse electum, a Metropolita suo Aureliano Archiepiscopo Lugdunensi cum suis Suffraganeis, & Bernuino Archiepiscopo Viennensi consecratum, & in possessionem Ecclesiæ Lingonensis immissum, quam annis duobus & tribus mensibus rexisset. Postea Guidonis Imperatoris tempore a factiosis hominibus pulsum, confugisse ad Joannem Papam, cui tristem faciem indicasset Ecclesiæ suæ, in qua jam diu Sacrum Chrisma non fuisset consecratum, non confirmati infantes, nullum Episcopale Ministerium peractum. Quibus omnibus perceptis Joannes Papa decrevisset, Argrimum suæ Sedi esse restituendum. *Sup. n. 6.* *Sup. n. 30.*

Benedictus Papa, cum inconsultis Episcopis in hac causa pronunciare nollet, convocata in Palatio Lateranensi Synodo, Argrimum in Sede Lingonensi confirman-

Sæculum X. A. C. 901.

firmandum esse judicavit, jussitque scribi Epistolas duas, unam datam ad Episcopos Galliarum, Reges, Proceres, omnesque Fideles, in qua jus Pallii, jam ante a Formoso Papa ipsi concessi, ratum habet, alteram ad Clericos populumque Lingonensem. Utraque Epistola scripta est secundo Cal. Sept. Indictione tertia, seu vigesima nona Aug. anno nongentesimo, Benedicti Papæ primo, post obitum Lamberti Imperatoris secundo. Nimirum quia Papa Berengarium Imperatorem non agnoscebat, Imperium vacare existimabat. Attamen non diu post, & eodem anno nongentesimo Ludovicus Bosonis filius Rex Provinciæ in Italiam vocatus Imperator proclamari & coronari voluit. Argrimus vero post toleratas tot ærumnas, cum Ecclesiam Lingonensem usque ad annum nongentesimum undecimum in pace rexisset, abdicata Dignitate humile monachorum Institutum ad S. Benignum Divione amplexus est, ubi post decem annorum curricula mortem oppetiit.

Papebr. conc. p. 152. differt 19. Chr. S. Benig. p. 424.

§. XXXVIII.

Regis Alfredi obitus.

Asser p. 112. In Anglia Rex Alfredus decedens, reliquit Rempublicam florentissimam. Ceterum pietas, quam ab ineunte ætate omnes in eo admirati sunt, totam ipsius vitam

vitam commendavit. Adoleſcens, cum igne concupiſcentiæ ureretur, noctu, nemine conſcio ſurgebat, & in Eccleſia proſtratus Deum precabatur, ut ſe ab hoc Satana liberaret, aut ſaltem morbum immitteret, qui libidinem extingueret, nec ſe tamen adeo deformem redderet, ut ad humanitatis officia inutilis fieret. Voti compos factus eſt, nam paulo poſt hæmorrhoidum fluxus, quo equidem ab infantia laboraverat, patiendi cupidum tam acutis doloribus aliquot annorum ſpatio cruciavit, ut vix non vitam eriperet. Cum ad annum ætatis vigeſimum perveniſſet, fuſis ad Deum precibus, ab hac infirmitate liberatus, illico colica exerceri cœpit, quæ pium Principem annis viginti quinque & ſæpe usque adeo acerbe torſit, ut Dæmonis maleficium medici ſuſpicarentur. Sæculum X. A. C. 901.

Bella, quæ Alfredi juventutem exagitarunt, pietatem neutiquam extinxerunt. Cujuscunque ſceleris rei eſſent pagani, veniam concedebat, ſi Chriſti fidem ſuſcipere promitterent. Quotiescunque a negotiis quieſcere vel pauculis horis licebat, libros legebat, alios interrogabat, ſermones miſcebat, ex quibus ipſe in virtute proficeret, vel illi, quibuscum loquebatur, ad progrediendum in via Salutis excitarentur. Multa Scripta poſteritati reliquit, quorum decem ipſius

Spelm. lib. III. n. 88. p. 166.

Sæculum X. A. C. 901.

ipsius ingenii & laboris partus erant, atque inter alia Collectio Legum variorum populorum, Leges Saxonum Occidentalium, Tractatus contra iniquos Judices, Effata virorum Sapientium, Parabolæ, & varia Regum Fortuna. Novem Opera aliorum Scriptorum ab ipso translata numerantur, quorum præcipua sunt, Historia Orosii, Liber Pastoralis S. Gregorii, ejusdemque Dialogi, qui tamen magis a Werefrido Episcopo Vigornienſi translati dicendi sunt. Item Historia Bedæ, & opusculum Boetii de Consolatione, libellus Alfredo præ ceteris omnibus dilectus, Psalmi David, ultimus hujus Principis labor, cui, cum ad umbilicum perveniſſet, immortuus est.

Sup. n. 9.

Obiit vero die Mercurii vigesima octava Octobris anno nongentesimo primo, anno ætatis quinquagesimo secundo, Regni sui trigesimo, successitque parenti filius primogenitus, a plerisque Eduardus senior dictus. Is a Phlegmundo Archiepiscopo consecratus sub ipsa regni auspicia Concilium celebrari jussit, Archiepiscopo præsidente. Lectæ sunt Pontificis Romani epistolæ, in quibus Eduardus Rex increpabatur, quod in tota Regione Gevisiorum, seu Saxoniæ Occidentalis, jam annis septem nullus Episcopus esset. Ergo Rex & Episcopi singulis

Ap. Spelm. p. 204.

to. 9. Conc. p. 419. ex Will. Malmesbur.

gulis provinciis hujus Regionis Episcopos dare, & duos Episcopatus in quinque Sedes dividere statuerunt. Cumque Archiepiscopus hoc Decretum Romam pertulisset, eo a Summo Pontifice approbato, reversus, Cantuariæ Episcopos septem pro totidem Ecclesiis, videlicet Vintonienſi, Cornubienſi, Sarisburienſi, Fontanenſi, Cridienſi in Devonia, Mercienſi, & Durnovarienſi, ordinavit. Sæculum X. A. C. 903.

§. XXXIX.

Benedicti IV. obitus. Leo V. Christophorus, Papæ.

Ludovicus Imperator annis quatuor Italiæ dominatus, cum sibi ab hostium insidiis non satis caveret, Veronæ a Berengario capitur, & oculis privatur. Factum tragicum anno nongentesimo quarto mense Augusto peractum. Inter hæc vero, Benedicto IV. satis functo, Pontifex ordinatur Leo V. patria Ardeatinus, quem necdum mensibus duobus sedentem dejecit, & in carcerem trusit Christophorus patria Romanus, alterius Leonis filius, & ipse deinde, postquam mensibus sex & paucis diebus S. Sedem tenuisset, expulsus. Ab ipso una epistola mense Dec. Indictione septima, Ludovico regnante, id est, anno nongentesimo tertio data, supereſt. *Regin. ann. 904. Luitpr. l. II. c. 10. 11. Flod. vers. p. 606. To. 9. Conc. p. 516.*

Sæculum X. A C. 903.

Eodem anno obiit Franco Episcopus Leodiensis, qui cum sæpe adversus Normannos, etsi felicibus armis, dimicasset, credidit, non amplius sibi licere Res Sacras pertractare illis manibus, quibus sanguinem humanum fudisset; quare Bericone, Clerico Ecclesiæ Leodiensis, & Teutrico Lobiensi monacho Romam missis, datis literis rogavit Papam, ut eos Episcopos ordinaret, pro se officia Sacerdotalia obituros. Et quod petebat obtinuit. Itaque tradita eis sua Diœcesi, quam regerent, ipse postquam Episcopale munus plus quam annis quinquaginta gessisset, in pace naturæ debitum reddidit. Franconis Successor, Stephanus, vir pius & doctus, fuit.

Sigeb. Chro. Lobiensf. cap. 17. to. 6. spicil.

§. XL.

Leonis Imperatoris nuptiæ quartæ.

In Oriente Leo VI. Imperator, quamvis tres habuisset uxores, filiis tamen, qui patri succederent, carebat. Primo duxerat Theophaniam, quam cum, parente Imperatore adhucdum in vivis agente, duxisset, & annos duodecim in sterili conjugio transegisset, ei mors præmatura anno regni sui septimo, Salutis octingentesimo nonagesimo secundo eripuit. Erat vero Theophania, Matrona Christianis virtutibus ornatissima, orando & eleemosynas largiendo totum vitæ

Post. Th. p. 222. n. 12. Sim.

vitæ tempus impendens; quin, & miracula patrasse fertur. Namque Ecclesia Græca eam decima sexta Dec. honore S. mulieribus exhiberi solito colit, & Imperator Ecclesiam conjugis defunctæ nomini dicatam extrui jussit. Ceterum piissimæ Principis patientia in eo maxime eluxit, quod Leonem sæpissime fidem conjugalem violantem non odisset; non enim ille, sapiens & Philosophus, ob castigatos mores, sed genio illius ætatis ob doctrinam, quæ supra vulgarem erat, appellatus est. Sub auspicia imperii sui captus est amore Zoes, Styliani filiæ, & Theodori, propinato veneno necati, viduæ. Erat vero Stylianus, *Zautza*, id est, *Chaous* (*) (quippe Græci jam tunc hoc officium nomenque a Turcis receperant) eumque Imperator, ut in parente filiam sibi devinciret, novo titulo, antea inaudito, scilicet *Basileopator*, seu *Imperatoris Pater*, exornavit. Eundem etiam Magistrum officiorum creavit, unde ipsi Novellarum suarum plerasque inscripsit. Leo igitur Zoem, quam vivente uxore Theophania publice alebat, ea defuncta solemni ritu uxorem sibi junxit, & Imperatricem coronavit, quodam Palatii

Sæculum X. A. C. 903.

Post. Theo. p. 224. n. 18.

ibid. n. 7.

Cang. gloss. Græc. in Thaousios.

(*) Ita appellantur inter Turcas Judicum & Præfectorum præcipui. P. Boucher in itiner. &c.

Sæculum X. A. C. 903.

Clerico, cui nomen Synapius, nuptiis benedicente. Is deinde, quod istud ausus esset, ab ordine Clericali depositus. At Zoe, viginti non plus mensium Domina, decessit e vita, ejusque corpus depositum in sandapila, fortuito inventa, cui illa Psalmi verba incisa legebantur: *Filia Babylonis misera!*

Ps. 136. 8.

Tunc Leo tertiam duxit uxorem anno Salutis octingentesimo nonagesimo sexto, regni sui undecimo, nomine Eudociam, eamque corona redimiri, & Imperatricem proclamari jussit. Filium ex ea suscepit; sed brevi postea puer moritur, & mater ex partu obiit. Quare Leo ad quartas nuptias transiit anno nongentesimo secundo, Regni sui decimo septimo. Accepit vero alteram Zoem, cognomine *Carbunopsinem;* sed non ausus est præcipere, ut coronaretur, nec Benedictionem nuptialem petiit, quia vetitum erat apud Græcos quarto matrimonium inire. Nam secundo & tertio nubentes pœnitentiæ subjacebant, quod hæ nuptiæ culpa vacare non crederentur, quartæ vero infamis polygamiæ loco habebantur. Sicut notavi, cum mihi de epistolis S. Basilii ad Amphilochum, & illa S. Theodori Studitæ ad Naucratium data sermo fuit. Quin ipse Imperator Leo Constitutionem ediderat, in qua præcipiebatur, ut illi, qui tertio nuberent, pœnas

Leonis VI. Uxores IV.

Sup. lib. XVII. §. 15. *lib. XLV. §.* 46. 1. *ep.* 50. *Novell. Leo* 90.

pœnas, per Canones latas ſubire coge-Sæculum X.
rentur. A. C. 905.

Nihilominus cum Zoe anno nongenteſimo quinto, Regni ſui vigeſimo, puerum in lucem edidiſſet, eam uxorem ſuam legitimam proclamari voluit. Sed prius de infante, tanquam prole Regia, ſolemni pompa baptizando jurgari cœptum; id enim Nicolaus Patriarcha ceterique Epiſcopi ſe paſſuros negabant, niſi Imperator fidem daret, ſe infantis matrem dimiſſurum. Juravit, quod monentibus obtemperaturus eſſet, Leo. Tumque puer inter cæremonias Eccleſiaſticas in Epiphania Domini a Patriarcha baptizatur, & Conſtantinus nominatur. Sed ecce! vix triduo elapſo Zoe in Palatium magna pompa introducitur, Imperatricis more, & nuptiæ, etſi ſine Presbyteri miniſterio, celebrantur. Omnes Epiſcopi, omnes Clerici hoc facto Religionem everti querebantur, tota civitas iſto ſcandalo perturbata. Nicolaus Patriarcha in conſpectum Imperatoris venit, & in terram proſtratus obteſtatur, ne tanta contumelia afficeret Dignitatem Imperialem; hujus enim rationem habendam eſſe veluti faciei humanæ, in qua nulla macula latere poſſet. Meminiſſet, in cœlo dari Imperatorem ipſo longe potentiorem, qui tantum ſcelus impunitum manere non eſſet paſſu-

Nicol. ap. Bar. ep. to. 11. p. 373. & to. 9. Conc. p. 1264.

Sæculum X. A. C. 906.

rus. Neutiquam Principes ſupra legem eſſe, nec iis, quidcunque luberet, licere. Tandem inter lacrymas perorans rogabat, ut aliquamdiu ab hac muliere ſe contineret, donec Legatis, Roma, & ex aliis Sedibus Patriarchalibus, accerſitis, cum Epiſcopis, ſubditis ſuis, hæc cauſa ad maturum examen vocaretur. (*)

Eutych. p. 484. to. 2.

Igitur Leo Imperator datis ad Sergium Papam, ad Michaelem Patriarcham Alexandrinum, Eliam Patriarcham Jeroſolymitanum, & Simeonem Antiochenum literis rogat, ut venirent, & matrimonii ſui cauſam examini ſubjicerent.

Nicolaus Patriarcha.

Patriarchæ ſatis eſſe exiſtimarunt, ſi Legatos mitterent. Interim cum Imperator anno nongenteſimo ſexto Benedictionem nuptialem ſibi & Zoe uxori a Thoma Presbytero dari, eamque Imperatricem proclamari juſſiſſet, Nicolaus Patriarcha Presbyterum depoſuit, & Imperatorem ab ingreſſu Eccleſiæ prohibuit,

Ep. Nic.

unde illo tempore in veſtibulo ſubſiſtebat. Poſtquam vero Legati Romani Conſtantinopolim pervenerunt, increbuit rumor, ab Imperatore ad confirmandum

(*) Nimius fuit Nicolaus Patriarcha, cum Traditioni Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ tantopere inhæſit, Sacræ Scripturæ auctoritate deſtitutus, refragante Eccleſiæ Occidentalis Diſciplina.

mandum, ſuum matrimonium fuiſſe advocatos. Quare Nicolaus Patriarcha publice eos in conſpectum admittere noluit, ſed ab Imperatore petiit, ut ſibi in Palatio cum iis ſecreto colloqui & conſultare liceret, quod Imperator denegavit. Quin Leo compluribus Epiſcopis, ſibi ſubjectis, donis & promiſſis in ſuam ſententiam pertractis, Patriarcham ſpecie celebrandi convivii, quod ſingulis annis in Feſto S. Tryphonis prima Februarii fieri ſolebat, ad Palatium invitavit. Volvebatur tunc annus nongenteſimus ſeptimus, regni ipſius vigeſimus ſecundus. Sæculum X. A. C. 907. *Sim. Mag. n.* 19.

Cum itaque Nicolaum Patriarcham, illa die convivam, Imperator & Samonas, quem, flagitiorum ſuorum conſcium, Patricium, & Commenſalem creaverat, vehementiſſime urgerent, ut matrimonium cum Zoe approbaret, & ille conſtanter recuſaret, illico corripitur, pedibus per nives properare cogitur, cimbæ imponitur, & in exilium mittitur. Non amicis, non famulis Patriarcham ſequi licuit, ne quidem liber unus, cujus lectione ſolitudinem in arcta cuſtodia levaret, relictus. Ceteri quoque Epiſcopi, qui in eadem ſententia perſiſtebant, relegati, in carceres miſſi, vinculis ferreis onuſti. Inter hæc autem Conſtantinopoli celebratum eſt Concilium, in

Sæculum X. A C. 907.

quo, Legatis præsidentibus, matrimonium Imperatoris per dispensationem ratum habitum (*), Nicolaus Patriarcha depositus, & suffectus Euthymius, Syncellus, pius, virtutis amans, atque haud vulgari vir specie. Is ad Dignitatem Patriarchalem recipiendam revelatione cœlesti permotus dicebatur, & præscius, Imperatorem legem editurum, ut tertiam quartamve uxorem ducere permitteretur, quod huic consilio complures viri docti suffragarentur.

§. XLI.

Res Orientis.

Eutych. to. 2. p. 471.

Michael Patriarcha Alexandrinus, cui Leo Imperator in causa nuptiarum suarum scripsit, ad illam Sedem evectus fuerat, anno Hegiræ 258. JEsu Christi 872. quam cum annis triginta quatuor, nempe usque ad annum nongentesimum septi-

(*) Ex his factis iterum Jurisdictio Romanæ Sedis in Constantinopolitanam, & utriusque etiam post Schisma, ut vocant, Photianum Communio contra Protestantes luculenter demonstratur. Sed tamen quæstioni forte locus esset, an non Nicolaus Patriarcha, cujus culpa potius pertinax error, quam improbitas, dicenda, non justo rigidius habitus fuerit. Ceterum vox, dispensatio, hic in sententia Orientalium accipienda est; nam in Occidente nulla fuisset requisita.

septimum tenuisset, Successorem habuit Christodulum, patria Alepensem, Jerosolymæ a Patriarcha Elia, filio *Manzur*, Sabbato Sancto, die septima mensis Ægyptii *Barmuda*, ordinatum, super quem, postquam Alexandriam perveniisset, quia eum cives recipere nolebant, nisi orationes in ordinatione Episcoporum dici solitæ iterum recitarentur, illæ preces, quarta die mensis Arabici *Ramadan*, anno Hegiræ 294. seu eodem anno 907. repetitæ sunt. Is Alexandrinam Ecclesiam annis viginti sex rexit. Patriarcha Jacobita Alexandrino, cui etiam Michael nomen, anno 902. defuncto, Sedes annis quatuordecim vacavit. Antiochiæ, Patriarcha Melchita Theodosio e vivis erepto, successit Simeon, Zarnaci filius, anno primo Califæ *Motatid*, nempe anno octingentesimo nonagesimo secundo, & postquam illi Ecclesiæ præfuisset annis duodecim, Successorem habuit Eliam, qui Sedem illam nactus anno 904. Califæ *Moctafi* tertio, eandem annis viginti octo obtinuit. Quod spectat ad Califas Bagdati, *Mutamid* anno Hegiræ 279. reparatæ Salutis 892. fatis functo, Achmet nepos successit, accepto nomine *Mutadid*. Is filiam *Hamaruyæ*, ex Achmete, qui Ægypto dominatus est, geniti, tori consortem accepit, & cum libidini, qua acriter in plurimas ardebat, non tempe-

Sæculum X. A. C. 907.

p. 488.

Chr. Orient, p. 111.

p. 488. *Eutych.*

Elmac. l. II. c. 17. *p.* 170.

Sæculum X. A. C. 907.

raret, decimo regni ſui anno, Hegiræ 289. Salutis noſtræ 902. ætatis ſuæ quadrageſimo ſexto, occubuit. Filius ejus Ali, cognomento *Moctafi*, ſucceſſit, qui poſtliminio potitus eſt Ægypto, mortuo Aarone, Hamaruyæ filio. Itaque hæc familia, quæ Turcam Tulunum auctorem habebat, non plus annis quadraginta in Ægypto dominata eſt. Califa vero Moctafi, poſtquam annis ſex & dimidio regnaſſet, anno 295. ſeu 908. e vivis abiit annos natus triginta & unum.

c. 18.

Hæc illa tempeſtate rerum in Oriente facies fuit.

§. XLII.

Sergius III. Papa.

Papebr. ex Epitaph. Sup. §. 27. Flod. verſ. p. 687.

Sergius III. Papa, ad quem Leo Imperator literas direxerat, Patria Romanus, Benedicti filius, Presbyter, primo Papa electus anno octingenteſimo nonageſimo nono, Theodoro fatis functo, cum annis ſeptem in exilio fuiſſet, revocatur, Chriſtophoro ſufficiendus, & anno nongenteſimo quinto Papa ordinatur. Sedit annis ſeptem, & quia Joannem IX. ſibi olim prælatum, tresque ſequentes Pontifices pro uſurpatoribus habebat, Formoſo dudum mortuo iterum bellum indixit, atque Acta Stephani VII. approbavit, cujus corpus decimo poſt obitum anno transtulit, ejusque ſepulchrum

Epita-

Epitaphio egregio decoravit. Ecclesiam Lateranensem Stephani tempore collapsam a fundamentis usque ad fastigium reparavit, sibique in ea sepulchrum destinavit. Tunc autem temporis Theodora versuti ingenii femina, & celebre scortum, cui duæ erant filiæ, Marozia & Theodora, matre longe pejores, rerum in Urbe potiebatur. Marozia ex sacrilego commercio cum Sergio Papa filium (*) genuit, nomine Joannem, suo tempore Papam futurum, & ex Alberto Marchione, viro suo, Albericum, posteriore

Sæculum X. A. C. 907.

Ap. Baron. an. 900.

Luitpr. l. II. c. 13.

(*) Cardinalis Baronii ad annum 908. ex Luitprando verba sunt: *Cujus præter vim Tyrannicam in Pontificatu invadendo ab Auctoribus ejus Sæculi Scriptis proditam, turpitudo quoque vitæ ab eisdem tradita posteris, magna infamiæ nota est reddita manifesta. Luitprandus enim obscœna ista nota reliquit his verbis: Theodora Scortum impudens hujus Alberici, qui nuper hominem exuit, avia (quod dictu etiam nefandissimum est) Romanæ civitatis non inviriliter Monarchiam obtinebat, quæ duas habuit natas, Maroziam atque Theodoram, sibi non solum æquales, verum etiam Veneris exortivo promptiores. Harum una Marozia ex Papa Sergio, cujus supra fecimus mentionem, Joannem, qui post Joannis Ravennatis obitum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obtinuit Dignitatem, nefario genuit adulterio &c.*

Sæculum X. A. C. 907.

riore tempore Urbis Dominum. Ceterum primus Pontificum est Sergius, cui hujusmodi probrum objici potuerit. (*)

§. XLIII.

(*) Denique post tot evoluta Sæcula Sergius, numero secundus, nam Stephanus VII. primo loco poni potest, invenitur, cujus mores S. Sedem dehonestarunt. Quare in garritu D. Mosheim *in Præf.* præter insignem calumniam nihil veri & solidi est, dum dicit, a Sæc. VIII. vix ullum amplius probæ vitæ Pontificem Romanum occurrere. Verius & sapientius differit Natalis Alexander *Art. VII. de Sergio* in hunc modum: *Ceterum Sedem Apostolicam nihilominus reveriti sunt Fideles omnes, quamvis ei Pontifex turpissimus & lupus potius quam pastor incubaret.* Tum post memorata hujus rei exempla & testimonia, *Frustra ergo triumphum agunt Lutherani & Calvinistæ, cum hujusmodi Pontificum recensent historiam. Siquidem non ex Personis fidem, sed ex fide Personam judicare debemus: & sicut non excusaretur, qui Dignitatem Apostolicam contemneret, quod Judas fuerit ad ipsam provectus; ita non excusantur illi, cum Pontificiam Dignitatem, cum Romanam Ecclesiam, divinumque Summi Pontificis Primatum contemnunt & impugnant, licet non nulli Pontifices flagitiosi fuerint.* Nempe tam parum paucorum Pontificum mala vita Ecclesiæ Romano-Catholicæ nocere potest, quam parum Scribarum & Pharisæorum in Cathedra Moysis sedentium nequitia Synagogæ obfuit.

§. XLIII.

Sæculum X. A. C. 907.

Formosus ab Auxilio defensus.

Probabilis admodum conjectura est, sedente Sergio Auxilium Presbyterum Scripta sua, quibus Ordinationes a Formoso Papa factas defendit, in lucem edidisse. Sunt vero tria, atque primum est Collectio testimoniorum ad probandum primo, quod Translationes Episcoporum non nunquam sint licitæ, & refert falsam Decretalem Anteri, tum etiam complura exempla, omnia ab Ecclesia Græcorum accepta. Citat decimum quintum Canonem Nicenum, Translationem Episcoporum damnantem, tum duos primos Canones Sardicenses, & quia, ipso Judice, nimis rigidi sunt, perperam asserit, esse privatam opinionem Osii, cujus nomen præferunt. Probat Auxilius secundo, non magis licitum esse, iterare Ordinationem quam Baptismum, atque Ordinationem ab Episcopo etiam condemnato peractam nihilominus esse validam. (*)

Ap. Morin. de ordin.

Sup. lib. XI. §. 19.

Lib. XII. §. 37.

c. 17. 18. c. 19. 20. &c.

Absur-

(*) Constans hæc est in Ecclesia Romano-Catholica Doctrina; Episcopum semel rite ordinatum semper Sacramentum Ordinis valide, etsi non semper licite, aliis conferre posse. Quam ambigua autem & confusa sint omnia apud Protestantes ad Sacrum Ministerium nec rite vocatos,

Sæculum X. A. C. 907. c. 28.

Absurda, quæ sequerentur, si valor Ordinationis illorum, quibus Formosus manus imposuit, in dubium vocaretur, exponit in hunc modum: *Sequetur, Religionem Christianam ab annis ferme viginti in Italia defeciſſe, Episcopos a Formoso ordinatos nihil egiſſe, cum Eccleſias dedicarunt, Altaria conſecrarunt, Sanctum Chriſma benedixerunt, item nec ab ipſis, nec a Presbyteris fontes Baptiſmatis potuiſſe ſanctificari, nec eos vere Miſſas celebraſſe, nec ullam Oblationem vivis mortuisque* (*) *ſalutarem feciſſe. Preces matu-*

tos, nec ordinatos, audiamus Cardinalem Bellarminum in Præf. ad Controv. de Sacram. tam ſolide quam eleganter ita præludentem: *Hæreticos homines, ut eſt apud Iſaiam Prophetam Cap.* 19. *Spiritu vertiginis agitari, & tanquam Babyloniceæ turris ædificatores, ſic inter ſe linguis & moribus eſſe diviſos, ut alius alium non agnoſcat, nulla re magis quam diſputatione Sacramentaria comprobatur. Etenim cum de Sacramentis agitur, ſive nomen, ſive natura, ſive numerus, ſive efficacitas, ſive quid aliud in controverſiam adducatur, non modo inter ſe acerbiſſimis contentionibus altercantur, ſed etiam ita inepte atque abſurde plerumque diſputant, ut de ſtultitiæ palma contendere, vel de gloria imperitiæ dimicare velle videantur.*

(*) Inde conſuetudo perpetua pro defunctis orandi contra Proteſtantes probatur.

matutinas aliarumque horarum non fuisse exauditas, Diaconos & Subdiaconos sine fructu munere suo fuisse functos. Dieendum fore, totam Ecclesiam culpam admisisse, quod has Ordinationes in Concilio approbaverit. Si Formosus male ordinatus fuit, in quem culpa rejicienda erit, nisi in populum Romanum, qui eum elegit, in Clericos & Principes, qui, quoad vixit, ab eo Hostiam Corporis & Sanguinis Domini Nostri acceperunt, & cum ipso Stationibus ceterisque Solemniis interfuerunt? Quid vero illi deliquisse dicendi erunt, qui a remotioribus provinciis advenerunt, ut Ordinationem a S. Petro per manus Vicarii ipsius acciperent? Deinde illis Auxilius respondet, qui in excusationem afferebant auctoritatem Superioris, cui resistere non potuissent, & affirmat, Superioribus non esse obediendum scelera imperantibus, nec timendam esse excommunicationem injustam, sed distinguendam (*) esse Sedem, cujus Reve-

Sæculum X. A. C. 907.

c. 29.

c. 32.

c. 33. 34.

(*) Ad hunc locum in Natali Alexandro sequentem lego Reflexionem; *Prudenter monet* JOANNES MORINUS *Congregationis Oratorii vir doctissimus, præfatione in duos Auxilii libellos, quos edidit in Commentario de Sacris Ordinationibus, hanc distinctionem cautius fuisse explicandam. Prætextu enim honoris conservandi*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæculum X. A. C. 907.

§. 40.

Reverentia nunquam esset exuenda, a Pontifice, quem errantem Fideles sequi non deberent. Concludit, sibi ceterisque a Formoso ordinatis Gradus suos esse servandos, usque dum in hac causa Concilium universale pronunciasset.

Auxilii Scripta.

Scriptum Auxilii secundum ad Leonem Episcopum Nolanum dirigitur, cui, olim a Formoso ordinato, vehementer instabant, ut Ordinationem suam nullam fuisse profiteretur. Cum hac de re Francorum doctissimos, atque etiam quosdam Beneventanos consuluisset, responderant datis literis; caveret sibi, ne hunc errorem admitteret. Tum etiam Auxilium rogavit, ut ad ea, quæ sibi objiciebantur, responderet. Unde Auxilius, transmisso ad eum Scripto primo, plenius ipsi satisfacturus secundum quoque

di Throno Apostolico debiti, habenæ laxantur convitiatoribus Pontificum; unde necessario & evidenter convitia in Sedem ipsam reflectuntur.

Sine dubio cautissime adhibenda est ista distinctio, quæ tamen non nunquam est necessaria; & tunc nómine Sacræ Sedis non, exempli causa, Sergius III. sed tamen plerique Romanorum Pontificum, S. Petri in Cathedra Romana Successorum, quibus Christus Dominus singularem gratiam & infallibilitatem ad regendam Ecclesiam suam promisit, & hucusque dedit, accipi possunt.

que composuit. Præmittit Quæstionem generalem, an Ordinatio vi collata sit valida, & respondet affirmative, quod confirmat exemplo Baptismi vi adulto collati, quem valere asserit. Sed in utroque fallitur.

Sæculum X. A.C. 907.

C. Majores. § item quær. extra de Bapt.

Secundum hoc Scriptum Dialogus est, quem Auxilius exorditur in hunc modum: Aggressor: *Formosus relicta Sponsa sua alienam rapuit.* Vult dicere, quod dimissa Ecclesia propria Sedem Romanam illi abstulerit, qui in ea legitime ordinandus fuisset. Defendens: *Non est mihi curæ, an Formosus Sponsam habuerit. Satis est, quod Ordinatio, ab ipso facta, fuerit canonica.* Aggressor: *Formosus Papa non fuit. Ergo Ordinatio ab ipso peracta nulla est.* Defendens: *Formosum Papam agnoverunt compluribus annis non Imperium Romanum modo, sed etiam Gentes barbaræ, atque Clerici ex Regionibus remotissime positis Romam venerunt, de more Ordinationem recepturi.*

Hæc verba Auxilii notari merentur. Repetit deinde eadem argumenta, quæ in primo Scripto, de valore Ordinationis Episcopi, etiam in causa Hæresis damnati, attulerat. Ad exemplum Constantini Papæ, cujus Ordinationes nullæ fuerant declaratæ, dicit, bene factum, quod Constantinus fuisset depositus, erratum

Sup. lib. XLIII. §. 53. 57.

Sæculum X. A. C. 907.

ratum vero, quod eidem oculi eruti, ab ipso Ordinatis iterum manus impositæ, & coacti, sacramento se obstringere, se nunquam Ordinem Clericalem recepturos. Asserit, secundo Ordinatis nullum Ordinis sui officium esse obeundum, & Papæ ad Synodum vocanti, ubi causa manifeste mala est, non esse obtemperandum.

c. 10.
c. 12.

Dicit, Formosum jam amplius judicari non posse, postquam Dei Judicio fuisset præsentatus. *At vero*, inquit Aggressor, *post suam Depositionem non potuit esse Episcopus, & multo minus Papa.* Defendens respondet: *Quia auctoritate Sacræ Sedis depositus fuit, eadem auctoritate reconciliatus est.* Adversarius: *Quando depositus fuit, juravit super Sancta Evangelia, se nunquam Urbem intraturum, & nunquam Ecclesiam suam Cathedralem repetiturum. Ergo reconciliari non potuit.* Defendens: *Ejusmodi juramentum ipsis Gentilibus detestandum videri posset! jurare, nunquam ad limina Apostolorum redire se velle, & reconciliationem petere! quanta crudelitas!* Adversarius: *An Papa reconciliare virum debuit, proprio ore condemnatum?* Defendens: *Id metu extortum fuit. Sufficit, quod postea auctoritate S. Sedis reconciliatus fuerit.* Adversarius: *Demus tibi, quod Formosus fuerit reconciliatus;*

c. 20.

c. 22.

sed

sed deinde eum cupido gloriæ ad dimittendam Ecclesiam suam impulit. Defendens: *Incertum, an ambitione ductus S. Sedem conscenderit; quare, Dei Judicio relinquendus est. His enim omnibus non obstantibus tota Romana civitas & adjacentes Regiones testantur, Formosum virum fuisse eximiæ Sanctitatis, paucissimis exceptis, qui famam defuncti proscindunt.* Sæculum X. A. C. 907.

Adversarius: *Quod vero nunc objiciam, nunquam solves. Quando Formosus advenit in Papam ordinandus, manus sibi imponi voluit tanquam non Episcopo; unde Dignitatem Papalem non modo non accepit, sed etiam, quam habebat, Episcopalem amisit.* c. 26. Defendens: *Viri tunc cum Formosus in Throno Papali collocaretur, præsentes a me interrogati, responderunt, esse falsissimum, quod in ista Translatione Formoso manus fuissent impositæ, sed, inquiebant, veluti peregrinantes ambulando orant, ita nos orantes Electum ad Sedem Apostolicam deduximus & inter preces convenientes in Thronum Papalem evexímus.* c. 27. Adversarius: *Supersunt hodieque complures viri fide digni, qui Formosum petiisse, iterum sibi manus imponi testatum faciunt.* Defendens: *Et ego cum pluribus aliis certissime scio; istud a solis Formosi inimicis in vulgus spargi. At Leges Divinæ humanæ-*

Sæculum X. A. C. 907.

manæque testimonium inimicorum rejiciunt.

c. 29. Formosus defensus.

Adversarius: *In Concilio quidem Ravennæ celebrato Ordinatio Formosi valida fuit declarata; sed nullam habemus rationem illius Decreti, scilicet magna pecuniæ vi extorti.* Defendens: *Dicis, quod probare nequis. Illud vero luce clarius, omnes ferme Italiæ Episcopos huic Concilio interfuisse. Quare, si Deo disponente Imperator Concilium Universale convocaverit, quid de vobis decernetur, qui tot Episcoporum Judicium rejicitis?*

c. 30.

Adversarius: *Stephanus, qui tertius a Formoso Petri Sedem tenuit, eum esse nocentem usque adeo persuasum sibi habuit, ut ejus cadaver e tumulo proferri, & in Concilium raptari jusserit, ubi vestibus Sacerdotalibus spoliatum, lacicorum indumento tectum, abscissis dextræ duobus digitis in sepulchro peregrinorum positum, & tandem in Tiberim provolutum.* Defendens: *Nempe, ferarum rabies istorum, qui hæc fecerunt, animos occupaverit, necesse est; quis unquam barbarorum, ne dicam Christianorum, ita in mortuum sæviisse perhibetur? Etsi autem illa Translatio ab una Sede ad aliam illicita fuisset, nihilominus lenitate viros Ecclesiasticos decente tolerari debuisset, & non crudelitate in illam usque diem inaudita puniri. Tum Concilium universale cogere oportebat,*

bat, & prohibere, ne istud factum Romæ unquam in exemplum traheretur. Deinde contendit, juramentum vi adhibita extortum, nisi peccatum subsit, esse servandum. Sæculum X. A. C. 907. c. 32.

In Scripto tertio Auxilii nostri Aggressor asserit, ordinationem Formosi fuisse illicitam, postquam juramentum edidisset, nunquam se consensurum, ut in Sacram Sedem eveheretur. Et Actor, id est, Defendens id non negat, sed affirmat, Ordinationem Formosi nihilominus fuisse legitimam propter Ecclesiæ emolumentum, quod cujuscunque hominis privati voluntate potius esset. Tunc vero liquido patuisse, utilitatem Ecclesiæ id postulare, quod ad subeundum Supremi Pastoris officium Formoso nemo dignior inveniretur. Subjungit hujus Pontificis Elogium: *Formosus toto vitæ suæ tempore virum omnino gravem se probavit. Nunquam gustavit vinum, non manducavit carnes, virgo permansit usque ad vitæ finem, quem anno ætatis octogesimo attigit, convertit Bulgaros, Doctrinæ Christianæ veritatem Sanctæ vitæ exemplo confirmans.* Hæc mihi in Scriptis Auxilii notatu digna visa sunt. *Annal. to. 4. p. 610.* *p. 619.*

§. XLIV.

Concilium Troslejanum.

In Francia Heriveum Archiepiscopum

Sæculum X. A.C. 909.

Remenſem Wido Archiepiſcopus Rotomagenſis conſuluerat, quid decerneret de Paganis converſis, qui accepto Baptiſmo ad ſuas Superſtitiones reverſi fuiſſent. Item de illis, qui necdum Sacro fonte fuiſſent lavati. Nempe permulti Normanni, in Francia ſedem figere cupientes, Fidem Chriſtianam ſuſcipiebant. Heriveus autem Reſponſi loco miſit collecta teſtimonia S. Gregorii aliorumque Patrum in Articulos 23. diviſa, & quasdam hiſtorias parum fide dignas.

Flod. IV. hiſt. c. 14. to. IX. Conc.

Idem Archiepiſcopus Remenſis complures quidem Synodos cum ſuæ Provinciæ Epiſcopis celebravit; ſed illius ſolum habemus Decreta, quod Trosleji apud Sueſſionem vigeſima ſexta Junii anno nongenteſimo nono Indictione duodecima convocavit. Interfuere ipſius Suffraganei, atque duodecim Antiſtitum nomina ſubſcripta viſuntur. Videlicet Heriveus Archiepiſcopus Remenſis, Wido ſeu Guido Rotomagenſis, Rodulfus Epiſcopus Laudunenſis, Herluinus Bellovacenſis, Robertus Noviodunenſis, Letoldus Catalaunenſis, Abbo Sueſſionenſis, Stephanus Cameracenſis, Hubertus Meldenſis, Otfridus Silvanectenſis, Stephanus Teruanenſis, & Ogerius Ambianenſis. Decreta vero hujus Synodi, in quindecim Capita diviſa, potius longæ adhor-

to. IX. Conc. p. 520.

adhortationes quam Canones sunt, ex quibus tristis Ecclesiæ facies dispicitur. Sæculum X. A. C. 909.

In Præfatione hæc leguntur: *Depopulatæ sunt urbes, destructa, vel incensa Monasteria, agri in solitudinem redacti. Et sicut primi homines nulla lege, nullo saltem timore male agere prohibebantur, sed libere ventri, delectationibus oculorum & ceteris vitiis serviebant, ita nunc contemptis legibus Divinis humanisque & Edictis Episcopalibus unusquisque quod vult agit. Viribus potentior infirmiorem opprimit, vexantur pauperes, res Ecclesiarum diripiuntur. Denique ne nobis ipsis parcere videamur, quorum est errata aliorum corrigere, Episcopi dicimur, sed Episcopale officium non implemus. Ministerium prædicationis negligimus, eos, qui nobis commissi sunt, videmus Deum deserere, & in pravis actibus jacere, & tacemus nec eis manum tendimus. Sed & si aliquando admonere cœperimus, respondent illud ex Evangelio, nos alligare onera gravia & importabilia & imponere in eorum humeros, digito autem nostro nolle ea movere. Sicque fit, ut nobis tacentibus grex Domini pereat. Quis unquam ministerio linguæ nostræ conversus luxuriam suam damnavit? quis avaritiam, quis superbiam declinavit? Interim instat reddenda ratio negotii nobis commissi cum exactione lucri.*

p. 522.

p. 523.

Matth. 23. 4.

Sæculum X. A. C. 909.

c. 2.

Deinde de Monasteriorum lapsu hæc habentur: *Quædam a paganis sunt destructa vel incensa, quædam rebus spoliata & ad nihilum prope redacta. Si tamen quorumdam adhuc supereſſe videntur vestigia, nulla in eis Regulæ instituta servantur. Namque Monachi, Canonici, Sanctimoniales propriis carent Rectoribus, dum contra omnem Ecclesiæ auctoritatem Prælatis extraneis subduntur. Unde partim paupertate, partim prava voluntate impulsi moribus vivunt incompositis. Et qui Sanctitati & Religioni intenti esse debuissent, terrenis negotiis vacant. Quidam etiam necessitate cogente, relictis Monasterii septis, volentes nolentesque Sæcularibus junguntur, more Sæcularium vivunt, in nullo distare a vulgo videntur, & propter infima, quæ sectantur, opera, despectui habentur. In Monasteriis Deo consecratis conversantes conspicimus Abbates Laicos cum uxoribus, liberis, militibus, & canibus. Quomodo ejusmodi Rectores compellent Monachos ad observandam Regulam, ipsi literarum ignari? nihilominus, quod auditu lugubre! Laici in medio Sacerdotum & virorum Religiosorum, velut Magistri, sedentes de ipsorum vita & moribus, ordine perverso judicant.*

Facies Ecclesiæ & Monasteriorum.

Censemus igitur, & decernimus, ut status Monasteriorum juxta antiquam Regulæ

Regulæ traditionem, & Canonum constituta servetur. Abbates sint viri Religiosi, qui Disciplinam Regularem noverint, Monachi vero vel Sanctimoniales juxta suam professionem sobrie, pie, simpliciter vivant, pro Regum Salute, Regni pace, & tranquillitate Ecclesiæ orent, Ecclesiasticam jurisdictionem non perturbent, pompam sæcularium non imitentur. Quidam enim tam pretiose & compte vestiti incedere, ut talis cultus etiam pios laicos dedeceret, & rebus communibus non contenti propria possidere, quin etiam sordidis lucris inbiare dicuntur. Sane ne ulla monachis evagandi & talia quærendi detur occasio, Abbates provideant, ut secundum Regulam singulis alimenta necessaria & vestes præbeantur. Sæculum X. A. C. 909.

Multa deinde in hoc Concilio leguntur de Reverentia Personarum Ecclesiasticarum, de opprobriis, qnibus illa ætate Clerici lacessebantur, & prædationibus rerum Deo Sacrarum. Tum subjungitur: *Sunt, qui ab ipsis Sacerdotibus Bonorum Sacrorum census exigant, aut alias pensiones, dona, epulas, equos, & pabulum, etsi nullum aliud servitium quam Spirituale petere ab eis possint.* Haud dubie Patronorum culpa hæc erat, qui, cum Parochos nominarent, hæc eis onera imponebant. Concilium etiam declarat, Bona Ecclesiarum, id est, Decimas, c. 5. c. 6.

Sæculum X. A. C. 909.

mas, Primitias, & Oblationes ab omni exactione Fisci & Dominii directi esse exemptas, quas videlicet Presbyteri sub Episcoporum cura constituti administrarent. Patres his subjungunt: *Neutiquam tamen volumus, ut Episcopi soli istorum Bonorum Domini, læso Optimatum jure, sint; sed tantum administratio iis competat. Cetcrum omnes Presbyteros jubemus Dynastis & familiaribus eorum, ad quos Ecclesiæ pertinent, honorem convenientem exhibere. Non arrogantia, non contentio irrepat. Salva Ministerii Sacri Reverentia Dominis suis, & Parochianis, de quorum oblationibus vivunt, grati esse & accepti satagant, humili mente præstent iis Servitia Spiritualia, quæ etiam gratis conferre deberent, etiamsi nullam mercedem temporalem ab iisdem acciperent.* Tum probatur, Decimas Bonorum omnium etiam mercatu aut propria industria acquisitorum dandas esse.

c. 7. Concilium istud rapinas & latrocinia tunc frequentissima damnat, tum etiam
c. 8. raptus, matrimonia clandestina, fornica-
c. 9. tiones; nec viris Ecclesiasticis modo, quibus omne commercium & familiari-
c. 10. tatem cum feminis interdicit, sed etiam omnibus Fidelibus ab illis vitiis se conti-
c. 11. nere præcipit. Prohibentur perjuria &
Canones Concilii Troslejani. juramenta ex levitate animi prolata, in quolibet sermone centies repetita, inimicitiæ,

micitiæ, unde cædes oriebantur, de quibus etiam Summi Sacerdotes non erant securi. Renovatur Excommunicatio lata in Interfectores Uncti Domini, id est, Fulconis Archiepiscopi, & subditur: *Pessima consuetudo apud nos invecta est, quod Episcopo moriente, qui viribus superiores sunt, Bona Ecclesiæ invadant; quasi vero ea Episcopi propria fuissent. Quamvis ne tum quidem hoc rapinæ genus sanæ rationi consentaneum esset. Quare in nomine Dei omnipotentis & Sanctorum, qui cum ipso in Cælo regnant, tantum Sacrilegium prohibemus.* Sæculum X. A. C. 909. c. 12. 13. c. 14.

Paucis deinde interpositis: *Ex Sacræ Sedis literis ad nos datis intelleximus, in Oriente adhucdum gliscere errores & blasphemias cujusdam Photii dicentis, S. Spiritum non a Filio, sed tantum a Patre procedere. Quare hortamur vos, ut lectioni S. Scripturæ & SS. Patrum diligenter studeatis, & doctrinam hauriatis, qua pestem hanc renascentem extinguere valeatis.*

Ultimo Episcopi Adhortationem addiderunt hujusmodi: *Nostra & Fratrum nostrorum desidia atque ignorantia factum, quod in Ecclesia innumeros homines utriusque sexus & omnis conditionis reperire sit, qui ad senilem ætatem perveniunt, fidei Christianæ usque adeo rudes, ut etiam Symboli verba & Orationem Dominica-* c. 15.

Sæculum X. A. C. 909.

minicalem recitare nequeant. Unde etiam-si vita ipsorum bona videretur, quomodo bona opera facere sine fundamento Fidei possunt? (*) Cetera quæ sequuntur in Concilio sunt compendium Doctrinæ Christianæ, & oratio, qua Episcopi Fideles ad fugiendum vitium & virtutem amplectendam excitant. In omnibus vero hujus Concilii Decretis magna Rerum Ecclesiasticarum scientia & solida pietas eluceſcit.

§. XLV.

Monasterium Cluniacense fundatur.

Mabil. to. 5. p. 77.

Jam tunc quidam viri pietate clarissimi ad reparandam Disciplinam monasticam propemodum collapsam animum adjecerant; cujus operis sane magni celeberrimum exordium fuit fundatio Monasterii Cluniacensis, exinde fama inclyti. Fundator fuit Comes Guilielmus, alias etiam Dux Aquitaniæ, & Bituricensis dictus, Bernardi Comitis Arverniæ filius, & alterius Bernardi, Comitis Pictavien-

(*) Pari ratione non juvant Protestantes excusationes illæ: *de veritate fidei meæ non dubito. Tranquille mortem oppetimus,* & his similia, nam cum fundamento fidei veræ & vivæ destituantur bona eorum opera ad salutem non prosunt, quod R. P. Neumayr in Conc. ad Fest. S. Hilar. anno 1759. irrefragabiliter probat.

ctavienſis, nepos, qui Conjugem acce- Sæculum X.
perat Ingelbergam, Boſonis Regis Pro- A. C. 909.
vinciæ filiam, & Sororem Imperatoris Ludovici, tunc regno & oculis privati, filiumque ex ea ſuſceperat in prima ætate mortuum. Cauſas vero fundati Monaſterii ipſe Auctor in diplomate, quod hodieque nobis ſupereſt, exponit in hunc modum:

Cum facultates a Deo mihi datas Saluti animæ meæ impendere cupiam, nihil melius viſum, quam ut JEſu Chriſti pauperum amicitiam mihi conciliare ſtuderem. Atque ut iſtud opus ſit perpetuum, meis opibus Congregationem Monachorum alere conſtitui. Itaque ob amorem Dei, & Salvatoris noſtri JEſu Chriſti, & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, dono de propria mea ditione Cluniacum ſcilicet Villam ad Graonam amnem ſitam cum Oratorio, quod ibi in honorem S. Dei genitricis Mariæ & S. Petri Apoſtolorum Principis eſt, & omnibus rebus ad ipſam Villam pertinentibus, in Comitatu Matisconenſi vel circa poſitis. Dono autem hæc omnia ego Wilhelmus pro Salute animæ Domini mei Regis Odonis, Parentum, & Subditorum meorum, ea conditione, ut Cluniaci in honorem SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Monaſterium conſtruatur, ibi Monachi ſecundum Regulam S. Benedicti viventes congregentur, ſitque perpetuum illis Refugium,

tom. 9. Conc. p. 565. Bibl. Clun. p. 2. Act. Sæc. 5. p. 78.

Sæculum X. A. C. 910.

fugium, qui pauperes de Sæculo egressi nihil secum præter bonam voluntatem attulerint.

Sint ipsi Monachi sub potestate Abbatis Bernonis quamdiu in vivis fuerit. Post ejus obitum habeant licentiam quemcunque sui Ordinis secundum Regulam S. Benedicti Abbatem eligendi, ita ut nec a nobis, nec a quacunque alia potestate Electio Regularis impediri queat. Post quodlibet quinquennium iidem Monachi decem Solidos ad S. Petrum Romam pro concinnandis luminaribus mittant, habeantque Apostolos Patronos, & Romanum Pontificem Defensorem.

v. Mabill. p. 80. Id. p. 67.

Quotidie opera misericordiæ, ut poterunt, pauperibus, advenis, peregrinantibus exhibeant. Monachi ibidem congregati ab hac die nec nobis, nec consanguineis nostris, nec Regi, nec cuicunque alteri in terra potestati subjiciantur. Neque aliquis Principum Sæcularium, non Comes, non Episcopus, non ipse Sedis Romanæ Pontifex (quos per Deum omnesque Sanctos ejus, & tremendi Judicii diem obtestor & deprecor) res istorum Servorum Dei invadat, permutet, distrahat, vendat, minuat, aliis in Feudum concedat, nec aliquem Prælatum super eos, ipsis nolentibus, constituat. Illos deinde devovet, & excommunicari optat, qui hanc Donationem quacunque demum ratione vanam reddidissent,

didissent, & in pœnam temporalem addit, ut centum auri libras dare Judicis potestate compellantur. Facile dispiciet lector, plerasque has cautiones ob temporum illorum iniquitatem fuisse adjectas; tanta vero Comitis Wilhelmi erat potentia, ut quoad ipse viveret, opus suum conservare posset. Actis hujus Donationis Bituricæ publice subscripsit Wilhelmus Dux *. Tum visuntur Sigilla Ingelbergæ uxoris ejus, Madalberti Archiepiscopi Bituricensis, Adalardi Episcopi Claromontani, & alterius cujusdam Episcopi, nomine Attonis, aliorum Procerum. Dies apposita est undecima Septembris, annus Regis Caroli undecimus *, Indictio decima tertia, nempe annus 910. Sæculum X. A. C. 910.

* Comes.

* in Actis decimus tertius.

Berno, primus Abbas Cluniacensis, ex primis stirpibus in Comitatu Burgundiæ ortus, Monasticum Institutum amplexus, Monasterium Gigniacense in Diœcesi Lugdunensi ex suo patrimonio fundavit. Monasterium vero Balmense in Burgundia prope Oppidum Ledonense Sequanorum reformavit, atque utrumque jam ab anno octingentesimo nonagesimo quarto rexit. Anno sequente Romam profectus, obtinuit a Formoso Papa Confirmationem fundati Monasterii Gigniacensis, quod hodie conversum est in Prioratum, Abbatiæ Cluniacensi conjun-

Sæculum X. A. C. 910.

conjunctum. At Balma hodieque Abbatia est. Ceterum in istis primordiis Berno non plures quam duodecim monachos Cluniacum immisit, secutus exemplum S. Benedicti, qui eundem monachorum numerum singulis Monasteriis dabat.

Berno Regularis observantiæ Statuta a Monasterio S. Martini Augustodunensis accepisse creditur. Saltem illud constat, quod Hugonem Monachum, ad reformandum Balmense & construendum Cluniacense Cœnobium inde sibi Adjutorem evocaverit. Hugonem puerum septennem parentes genere & opibus illustres in Pictavienſi Territorio monasticis institutis addixerunt in S. Savini Asceterio, a S. Benedicto Anianensi reformato, & in Regulari Disciplina confirmato a Monachis Glandifolienſibus, qui metu Normannorum pulsi ad Savinenses se receperant. Cum quidem Comes, cui nomen Badilo, ex Aquitania advena, Monasterium S. Martini Augustodunensis collapsum cerneret, illud a Rege expetiit, a se reparandum; quod ubi impetravit, ad S. Savinum se contulit, non ignarus, summo in pretio ibi esse Disciplinam regularem. Inde igitur octodecim Monachos, quos inter Hugo, Odo, & Joannes numerabantur, evocavit. Ipse Comes Badilo monachum induit in Cœnobio hoc

vit. S. Hug. Act. Sæc. V. p. 90.

hoc S. Martini Augustodunensi posteriore tempore inter Monasteria Franciæ celeberrimo. Hugo vero Sanctis sui Ordinis adscriptus est, & ex his, quæ dicta sunt, patet, unde Disciplinæ Regularis traditio Cluniacum advenerit. Sæculum X. A. C. 910.

§. XLVI.

Res Ecclesiæ in Germania.

Adalgerius Archiepiscopus Hamburgensis senio fractus, cum ad res gerendas tardior efficeretur, ex Corbeja nova Hogerium advocavit, qui infirmum adjuvaret. Interim Sergius Papa querelis Adalgerii ad se delatis permotus, Ecclesiæ Bremensis privilegia, a Formoso subtracta, reddidit, & quæ Gregorius & Nicolaus Papæ S. Anschario & S. Remberto concesserant, confirmavit. Præterea Adalgerio quinque Episcopos vicinos adjunxit, qui Senem in Ministerio Episcopali sublevarent, Ecclesias subditas visitarent, Verbum Dei prædicarent, Episcopos consecrarent. Quin & potestatem dederat novos constituendi. Obiit Adalgerius nona Maji anno 909. post susceptum Episcopatum vigesimo. Successit Hogerius, qui illi Sedi annis septem præfuit. Eum Hermannus Archiepiscopus Colonienſis, postquam aliquantisper repugnasset, ordinavit, Pallium Sergius Papa, & Ferulam seu Baculum Pastora- *Adam. hist. c. 42.*

Sæculum X. A.C. 912.

lem Ludovicus Rex dederunt. Disciplinæ Ecclesiasticæ amantissimus, delinquentes severe castigabat, & utriusque Diœcesis Monasteria diligentissime visitabat. Ipso sedente Diœcesim Hamburgensem Sclavi, & Bremensem Hungari depopulati sunt. Hogerius rebus humanis subtractus est vigesima Decembris, anno nongentesimo decimo quinto.

Hatto Archiepiscopus Moguntinus sub idem tempus, nempe anno nongentesimo duodecimo fatis functus, duodecim etiam Abbatiis præfuisse fertur. Quibusdam Regis corculum dicebatur, quod Regi Arnulpho esset carissimus. Is Civitatem Moguntinam propius ad Rheni ripam transtulit, & Herigerum antea Abbatem Fuldensem Successorem habuit.

Mabil. Sæc. V. Act. p. 11. &c.

Eadem tempestate in Monasterio S. Galli inter complures monachos Sanctitate (*) & eruditione celebres Notgerus Balbulus eminebat. Puer nobilibus paren-

(*) Nostra adhucdum ætate in Cœnobio Sangallensi, cujus Abbas dudum S. R. I. Principis Dignitate fulget, Disciplinæ Regularis & omnis eruditionis præsertim Linguæ Hebraicæ studium floret. Nec virorum illorum Religiosorum zelus intra domesticos parietes limitatur, sed ex aliarum etiam provinciarum Monasteriis juvenes Fratres

parentibus illi monasterio oblatus sub annum octingentesimum quadragesimum Marcellum & Isonem præceptores habuit. Iso natione Helvetus erat, & Marcellus Scotus, id est, Hibernus, qui a puero nomen *Moengal* gesserat. Ad Cœnobium S. Galli deductus est a Marco Episcopo, propinquo suo, qui ibi aliquamdiu commoratus est. Notgerus autem fuit corpore gracilis, acer ingenio, in adversis patiens, ad omnia mitis, Disciplinam regularem laxantibus severus, semper orans, legens, libros scribens, aut docens. Quippe in Claustro inferioribus Scholis præfectus erat. Obiit anno nongentesimo duodecimo sexta Aprilis. Complures Hymnos composuit, *Sequentias* in prosa ad Missam recitandas, & inter opera ipsius celeberrimum Martyrologium. Psalterium quoque in linguam Teutonicam transtulit. Sæculum X. A. C. 912.

Eodem anno nongentesimo duodecimo vigesima prima Januarii, Ludovico Germaniæ Rege juvene & improli decedente,

Fratres in Doctrina & literis instituendi illuc confluunt, quos inter R. P. Josephus a Gondola, quondam alumnus Monasterii nostri, hodie Episcopus Tempensis Suffraganeus Paderbornensis, se ibidem solida tam Benedictinæ Ascesis, quam Sacræ eruditionis principia hausisse grato animo profitetur.

Sæculum X. A. C. 912.

cedente, Caroli Magni posteritas in regno Francorum ultra Rhenum posito extincta est. Et tunc quidem, secundum ordinem Successionis hactenus nunquam violatum, Carolus Simplex Rex Francorum Orientalium æque ac Occidentalium (*) proclamari debebat; at vero sive quod ob imbecillitatem contemneretur, sive quod Austrasiæ populi incolas Neustriæ veteri odio aversarentur, Regem domi elegerunt. Ante omnes Ottonem Ducem Saxoniæ sibi deposcebant,

(*) Hæc vera quidem; sed Deus & populus Regna dispensant. Reges Franciæ ultra Rhenum jam tunc forsan provincias Germaniæ, utpote avitum Regnum suum, sibi vindicare jure potuissent, quando Carlomannus sine legitima prole (quippe Arnulphus illegitimo toro natus dicitur) & Carolus Crassus sine liberis decesserunt. At tunc obstabat Regum Franciæ Occidentalis juventus; nunc vero ex Caroli Magni stirpe superstes Carolus Simplex vix satis Neustriam in sua potestate continebat. Denique Carolus Magnus majus Imperium sibi subjecerat, & posteris reliquerat, quam ut ab uno alio, quam ipso Carolo Magno, regi posset. Ceterum a tempore Conradi primi Regna Francorum, ultra Rhenanum seu Gallia, & cis Rhenanum seu Germania, ita divisa sunt, ut exinde nullo unquam vinculo connexa fuerint, & Regnum Germaniæ paulatim in eam formam, in qua hodie consistit, transire cœpit.

bant, qui senectutem suam obtendens suasit, ut Conradum eligerent Ducem Franconiæ, inimicum suum, quod eum crederet ad imperandum Germanis se magis idoneum. Tantus amor patriæ fuit. Ergo Conradus communi omnium consensu Rex Francorum Orientalium creatus septem annis regnavit. Sæculum X. A. C. 912. *Ditm. lib. 1. Suppl. Reg.* 911. *Herm. cont.* 912.

§. XLVII.

Leonis Obitus. Alexander & Constantinus Imperatores.

In Oriente Leo Philosophus jam diu alvo cita laborans, ineunte Quadragesima anno 911. ita debilitatus est, ut ægre pro Concione dicere potuerit, quod illo tempore Imperatores solebant. Populo tamen congregato Fratrem suum Alexandrum Imperatorem pronunciavit, ejusque Tutelæ filium Constantinum, sexennem, quem anno superiore in Festo Pentecostes coronari jusserat, commendavit. Obiit deinde Leo Imperator undecima Maji, anno 911. postquam a morte parentis sui annis viginti quinque & tribus mensibus imperasset. *Post. Theo. p. 232. n. 32. Sim. Magn. n. 26.*

Complura Scripta hujus Principis nobis supersunt, præsertim Sermones in variis Festis habiti, ex quibus tres prima die Quadragesimæ pronunciati notantur. Sunt vero hi Sermones Declamationes Sophisticæ, ex quibus magis Ora- *Bibliol. PP. Lugd. to. 17. p. 22.*

Sæculum X. A. C. 912.

toris insolentia, quam pietas elucet. Et aliunde ex superius dictis scimus, quos mores Leo exhibuerit. Eidem tribuitur Epistola de materia Fidei ad Omarum Regem Saracenorum, qui ei scripserat, data. Si vero hæc epistola ab aliquo Imperatore scripta est, eam potius ex Leonis Isauri calamo fluxisse credibile est, utpote Califæ Omaro anno 717. coævi. Tandem, Leonis opus esse, dicuntur quædam Oracula (si Diis placet) adjectis figuris absurdis, ad designandas, ut putabat, Imperatorum, Successorum suorum, personas aptis. Nempe Leo errore omnibus Græcis illius ætatis communi Hariolorum & Astrologorum vanis divinationibus fidem habebat. Composuit Dissertationem de Tractica, id est, illa arte, quæ aciem in hostes moturam disponere docet, unde illud discimus, singulis diebus mane & vespere totum exercitum *Trisagion* cantasse, & pridie qua pugna instaret, omnes copias a Presbytero aqua Benedicta fuisse lustratas.

p. 44.

c. 13.

Alexander sub ipsa Regni auspicia, pulso e Palatio Patriarchali Euthymio, denuo in Sedem suam invexit Nicolaum Mysticum, a Leone Imperatore, cum adhuc viveret, revocatum. Convocato deinde in Palatio ad Magnauram Conventu, in quo Alexander cum Patriar-

Post. Theo. p. 233.

cha

cha Nicolao præfuit, Euthymius ex Monasterio Agatensi, ubi inclusus fuerat, adducitur, deponitur, & illico ex Conventu injectis manibus expellitur (*), barba evellitur, clamantibus persecutoribus, apage usurpatorem! apage adulterum! quod ipse nihil respondens patientissime tulit. Tum ad Monasterium Agatense remissus; ubi etiam mortem oppetiit.

Sæculum X. A. C. 912.

Euthymius pellitur.

Ceterum Alexander Imperator vix plus uno anno Imperium obtinuit, voluptati, venationis studio, epulis, Veneri, deditus, præstigiatorum & Sycophantarum ludibriis captus. Cum aliqua die equos in stadio decurrere jussisset, aulæis & candelabris Ecclesiarum ad decorandum Hippodromum, Idolis hinc & inde dispositis, plenum adhibuit. Quin etiam his Hippodromi Simulacris sacrificasse fertur, & aliquando ingemiscens exclamasse: *Heu nos, ad hæc tempora reservatos! quando Romani hos Deos adorabant, totum mundum vincebant, ipsi invicti.* Tandem cum in diebus canicularibus ad prandium se se vino ingurgitasset, & surrexisset, pila lusurus, subita

Aretas. Erchempert. ap. Bar. n. 912.

(*) Imperatores Græci potestatem sibi usurpabant in Patriarchas, quam non habebant, unde vilescente Episcoporum auctoritate etiam vera fides Constantinopoli salva esse non potuit.

Sæculum X. A. C. 912.

calamitate correptus copiosum sanguinem per nares & ureteres ejecit, & biduo post, Dominica, septima Junii anno 912. animam reddidit. Tunc igitur Constantinus adolescentulus septennis solus Imperator salutatur. Dictus est Porphyrogenitus, quod in Palatii Constantinopolitani cubiculo, Porphyrite ornato, quo Imperatrices ad pariendum concedere solebant, in lucem editus fuisset. Constantinus annis septem sub cura Zois matris suæ, & septem Tutorum, quos ei moriens patruus Alexander dederat, & quorum præcipuus Nicolaus Patriarcha fuit, regnavit.

Cang. C. P. t. II. p. 120.

§. XLVIII.

Epistola Nicolai Mystici.

tom. 9. Conc. p. 1264.
Ap. Baro. to. II. Append.

Nicolaus ad Romanum Pontificem dedit Epistolam, in qua, postquam quartas nuptias Leonis Imperatoris, & quam duram ipse persecutionem passus esset, retulit, de nimio Legatorum Sergii Papæ rigore conqueritur. *Cunctis videri poterat*, inquit, *Legatos ad hoc unicum Roma advenisse, ut nobis adversarentur. Verumenimvero, quandoquidem sibi Primatum in Ecclesia tribuebant, eorum fuisset, in hujus causæ adjuncta omnia diligentissime inquirere, & ad Papam deferre, non vero consentire damnantibus Patriarcham, nullius crimi-*

nis

nis reum, nisi quod incontinentiam Principis detestaretur. Nec adeo mirandi locus est, quod duo tresve viri tam facile decipi potuerint; quis vero patienter ferat, Occidentis Præsules, non cognita causa, sententiam injuste latam suo suffragio confirmasse? etenim obtendunt, ut a quibusdam accipio, dispensatum fuisse. Quasivero per dispensationem Canones violare & Principum lasciviam approbare liceret. (*) *Dispensatio, nisi fallor, Dei Misericordiam imitatur, & Peccatori surgere volenti manum porrigit, nunquam autem indulget, ut in peccato, quod admisit, perseveret. Forsan quis dicat, de Matrimonio hic agi, non de fornicatione. Ain vero Matrimonium, libidinosam commixtionem cum quarta muliere? Cur ergo Canones ab Ecclesiæ Communione repellunt hujusmodi culpæ reos? cur conjunctionem istam vocant pruritum belluinum, & modestiæ humanæ limites excedentem? Attamen ita fit apud Romanos. Saltem sic audio, sed nescio an majori laude vel probro vestro. Dicunt enim, apud vos viro licentiam fieri,*

Sæculum X. A C. 912.

(*) Fallebatur Nicolaus; cum nullum extet præceptum Divinum, nec etiam Canonicum saltem in tota Ecclesia receptum. Legatur Cardinalis Gotti in Theol. specul. tom. 3. fol. 559. & 60.

Sæculum X. A. C. 912.

ut quartæ, quintæ, sextæ mulieri sine termino usque ad tumulum conjungatur, vosque tantam dissolutionem verbis Apostoli excusare velle; melius esse nubere quam uri. Sed non attenditis, quod diserte solis feminis (*) secundas nuptias ob sexus fragilitatem indulgeat.

1. Cor. 7. 9.

Tum Nicolaus adducit Textum S. Clementis Papæ, quartas nuptias damnantis. Sed eum ex Opere apocrypho hausit.

Probat deinde, Principes nullo gaudere privilegio, nec a peccato magis quam privatum quemque eximi, & subjungit: *Hæc tamen scribens nolo te impellere ad damnandam Imperatoris vel Antecessoris tui Sergii memoriam. Nam ambo ex hoc mundo egressi Supremi Judicis vultum subierunt. At Imperator, priusquam ex hac vita discederet, agnovit errorem, deflevit culpam largiter fundens lacrymas, veniam delicti a Deo petiit, me potissimum exhortante & preces præeunte. Aderam enim morienti, postquam me ab exilio revocatum, Ecclesiæ meæ reddiderat. Illi vero superstant, sancte Pater, illi merito a te castigandi sunt, qui sparsis calumniis Ecclesiam nostram turbarunt,*

(*) Ratio, quam S. Apostolus dat, est universalis; *Melius est nubere, quam uri.* Male igitur, exclusis viris ad solas feminas trahitur.

barunt, & me ipsum de Sede mea dejecerunt. Tui officii est hoc perficere, hoc Dignitas tua, hoc Sedis Romanæ honor postulat. Id ipsum Imperator, qui hodie rerum potitur, a te expectat, Palatii sui Magistro ad te misso. Id ipsum ut facias, nos omnes obtestamur. (*)

Sæculum X. A. C. 912.

§. XLIX.

Summi Pontifices.

Ex hac Epistola dispicimus, Sergium III. Papam jam tunc fatis functum fuisse; unde conjectura est, eam datam fuisse ad Sergii III. Successorem, Anastasium III. Romanum, Luciani filium, qui a mansuetudine, qua subditos rexit, commendatur. Sedit autem non plus annis duobus & duobus ferme mensibus. Successit Anastasio Lando, quem, cum sex mensibus & diebus duobus sedisset, in Sacra Sede secutus est Joannes X. Theodoræ junioris, quæ Marozïæ Soror erat, auctoritate & potentia electus. Joannes X. antea Clericus Ravennas, a Petro illius civitatis Archiepiscopo sæpe Romam

Papebr.

Flod. vers. p. 607.

Luitpr. II. c. 13.

(*) Nicolaus eo ipso, quod obtestetur, S. Patrem, Romanum Pontificem, ut calumniatores suos & perturbatores Ecclesiæ Constantinopolitanæ castiget, Primatum Ecclesiæ Romanæ atque ejusdem in Sedem Constantinopolitanam Auctoritatem profitetur.

Sæculum X. A. C. 912.

Romam ad Pontificem negotiorum causa missus fuerat, quem, cum esset formosissimus, Theodora deperiit, & ad stupri consuetudinem pellexit. Inter hæc Episcopo Bononiensi mortuo, ei Joannes sufficitur, sed priusquam consecraretur, Petro quoque Archiepiscopo Ravennate e vivis erepto, is persuadente Theodora Bononiensi Ecclesiæ valedixit, & Archiepiscopus Ravennas a Landone Papa ordinatus est. En vero, Landone paulo post vita functo, Theodora impatienter ferens, quod rarissime dilecto suo frui posset, si Episcopus esset Ravennæ, ducentis millibus Roma distantis, non repugnanti persuasit, ut eam quoque Sedem dimitteret, effecitque, ut Papa eligeretur, & ordinaretur. (*)

vers. Flod. p. 607.

Joannes

(*) Non inepte Palatius in Joanne X. Ecclesiam terræ comparavit, cum Lemmate: *In æternum stat.* Et adjecit: *Terra quæ pondere librata sui stat, nulloque movetur impulsu, Ecclesiam comparamus, quæ criminibus Pseudo-Pontificum non concutitur.* Tum in Elogio:

Fasti sunt hi non Joan. X. Rom. Pont.
Sed Nefasti Theodoræ impudicissimæ Lupæ,
Quæ Lupam premebat Romanam.
Ea Ecclesiæ calamitas,
Ut Pellices misceantur & Martyres! &c.

Joannes X. Sacram Sedem paulo plus annis quatuordecim obtinuit. Sæculum X. A.C. 915.

Sub Pontificatus initium a duobus fratribus Landulfo & Atenulfo, Capuæ Principibus, invitatus, ad armorum ſocietatem, & depellendos Saracenos ab illa ſtatione, quam ad Garilianum occupabant, Joannes cum copiis, Alberico Marchione Duce, & auxiliariis Conſtantinopoli in Italiam transmiſſis, illuc movit. Profligati ſunt Saraceni & ex illis regionibus ejecti, menſe Auguſto, anno nongenteſimo decimo quinto, Indictione tertia. *Chr. Caſſ. c. 52. Luitpr. II. c. 14.*

Ad hanc victoriam Berengarius quidquam contuliſſe creditur. Illud vero conſtat, quod menſe Septembri anno nongenteſimo decimo ſexto a Joanne X. Papa Imperator ſecundo coronatus fuerit, quamvis eum jam olim Stephanus VII. coronaſſet. Sed primam Coronationem Joannes IX. nullam declaraverat.

§. L.

Joannes Abbas Caſſinenſis.

Monachi Caſſinenſes adhucdum extra ſuum Monaſterium degebant, nec tamen illius reparandi curam penitus abjiciebant. Poſt obitum S. Bertarii, quocum Teanum confugerant, Abbatem habuerunt Ragemprandum, tum Leonem, qui muros Caſſinenſis Monaſterii a Sa-

Sæculum X. A. C. 915.

a Saracenis incensos & destructos restaurare cœpit, a Joanne deinde ejus Successore ad justum fastigium eductos. Joannes e familia nobili Capuana ortus, & Principum agnatus tunc Archidiaconi Capuani Dignitate gaudens, pietate & castissimis moribus fulgebat. Postquam igitur Congregatio Teanensis aliquamdiu nullum habuisset Præpositum, quod nemo idoneus reperiretur, qui eam regeret, Principes Capuani Landulfus & Atenulfus Joannem Archidiaconum rogant flagitantque, ut orbatæ familiæ regimen in se susciperet. Annuit tandem Joannes, & ipse Monachum induit. Namque ita usus ferebat, ut si Abbas Sæcularis eligeretur, ante omnia ipse Monachorum institutum amplecteretur. Itaque Joannes communi Congregationis consensu eligitur & a Joanne Papa X. solemni ritu benedicitur. Tunc vero fratres monere & exhortari cœpit, ut relicto Teano Capuam se conferrent, quæ civitas illius provinciæ validissima esset, & tanquam Principum Sedes tutior. Illis Patris monitis obsecundantibus Joannes tam propinquorum, quam amicorum fultus subsidiis insignem Ecclesiam in honorem S. Patris Benedicti, Monasterium, ædesque Officiis Monasterii congruentes a fundamentis erexit, ibique Monachos

Chron. Cass.

chos amplius quinquaginta congrega- Sæculum X.
vit. (*) A. C. 915.

§. LI.

Normanni convertuntur.

Heriveus Archiepiscopus Remensis Joannem Papam circa quæstiones ad pœnitentiam pertinentibus, postquam Normanni ad fidem fuissent conversi, consuluit. Quippe illa Gens annorum ferme septuaginta spatio Franciam depopulata tandem sedem in ea fixit, & Christiana Sacra recepit.

Rex

(*) Fleurius non satis clare hæc narrat; nec apparet, in quo Monasterio, an in Cassinensi vel Capuano Joannes Abbas fuerit, vel an utrique præfuerit. Aliquam lucem affundit, quod legitur in Annalibus Bened. anno 915. p. 326. *Non tamen Casini curam abjecit Joannes, immo post ejus renovationem, varia ipsi ornamenta contulit, totiusque Abbatiæ præceptorum confirmationem a Principibus obtinuit. Paulo autem superius legitur: Hoc Monasterium* (Capuanum) *post varios casus, quos in consequentibus referemus, tandem Patribus Societatis JEsu cessit, concessa a Clemente VIII. Abbatia Cardinali Bellarmino, qui Canonicos loco Monachorum istuc inductos, alio transtulit, annuente Paulo quinto, ac suæ Societatis Patres istuc introduxit.*

Sæculum X. A. C. 915.

Rex Carolus ſimplex, penſato, quod non modo barbaros e regno ſuo pellere non poſſet, ſed ne quidem irruentibus reſiſtere, Proceribus ad conſilium vocatis ſtatuit pacis conditiones ponere. I. gitur miſſo ad Rollonem eorum Ducem Francone Archiepiſcopo Rotomagenſi, hanc enim civitatem & totam circa regionem tenebant, trium menſium inducias petiit, quod Barbarus conceſſit. At cum ultima dies præteriiſſet, Franci, inſtigantibus Richardo Duce Burgundiæ & Ebleſio Comite Pictavienſi iterum Normannos hoſtiliter laceſſunt. Qua re ad iracundiam provocatus Rollo bellum reſtaurat & usque in Burgundiam penetrat. Monaſterio tamen S. Benedicti ad Ligerim pepercit. In reditu, cum Carnutum obſideret, Antelmus illius civitatis Epiſcopus Francorum & Burgundionum armis adjutus inter medias equitum turmas, veſtibus, quibus Sacerdotes ad Miſſam celebrandam indui ſolebant, ornatus, atque manibus ſuis tunicam ſeu induſium S. Virginis ferens hoſtibus obviam proceſſit. Repulſis barbaris felix eventus Reliquiis illis in acceptis relatus eſt.

Dudo lib. 2. p. 79.

Vill. Gemm. l. II. c. 15.

Tandem Franci dolentes, patriam continuis belli turbinibus everti, Regem Carolum ad pacis conſilia compellunt. Miſit igitur ſecundo ad Rollonem Franconem

conem Archiepiscopum, qui in Barbari conspectum admissus, *an nunquem*, inquit, *generosum animum tuum, Magne Princeps, bellandi tædium subeat? An arma, quamdiu vives, quaties? quin aliquando te esse mortalem cogitas, & existere Deum, cujus judicium post hanc vitam experturus es? si Christo nomen dare velis, nunc pacem & post fata salutem invenies. Rex Carolus totam oram maritimam, a te & Hastingio devastatam, tibi dabit, & ad confirmandam amicitiam filiam suam Gisellam uxorem tradet.* Sæculum X. A. C. 915.

Rollo convocatis suorum præcipuis consilia exquirit, cunctisque suadentibus, ut conditiones acciperet, iterum induciæ in tertium mensem promittuntur, quo temporis spatio congrederentur Reges de fœderibus acturi.

Ad colloquium convenere ad S. Clarum in ripa Eptenæ amnis, cui Robertus Francorum Dux, qui se ad Rollonem e fonte Baptismi levandum obtulerat, cum Rege interfuit. Placuere conditiones, & Rex Rolloni totam regionem, exinde Normanniam dictam, in Feudum primarium, & Britanniam in secundarium, (*) filiam-

(*) Feudum primarium illud accipitur, ubi Vasallus ipsi Regi fidem jurat; Secundarium est, quod Vasallus tertio conferre potest.

Sæculum X. A. C. 915.

filiamque suam in matrimonium concesit. Rollo autem, Christianum se futurum & pacem cum Francis servaturum promisit. Implevit vero postea, quod debebat, namque Franco Archiepiscopus Christianæ fidei Rudimenta edoctum anno 912. baptizavit, ipsumque Dux Robertus e sancto lavacro levavit, nomen suum imposuit, & multis donis cumulavit.

Rollo baptizatur.

Robertus deinde Normanniæ (ita quippe post Baptismum vocabatur) Comitibus quoque suis, Ordinis Equestris viris, totoque exercitu, in fide eruditis & baptizatis, ex Francone Archiepiscopo quæsivit, quænam Templa in nova sua Ditione essent incolarum Religione præ ceteris culta & qui Sancti potentissimi Patroni & Defensores haberentur, respondit que Archiepiscopus: *Ecclesiæ Rotomagensis, Bajocensis, Eburovicensis, Sanctæ Virgini dedicatæ sunt. Stat Ecclesia Sancto Michaeli Sacra in monte, e medio mari eminente. In suburbio nostro est Monasterium S. Petri, in quo corpus S. Oweni quiescebat, sed armorum tuorum terror incolas ad illud in Franciam transferendum compulit. Juniomagi quoque S. Petrus colitur. Hæc sunt præcipua in regno tuo templa. In provinciis vero vicinis*, subjecit Robertus, *quis inter Sanctos potentissimus creditur?*

ditur? Respondit Franco: *Is est S. Dionysius.* Et iterum Robertus: *Priusquam prædia regni mei Vasallis dividam, aliquam eorum partem Deo, S. Mariæ, & his Sanctis, quo eorum patrocinium & tutelam mihi conciliem, donabo.* Igitur prima, accepto Baptismo, Hebdomada, adhucdum alba veste indutus, qualibet die singulis his septem Ecclesiis, eo ordine, quo a nobis memoratæ sunt, singula prædia adscripsit. Sæculum X. A. C. 915.

Porro die octava, deposita tunica baptismali, agros Comitibus suis ceterisque Vasallis dividere cœpit, eoque negotio perfecto, nuptias cum Gisella Regis filia publice celebravit. Nullos autem ex ea suscepit liberos, sed cum ad gravem senectutem jam tunc vixisset, annis non plus quinque superstes fuit. Hos ille ad resarcienda bellorum superiorum damna impendit, Leges utiles tulit, Justitiam sancte observari curavit. Furta & latrocinia magno rigore repressit, complures Ecclesias reparavit, atque sub tanto Principe Religio in tota Normannia refloruit.

Cum vero huic genti nullum tempus ad deliberandum datum fuisset, & ratio status Reipublicæ conversioni ad fidem occasionem præbuisset, mirum plane non est, apud multos sinceritatem abfuisse. Quamobrem cum Heriveus Archiepis-

Sæculum X. A. C. 915.

copus Remensis Joannem Papam in hac causa consuluisset, (*) ille Responsum Sacra Sede non indignum reddidit. Nec putandum, Normannos omnes in illa provincia, quæ Normannia primulum dicebatur, extitisse, nam in aliis quoque regionibus, præsertim Remensi, quæ Rotomagensi contermina est, ad eos convertendos Heriveus egregiam operam contulit. Igitur in illa Epistola dicit Papa, maximo lætitiæ sensu se percepisse, quod Normannorum Natio fidem suscepisset. *Quod vero*, inquit, *ad illam quæstionem spectat, quid de illis decernendum sit, qui baptizati, & rebaptizati, post Baptismum more Paganorum vitam duxerunt, cum Paganis Christianos, & Sacerdotes interfecerunt, Idolis sacrificarunt, Idolothyta manducarunt, hæc pensanda esse censemus: si talia veteres Christiani facerent, secundum Canones judicandi essent, sed quia Neophyti sunt, tibi id decernendum relinquimus, tibi, inquam, cui vicinæ gentis indoles & mores magis perspecti sunt. Ceterum satis intelligis, homines istos secundum antiquum rigorem castigare non posse, ne jugum*

to. 9. Conc. p. 483. Flod. IV. c. 14.

(*) Ex his & compluribus aliis conjicitur, Joannis Papæ flagitiosum cum Theodora commercium, si Scriptores harum rerum nihil exaggerarunt, fuisse occultum.

jugum Evangelii, cui ferendo necdum adſueverunt, ipſis intolerabile videatur, & ad Deorum cultum revertantur. Etenim, ſi qui Canonicæ pœnitentiæ collum ſubjicere velint, ab iſto rigore eximendi non ſunt. In omnibus unice Salutem animarum quæras, ut cum S. Remigio ad gaudia æterna pervenias. Munus vero tuum, pari quo miſiſti affectu, recepimus.

Sæculum X. A. C. 915.

§. LII.

Quæſtio de Hungaris.

Hungaris omnia devaſtantibus & barbare ſævientibus rumor in plebe increbuerat, hanc gentem eſſe *Gog* & *Magog*, illam nempe perniciem ab Ezechiele Propheta & in Apocalypſi prædictam. Unde cum Wicfridus Epiſcopus Virdunenſis hac ſuper re Abbatem cujusdam Monaſterii S. Germani in alia regione poſiti conſuluiſſet, reſpondit ille in hunc modum: *Frivola eſt hæc opinio, atque a veritate procul remota. Dicunt, imminere jam mundi finem, & idcirco GOG & MAGOG, quos ab Aquilone in noviſſimo anno venturos, literis proditum habemus, Hungaros eſſe, de quibus antea nihil unquam auditum, & qui nuper in lucem emerſiſſent. Sed caute nobis conſiderandum, quæ nationes aliæ cum iſta venturæ in Scriptu-*

Tom. XII. Spicil. p. 349

Ezech. 38. 8.

Sæculum X. A.C. 915.

ra dicantur; videlicet, MOSOCH & TUBAL, Persæ, Lybii, GOMER & THOGORMA. Si enim Hungari sub nominibus GOG & MAGOG accipiendi sunt; ubi ceteræ hærent nationes, quæ cum ipsis venturæ sunt? Nam MOSOCH sunt Cappadoces secundum Josephum, TUBAL, sunt Iberi aut Hispani, vel secundum Hebræos Itali. Persæ & Libii seu Æthiopes gentes sunt notissimæ, GOMER sunt Galatæ seu Gallo-Græci, THOGORMA Phryges. An cum Hungaris hi populi incurrere conspiciuntur, quorum ne quidem nomina novimus? quod vero dicantur arcu & sagitta esse armati; omnes prope Gentes ad Orientem vel Meridiem habitantes his armis utuntur.

Ezech 38. 2. & 5.

Judæi & non nulli Christiani judaizantes dicunt, GOG & MAGOG esse populos Scythiæ crudeles & innumerabiles, quorum regiones ultra Caucasum montem & paludem Mæoticam prope mare Caspium usque ad Indos protenderentur, atque Diabolum exacta mille annorum periodo eosdem impulsurum, ut veniant in terram ISRAEL, &, cum pluribus aliis nationibus, adversus Sanctos Regnum statuant. Ad stabiliendam vero hanc suam opinionem adducunt locum ex Apocalypsi: & cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de

Apocal. 20. 7.

de carcere suo, & exibit, & seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog, & Magog, & reliqua. Cum vero hic liber Titulum præferat, Apocalypsis, id est, Revelatio, quis dubitet, hoc Vaticinium esse Mysticum, & explicationem esse necessariam? Ergo vocabula GOG & MAGOG de nationibus corporeis non sunt accipienda, sed significant persecutionem immanem, quam Fidelibus inferunt Hæretici; hi enim Dæmone instigante Civitatem Dei, id est, Ecclesiam ex latebris & antris suis (*) erumpentes oppugnarunt. GOG dicitur fastigium seu tectum, id est, Hæresiarcharum superbia, & MAGOG, quod fastigio paulo inferius est, scilicet Hæresiarcharum Se-

Sæculum X. A. C. 915.

(*) Nulla Doctrina, Romano-Catholicæ adversa, claros unquam natales habuit, aut habere potuit, sed ex tenebris obstetricante diabolo in lucem exiit. Nullibi Arii ante Arium in Ecclesia Doctrina exstitit, quam deinde, sicut & subsequentes Novatores, in S. Scriptura contineri, frustra contendit. Nulla Doctrina Nestorii, nulla Eutychis, nulla Lutheri, nulla Calvini, ante auctorem suum fuit, sed subito ex tenebris erupit; nemo enim unquam demonstrare potuit, quo tempore, quo loco in Ecclesia Doctrina a Fide Romana aliena tanquam vera & orthodoxa habita fuerit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæculum X. A. C. 915.

latores. Ut vero ad Hungaros noſtra oratio redeat, in nullo Hiſtoriarum Scriptore portentoſæ nationis nomen nos legiſſe meminimus, etiamſi nulla vel hujus Continentis Regio, vel Inſula Romanorum armis inacceſſa extiterit. Niſi dicamus, hunc populum, cum pluribus aliis, poſt longam temporum ſeriem nomen mutaſſe.

p. 356. Præter hanc Epiſtolam occurrit alia, quæ eundem auctorem habere creditur, & ſcripta eſt de illa quæſtione: Quare modo (nempe hujus Scriptoris ætate) nullæ Eccleſiæ honori Sanctorum virorum veteris Teſtamenti, ſicut novi, dedicarentur. Et reſpondet; *Ideo id non fit, quod admodum difficile ſit vel omnino impoſſibile, eorum Reliquias invenire, ſine quibus templa ædificari aut conſecrari non ſolent. Ut nihil dicam, quod dies eorum mortis aut martyrii ignoremus.*

§. LIII.

Eccleſia Germaniæ.

Nulla terra magis, quam Germania, Hungarorum incurſibus patebat. Anno 912. Franconiam & Thuringiam nemine obſiſtente expilarunt. Anno ſequente, cum Allemanniam, id eſt, provincias ad ſuperiorem Rheni tractum poſitas depopularentur, permulti ad Oe-

Suppl. Regin.

Herm. Chr.

num

num amnem a fœderatis Allemannis Ba- Sæculum X.
varisque cæsi sunt. Anno 915. totam A.C. 916.
Allemanniam igne ferroque vastarunt, Thuringiam & Saxoniam incursionibus vexarunt, & anno 916. usque ad Monasterium Fuldense pervenerunt. Anno vero sequente per Allemanniæ & Alsatiæ agros usque in Lotharingiam penetrarunt.

Bremæ Hungari Ecclesias incenderunt, Sacerdotes cornua Altaris amplexos mactarunt, Clericos populo permixtos in captivitatem abstraxerunt. Cum *Adam. c.46.* vero etiam Cruces confringerent, Christianorum Religioni illudentes, derepente exorta tempestas horrida titiones a tectis Ecclesiarum semi combustarum avulsos in barbarorum capita tanto impetu effudit, ut se se in præterfluentem præcipitarent, aut in vindices civium manus inciderent. Quod non sine miraculo factum cuncti crediderunt. Hogerio in Sede Bremensi successit Renuardus, quo, cum non integro anno sedisset, anno 616. defuncto, suffectus est Unnius, qui huic Ecclesiæ annis octodecim præfuit. Narrant, Renuardo mor- *c. 47.*
tuo, a Clericis populoque Episcopum electum fuisse Leidradum tunc Ecclesiæ Remensis Præpositum, qui ad Regiam profectus, ut Electionis suæ confirmationem obtineret, secum Unnium tan-

Sæculum X. A. C. 918.

quam ſuum Capellanum illuc deduxiſſet; at Regem Conradum, Leidradi corporis forma, quam habebat eximiam, ſpreta, Unnio exiguæ ſtaturæ viro poſt Leidradum ſtanti Baculum paſtoralem tradidiſſe. Pallium deinde a Joanne X. Papa accepit, & ob ſingularem virtutem Conrado Regi carus, atque Henrico Succeſſori ejus magno in pretio fuit.

Eccleſia Daniæ illa tempeſtate dire affligebatur a Rege Gurmio, viro crudeli, qui, Religionem Chriſtianam in ſuo regno abolere aggreſſus, Presbyteros ejecit, & complures tormentis fractos necavit.

Act. Sæc. V. Ben. p. 25.

Sup. Lib. XLI. §. 35.

Sub idem tempus ad Superos evolavit S. Ratbodus Epiſcopus Ultrajectenſis, Eccleſiæ in Germania ſingulare Decus. Ita eum in lucem editum appellavit mater ſua de nomine Ratbodi Friſiæ Ducis, quem proavum ipſa habuerat, & adoleſcentem deinde Gunthario Archiepiſcopo Colonienſi inſtituendum commiſit. Sed adverſa hujus Præſulis fortuna juvenem Ratbodum coegit, ipſo relicto, in Regia Caroli Calvi & poſtea Ludovici Balbi verſari, non eo conſilio, ut ſplendidam fortunam perageret, ſed bonis literis imbueretur, quæ in Palatio docebantur, Magiſtro Mannone Philoſopho, quem deinde ad Monaſterium S. Claudii ſe recepiſſe credunt. Inter Man-

S. Ratbodus.

nonis Discipulos effulgent Stephanus, Sæculum X.
postea Episcopus Tungrensis, Mancion A. C. 918.
Catalaunensis, & Ratbodus noster, illis junior, qui anno octingentesimo nonagesimo nono a Clericis & populo, Rege Arnulpho approbante, postquam diu repugnasset, Episcopus Ultrajectensis electus, & invitus ordinatus est. Illico vitam Monasticam assumpto habitu amplexus est, secutus exempla S. Willebrordi & S. Bonifacii Antecessorum suorum, quorum præcipue virtutes imitari constituerat. Non solum carnibus non vescebatur, verum etiam duobus tribusve diebus jejunium protrahebat.

Civitate Ultrajectensi a Danis seu Normannis vastata, Ratbodus sæpe Daventriæ commorabatur, cumque Frisiam inde peragraret, ut Idololatriæ radices omnino evelleret, pio conatui obsistebant barbari. Ipse reluctantes ad conversionem exhortatus, tandem contumaces, & sibi mortem minitantes anathemate percutit. Et ecce! peste correpti ferme omnes interierunt. Plura miracula patrasse & dono Prophetiæ præditus fuisse dicitur. A Rege invitatus, ut ad eum veniret, opera ipsius in rebus necessariis usuro respondebat, non oportere Episcopum negotiis Sæcularibus implicari, sed tantum pro Rege populoque orare & animas Fidelium ad æternam salutem

Sæculum X. A. C. 919.

tem perducere. Nec ab isto proposito ulla ratione dimoveri potuit. Exemplum profecto, illa præsertim ætate, rarum! S. Ratbodus circa annum 918. 29. Nov. sanctissime vitam clausit.

Ditmar. l. I. Reg. Suppl. 919.

Anno sequente cum Rex Conradus moriturum se præsentiret, Eberhardo fratri suo & præcipuis Germaniæ proceribus ad se accersitis, suasit, ut Regem eligerent Henricum Ottonis Ducis Saxoniæ filium, ad regnum præ ceteris idoneum. Ceterum generosi pectoris indicium id erat, quippe inter Conradum & Henricum hunc graves intercesserant inimicitiæ. Ita nempe Conradus beneficium ab Ottone acceptum reddidit. Obiit deinde 19. Octobr. anno 919. Regni sui octavo, ejusque corpus in Abbatia Fuldensi conditum. Henricus Rex unanimi omnium consensu salutatus, Herigero Archiepiscopo Moguntino ipsum Sacro oleo, more Antecessorum suorum, ungere volenti, ne faceret, prohibuit, dicens, se tanto honore esse indignum. (*) Imperavit vero annis

Henricus Auceps.

(*) Ad hunc locum in Cardinale Baronio istud legitur: *Porro ipsam* (unctionem) *non sine damno ab eo prætermissam divinitus ostensum est S. Udalrico Augustano Episcopo per visum, cum ei ab Apostolo Petro ad id significan-*

annis octodecim Henricus, cognomento Auceps, in Germaniæ fastis celeberrimus. Sæculum X. A. C. 919.

Antequam ad Imperium vocaretur Henricus, vivente patre, conjugem acceperat viduam, nomine Hatheburgam, specie eximiam & opulentam, sed quæ Religionis velum assumpserat. Monuit errantem Sigismundus Episcopus Halberstadiensis, in cujus Diœcesi degebat, vetuit, ne deinceps hanc mulierem uxoris loco haberet, & utrumque ad Synodum venire jussit. Et tunc quidem Henricus, interposita auctoritate Imperatoris (*) regnantis effecit, ut Episcopi sententia suspenderetur; sed Rex postea electus *Ditm. l. 2.*

---

ficandum ostensi sunt duo gladii, alter cum capulo, sine capulo alter, dictumque ab eo ipsi: Dic Henrico Regi, ensis ille, qui sine capulo est, significat Regem, qui sine Benedictione Pontificali regnum tenebit; capulatus autem, qui Benedictione divina regni tenebit gubernacula.

(*) Dubia fide hæc niti videntur, nisi forte nomine Imperatoris Conradus accipiendus sit. Nam Berengarii nulla erat in Germania auctoritas, & Ditmarus aliqua se solum audivisse fatetur, cum scribit: *Audivi, quod hic Henricus Romam causa orationis petens plus pedibus quam equo laboraret, & a multis interrogatus cur sic ageret, culpam profiteretur.* Bar. ad hunc an.

Sæculum IX. A.C. 919.

electus nullas (*) esse has nuptias agnovit, & Mathildem, a Magno Witikindo genus ducentem, in tori consortem delegit. Sigismundo Episcopo nemo illa ætate Germanis majori in pretio erat, quem Divinæ humanæque scientiæ, summum ingenium, pietas & zelus Sacerdotalis commendabant. Obiit anno nongentesimo vigesimo tertio, Henrici imperantis quinto, post susceptum Episcopatum trigesimo.

§. LIV.

Ecclesia Hispaniæ.

In Hispania Rex Garcia, qui anno 910. Alphonso Magno successerat, Regnum non ultra annos tres tenuit, obiitque anno 914. Successit Garciæ frater Ordognus II. jam enim prius in Gallæcia rerum potiebatur, & Sedem Regiam transtulit Legionem, antiquam Romanorum Coloniam, & Civitatem Episcopalem, cujus Ecclesia Cathedralis SS. Petro & Paulo Sacra erat; quam ut Augustiorem redderet, Rex Ordognus tres eidem ædes donavit, quondam sub Paganis Thermas,

Sampir. 63. 64.

(*) Istud omnino exploratum. Unde confunditur Lutheri protervia, qui Doctrinam, & Disciplinam, in Saxonia sicut in tota Ecclesia tot Sæculis receptam, inaudita temeritate violare ausus est.

mas, & deinde sub Christianis Regum Palatia. Ergo Fronimium Episcopum illuc Sedem suam transferre, atque præsentibus illius provinciæ Episcopis dedicationem solemni ritu peragi jussit. Auri argentique ex ærario suo vim magnam ad exornandum Altare liberaliter contulit, compluresque alias Ecclesias & fundos, ad Regale dominium pertinentes huic Sedi Cathedrali donavit. Exinde Principes in illa Hispaniæ parte imperantes, Reges Legionis dicti sunt. Sæculum X. A. C. 919.

Ordogno regnante Joannes X. Papa misso Compostellam Legato, qui suo nomine S. Jacobi corpus veneraretur, literas quoque deferendas commisit, ad Sisenandum Episcopum datas, quibus continuas preces ad S. Apostoli tumulum pro Pontifice fundere rogabatur. Hac occasione, cum Episcopus quemdam Presbyterum cum responsoriis literis Romam mitteret, eidem Rex Ordognus Epistolas suas & munera pretiosa Papæ reddenda tradidit. Presbyter hic Legatus Romæ honorifice exceptus & liberaliter habitus uno anno ibi versatus est, quo temporis spatio cum Romanis de Ritu Mozarabico, qui in Hispania vigebat, disputavit. Is complures libros Roma domum retulit & de omnibus, quæ viderat & didicerat, Sisenando Episcopo rationem reddidit. Cunctis deinde in Synodo

Sæculum X. A. C. 919.

Synodo ab Episcopis Hispaniæ mature pensatis, eis visum est, nihil in suo Ritu reperiri, quod Fidei Catholicæ adversaretur; id solum statuerunt, se ritum Romanorum, quantum ad verba Consecrationis pertineret, sequi velle. Sisenandus Episcopus haud diu post senio consummatus anno 920. vita functus & deinde Sanctis adscriptus.

Boll. 25. Maj. tom. 17. p. 94.

Sub idem tempus obiit S. Gennadius Episcopus Asturigensis, olim Abbas Vergidensis, seu S. Petri de montibus, anno octingentesimo nonagesimo nono, a Ranulpho Episcopo Asturigensi ordinatus. Hoc autem illud est Monasterium, quod S. Fructuosus Bracarensis in suo patrimonio circa medium Sæculi septimi fundaverat, postea usque adeo neglectum, ut locus ille in solitudinem abierit. Gennadius cum monachis suis agros desertos colere cœpit, muros restauravit, vineas, & arbores fructiferas plantavit, effecitque, ut ibi habitantibus Fratribus omnia necessaria suppeterent. Ranulfo deinde successit in Sede Asturigensi regnante Alphonso Magno. Tum anno 915. Æra 953. Testamentum condidit, ex quo cognoscimus, quod complura Monasteria a Saracenis destructa reparaverit, introducta S. Benedicti Regula. Porro plura etiam Monasteria iisdem libris sibi communibus utebantur, quos per vices sibi

Mabill. Sæc. V. act. 32.

Sup. Lib. XXXIX. §. 32.

sibi commodabant, ea conditione, ut ad illud Monasterium, cui donati fuerant, pertinerent. Codices vero in hoc Testamento nominantur sequentes: Psalterium, Comes, seu Liber Comitis, † Antiphonarium, Manuale Orationum, & Passionum, id est, Acta Martyrum. Et memorati quidem libri, in singulis Monasteriis reperiebantur; at, quos mutuos sibi dabant, erant Bibliotheca, id est, Biblia integra, Libri morales in Job, Pentateuchum cum historia Ruth in uno volumine, Vitæ Patrum, Libri morales in Ezechielem, Prosper, Officia, forte S. Ambrosii, Libri de Trinitate, ut conjicere licet S. Augustini, Epistolæ S. Hieronymi, Etymologiæ, Glossemata, Liber Regularum, qui Collectio S. Benedicti Anianensis esse videtur. Sæculum X. A. C. 919.

† Liber qui Comes vocabatur.

Hi sunt Libri illo ævo in Hispania rarissimi. Gennadius dimisso ante annum nongentesimum vigesimum Episcopatu ad Monasterium, quod Silentianum dicebatur, se recepit, Sedemque Forti Monacho, Discipulo suo reliquit.

Sub finem Regni Ordogni II. pugna adversus Saracenos commissa, Episcopi duo, Dulcidius Salmanticensis, & Hermogius Tuyanus capti, & Cordubam perducti. Hermogius pro se obsidem *Sampir. p.* 64. S. Pelagius.

Sæculum X. A. C. 919.

p. 69. *Raguel ap. Baron. ann.* 925.

Mart. Rom. 26. *Jun.*

Sampir. p. 65.

Mariana VIII. c. 3.

ſubſtituit Pelagium nepotem ſuum, qui in carcerem conjectus, poſtea ſub Abderamo Rege anno 925. Æræ 963. Martyrii palmam conſecutus eſt. Is non plures quam tredecim ætatis ſuæ annos numeraſſe, & jubente Rege membratim conciſus fertur, quod ejus belluinæ libidini fortiter reluctatus fuiſſet. Eccleſia S. Pelagii memoriam vigeſima ſexta Junii, qua die paſſus eſt, veneratur. Ordogno, poſtquam Sceptrum rotaſſet annis novem & dimidio, fatis functo, anno 925. æra 963. ſucceſſit Froila II. ipſius frater, qui non plus quatuordecim menſibus coronam portavit. Breviſſimi Regni cauſa Froilæ crimina fuiſſe putantur, unde etiam crudelis tyranni nomine notatur. Inter alios, Fronimii Epiſcopi Legionenſis fratres interfecit, ipſumque immerentem in exilium ejecit. Froila lepra contabuit ſucceſſitque Alphonſus IV. anno 926. Æra 964. defuncti nepos, Ordogni II. filius.

§. LV.

Conſtantinopolitani reconciliantur.

Poſt. Theo. p. 238. *n.* 6.

In Oriente Conſtantinus Porphyrogenitus, juvenis Imperator, puerorum more præſentia matris ſuæ Zois delectatus, ab Alexandro patruo e Palatio pulſam revo-

revocavit, & ab ejus arbitrio pependit. Unde illa brevi Nicolaum Patriarcham, qui ejus nuptiis tantopere repugnaverat, a Regia removit, dicens muliebri ira concitata, Popam non in aula, sed in templo conspici oportere, nec Imperii negotia, sed Ecclesiæ perficere. Sæculum X. A.C. 920.

Postquam vero annis sex femina imperasset, Romanus Lecapenus supremam potestatem invadens, filiam suam Helenam Constantino conjugem tradit Feria tertia Paschatis, decima quinta Aprilis anno 919. Zoem vero, quæ præparato veneno vitæ ipsius insidiabatur, e Palatio pulsam tonderi & in monasterium detrudi jubet. Eodem anno mense Decembri Romanus a Constantino Imperator proclamatur, & a Nicolao Patriarcha coronatur. Tum ipso jubente in Festo Epiphaniæ, anno mundi 6428. secundum Græcos Indictione octava, uxor ejus Theodora corona Imperiali ornatur. In die Pentecostes filium suum Christophorum Imperatorem coronari, atque haud diu postea nomen suum primo loco, & Constantini secundo, juratam fidem violans, poni jussit.

p. 242. *n.* 11. *n.* 13. *n.* 16. *p.* 264. *p.* 248. *n.* 7.

Eodem anno 920. mense Julio, Romani cura, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Metropolitæ & Clerici, quorum pars Nicolao Patriarchæ, pars Euthymio favebat, recon-

Aret. ap. Lib.

Sæculum X. A. C. 920.

reconciliati sunt. Hujus autem in exilio defuncti corpus solemni pompa Constantinopolim delatum. Schismatis origo erant quartæ Leonis Imperatoris nuptiæ, unde decretum, cui omnes Episcopi consentiebant, claudebatur in hunc modum: *Prohibemus, ne imposterum ab hoc anno sexies millesimo quadringentesimo vigesimo octavo, Indictione octava, quisquam nuptias quartas inire præsumat, quas omnino rejectas & damnatas declaramus. Qui hoc ausus fuerit, ab omni Communione Ecclesiastica & aditu ad locum Sanctum arceatur, quamdiu vinculum turpe & flagitiosum non abruperit. Ita enim Patres nostri decreverunt.*

Ap. Th. Balsam. p. 933.

Quod spectat ad tertias nuptias, has quidem Patres nostri permissas esse voluerunt, ob pudendam quorumdam fragilitatem; unde sequentia imposterum observanda decernimus: si quis, liberos non habens, annos natus quadraginta, tertiam uxorem ducat, annis quinque Communione

De Nuptiis,

ne privetur, atque eam postea solum tempore Paschali, nempe Quadragesimali abstinentia mundatus, accipiat. Qui vero, annos natus quadraginta, & liberos habens tertiam uxorem acceperit, venia indignus judicetur. Si vir annorum triginta, liberos habens tertio uxorem duxerit, annis quatuor Communione privetur, & deinde

ter

ter solum in anno, nimirum in Paschate, in Assumptione Beatæ Virginis, & in Nativitate Domini, quia hæc Festa præcedunt jejunia, communicet. Si liberos non habeat, illam solum pœnitentiam subeat, cui hucusque tertio nubentes subjacebant. Secundas nuptias, aut etiam primas, non præcedat mala causa, qualis est raptus, aut stupri consuetudo, quæ si subfuerit, conjuges ad Communionem non prius admittantur, quam postquam septem annorum pœnitentiam, quæ scortatoribus injungi solet, impleverint, nisi forte de vita periclitentur. Hoc Decretum exinde singulis annis mense Julio ex Suggesto Ecclesiæ Majoris Constantinopolitanæ recitabatur. Sæculum X. A. C. 920.

Imperator de suis Romam misit, qui istud Decretum approbari peterent. (*) Id enim cognoscimus ex Epistola Nicolai Patriarchæ ad Joannem X. data in hunc ferme modum: *Non ignoras, quantas ærumnas annis prope quindecim tulerimus. Sed ecce! cum jam sperandi locus non superesse videretur, JEsus Chri-* to. 9. Conc. p. 1267.

(*) En optimum, præter sexcenta alia, contra Caveum & alios Protestantes argumentum, quo Communio, & Auctoritas Romanæ Ecclesiæ supra Constantinopolitanam probatur.

Sæculum X. A. C. 920.

ſtus commotos fluctus compoſuit, jamque Cælo auſpice cuncti concordes ſumus. Idcirco tibi ſcribimus, ut commercium literarum, temporum iniquitate interruptum, renovemus, Legatos utrinque mittamus, & unanimiter dicamus, quartum illud matrimonium, tot ſcandalorum originem, non ideo fuiſſe permiſſum, quod res ipſa culpa vacet, ſed ob ſublimitatem perſonæ, & ut daretur aliquid Principi, quem ad iracundiam provocare periculoſum fuiſſet. Itaque nomen tuum cum noſtro Conſtantinopoli iterum in Sacris Diptychis legetur, ut mos fuerat, & pace perfecta fruemur. Id te Imperator per Baſilium Protospatharium ad te miſſum inſtantiſſime rogat, cui viæ comitem dedimus Eulogium Presbyterum. Mittes & tu ad nos, ut ſperamus, Legatos, qui forte emendanda nobiscum pertractent.

§. LVI.

Richarius Epiſcopus Tungrenſis.

Flod. Chron. an. 920. Chr. Lob. c. 19.

Inter hæc querelæ Clericorum Tungrenſium contra Hermannum Archiepiſcopum Colonienſem ad Papam deferuntur. Namque Stephano Epiſcopo Tungrenſi ſeu Leodienſi anno 920. fatis functo, Rex Carolus ſimplex primo quidem Electionem Hilduini, ejusdem Eccleſiæ Clerici, ſuo

suo consensu firmaverat, sed cum Hil- Sæculum X.
duinus a Rege defeciſſet, & Guilleber- A. C. 920.
tum, in Lotharingia Dominatum affectantem, sequeretur, Carolus Episcopatum Leodiensem Richario Abbati Prumiensi, ab alia Clericorum parte electo, contulit. Verum, quia Guillebertus in illa regione erat potentissimus, Hermannus Archiepiscopus Colonienſis, favens Hilduino, qui etiam ab Henrico Rege nominatus fuerat, eundem Episcopum ordinavit. Ita Hilduinus possessionem Ecclesiæ Leodiensis adiit.

Rex Carolus data ad omnes Episcopos regni sui hac de re epistola dicebat: *Hilduinus fidei nobis juratæ immemor, ad hostes nostros ultra Rhenum se contulit, & ab Henrico Episcopatum Tungrensem postulavit. Cumque & alii, improbi homines, fidelitatem nobis debitam violassent, Episcopi sexdecim Regni nostri cum quibusdam Proceribus congregati rebelles excommunicarunt. At Hilduinus, cum eis communicans, magnam pecuniæ vim ex thesauro Ecclesiæ Tungrensis direptam Henrico & proceribus ejus dedit, atque Hermannum Archiepiscopum Coloniensem metu incusso ad ipsum Episcopum consecrandum adegit. Namque postea Archiepiscopus apud nos præsentibus compluri-* tom. 9. Conc. p. 571.

Sæculum X. A C. 920.

bus testibus fassus est, se instantibus resistere non potuisse, nisi unacum bonis familiæ se ipsum suosque omnes perditos voluisset. Tandem Hilduinus ter ab Hermanno vocatus, ut veniret & in Concilio Accusatoribus suis responderet, non obediit. Omnes vero Clerici Laicique Ecclesiæ Tungrensis apud nos conquesti sunt, quod Hilduinus cum clientibus suis omnia eorum bona & facultates diripuerit, nihilque reliquerit, quo vitam trahant, rogantes, ut vestris consiliis utar ad sublevandam tantam calamitatem, iisque Richarium, unanimi ipsorum consensu electum, Episcopum concedam. In fine additur, Regem in hoc negotio Episcoporum auxilium petere.

Cum Richarii fautores querelam ad Papam quoque detulissent, ille, data ad Archiepiscopum Colonienſem epistola, meticulosum reprehendit, quod Hilduinum ordinasset nullo accepto Regis mandato, *sine quo*, inquit, *in nulla Diœcesi Episcopus ordinandus est.* Jubet ipsum cum Hilduino & Richario circa medium Octobris, aut saltem ad primam Aprilis Romam venire, in Concilio causam dicturum. Papa simul ad Regem Carolum hac de re literas dederat. Hermannus vero Archiepiscopus communicata, quam a Papa

tom. 9. Conc. p. 574.

ep. 8.

a Papa acceperat, epistola Richarium Abbatem ad iter Romam suscipiendum invitavit. Tum Hilduino & Richario Romam profectis Hermannum morbus iter facere prohibuit. At Hilduinus, non ausus Judicium Papæ experiri, excommunicatus est. Atque ita Richarius causa victor ab ipso Pontifice ordinatus est, & pallium accepit, quamquam nullus Antecessorum ejus hoc Pastoralis officii Insigni ornatus fuisset. Ergo ad Ecclesiam Tungrensem reversus Richarius, adversariis in fugam versis, omnium amorem sibi conciliavit. In ædificandis ornandisque Ecclesiæ suæ prædiis totus fuit, sed Disciplinam Monasticam neglexit, & officia omnia Abbatiæ Lobesiensis, cujus possessionem Episcopi Tungrenses jam diu obtinebant, venalia obtulit. Idque cunctis eo magis admirationem peperit, quod Richarius a puero in Disciplina Monastica educatus fuisset. Ceterum Ecclesiæ Tungrensi annis viginti duobus præfuit. Illa tempestate literarum studia in Abbatia Lobesiensi florebant. Inter viros doctos præcipui habebantur Scaminus & Theoduinus, nullus vero illustrior Rathario extitit, qui Hilduino favens cum eo in Italiam se recepit.

Sæculum X. A. C. 922.

Chr. Lob. c. 19. *Chr. Fiod.* 912.

Sæculum X.
A. C. 922.

§. LVII.

Concilia Confluentinum & Remense.

to. 9. p. 579. Causa Richarii & Hilduini finita est anno nongentesimo vigesimo secundo, quo etiam Concilium Confluentiæ celebratum. Interfuere Episcopi octo, scilicet Hermannus Archiepiscopus Colonienſis & Herigerus Moguntinus, tum Episcopi Herbipolenſis, Mindenſis, Osnabrugenſis, Wormatienſis, Argentoratenſis, & Paderbornenſis. Hujus Concilii, amborum Regum Caroli Franciæ & Henrici Germaniæ jussu congregati, quinque Canones habemus. *Nullus*

c. 1. *Christianus infra sextam generationem nuptias conficere audeat. Laici Capellarum*

c. 5. *ad se pertinentium Decimas non accipiant, quibus canes aut pellices suas pa-*

c. 8. *scant, nec in alios transferant, sed eas Presbyteri, id est, Parochi, in restauran-*
das Ecclesias, conservanda luminaria, hospites pauperesque alendos impendant. Mo-

c. 6. *nachi & Ecclesiæ suis Episcopis Diœcesanis in omnibus sint subjecti. Si quis Christianum insidiis captum venumdederit, homicidii reatum contraxit.*

Flod. Chr. 922. Hist. 4. c. 17. 18. Eodem anno nongentesimo vigesimo secundo, die secunda Julii, obiit Heriveus Archiepiscopus Remensis, postquam hanc Sedem

Sedem tenuisset annos viginti duos. Anno superiore, cum Synodum celebraret, rogatus a Rege Carolo, quemdam Dynastam, nomine Erlebaldum, excommunicatum & Censura hac innodatum mortuum absolverat. Quod factum omnino singulare videtur. Successorem habuit Seulfum, ejusdem Ecclesiæ Archidiaconum, scientiis Ecclesiasticis & profanis imbutum, artibus vero liberalibus Remigio Antissiodorensi Magistro eruditum. Triduo priusquam Heriveus obiret, nempe die Dominica, trigesima Junii, anno nongentesimo vigesimo secundo, Robertus filius Roberti fortis & Regis Odonis frater, Remis in Regem Franciæ unctus fuerat, quem valida factio sequebatur, dum interim Carolus Simplex viribus inferior plerisque invisus & contemptus ultra Mosam se recipit. Itaque consentiente Roberto Seulfus ab Abbone Episcopo Suessionensi ceterisque illius provinciæ Episcopis Archiepiscopus Remensis ordinatus est. Factionis vero Carolo Simplici adversæ Caput erat Hebertus Comes Veromanduorum, cujus potentia suffultus Seulfus Herivei Antecessoris sui fratrem & nepotem, violatæ fidei reos, carceri tradidit, & jam tunc in obsequii hujus mercedem Seulfus Heberto promisisse ferebatur, effecturum se,

Sæculum X. A. C. 922.

tom. 9. Conc. p. 579.

Sæculum X. A. C. 923.

se, ut ipsius filius suo tempore Archiepiscopus Remensis eligeretur. Interim Seulfus ex suis quosdam Romam misit, qui a Joanne Papa peterent, ut Ordinatione confirmata Pallium sibi concederet; quod etiam anno 923. accepit.

Flod. Chr.

Cum Robertus necdum integro anno regnasset, occiditur eodem anno, die Dominica, decima quinta Junii, prope Suessionem in prœlio, quo nihilominus ipsius exercitus victor evasit, & Carolus iterum fugere coactus. Post hanc pugnam eodem anno, ex quo Seulfus Pontificatum susceperat secundo, Synodum celebravit, cui interfuere Abbo Episcopus Suessionensis, Adelelmus Laudunensis, Stephanus Cameracensis, Adelelmus Silvanectensis, Airardus in eodem Concilio Episcopus Noviodunensis ordinatus, cum ceterorum Remensis Diœceseos Episcoporum Legatis. In eo Concilio decretum, his, qui in pugna Suessionensi vel pro Roberto, vel pro Carolo dimicaverant, injunctum, ut tribus Quadragesimis per tres annos pœnitentiam agerent, videlicet: *Prima Quadragesima sint extra Ecclesiam, & in Cœna Domini reconcilientur. Omnibus vero his tribus Quadragesimis secunda, quarta & sexta feria in pane & aqua jejunent, aut redimant.*

to. 9. Conc. p. 581. Robertus occisus.

Sæculum X. A. C. 923.

mant. Similiter quindecim diebus ante Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ, & quindecim diebus ante Nativitatem Domini Salvatoris, & omni feria VI. per totum annum, niſi redemerint, aut ipſa die celebris Feſtivitas acciderit, aut infirmitate, aut militia prohibeantur, abſtineant. Jejunia vero eleemoſynis redimi poterant. Ceterum hæc pœnitentia magnam cum illis habet affinitatem, quæ decreta fuerunt anno 841. poſt pugnam ad Fontenacum, ubi etiam Franci adverſus Francos hoſtilia ſigna intulerant.

Sup. lib. XLVIII. §. 9.

Roberti morte Caroli Simplicis res neutiquam reſtitutæ ſunt. Namque Optimates & Principes factionis adverſæ, nempe Francorum pars major, *Raoul* ſeu Rudolphum, Roberti generum, Richardi Ducis, cognomento *Juſtitiæ amantis*, filium ex Burgundia advocatum, Regem ſalutarunt, atque in Eccleſia S. Medardi Sueſſione die Dominica decima tertia Julii, anno 923. a Walterio Archiepiſcopo Senonenſi Sacro oleo ungi voluerunt. Walterio Archiepiſcopo eodem anno 19. Nov. fatis functo, alter Walterius, mortui nepos, ſucceſſit.

Chr. S. P. Vivi to. 2. Spicil. p. 711.

§. LVIII.

Sæculum X. A. C. 924.

§. LVIII.

Hungari graſſantur.

Luitpr. l. II. c. 15. 16. &c. Inter hæc alter Rudolphus, Rex Burgundiæ ſuperioris, a Lamberto Archiepiſcopo Mediolanenſi aliisque illius factionis principibus adverſus Berengarium in Italiam vocatur. Berengarius vero ad ultimum ſolius urbis Veronæ Dominus a proditoribus interficitur. At Hungari, quos ad auxilium ſibi ferendum in Italiam invitaverat, Longobardiam vaſtarunt, urbemque Ticinum, ubi Eccleſiæ quadraginta, unacum Epiſcopo ejusdem civitatis & Vercellenſi flammis injectis conſumptæ ſunt. Ex populo prius innumerabili homines ducenti ſuperfuere, qui collectos ex urbis ruderibus octo argenti modios Hungaris dederunt, quo pauciſſima reſidua redimerent. Tantæ urbis, quæ Longobardiæ Caput erat, excidium die Veneris 12. Martii an. 924. Indictione nona contigit. Hungari vero ſuperatis alpibus viam in Franciam tentantes depulſi ſunt.

Flod. Chron. 924.

Luitpr. III. c. 1.

Eodem anno, exeunte Junio, poſt Feſtum S. Joannis Baptiſtæ & ante Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quædam Virgo Recluſa, cui nomen Wiborada, in Allemannia ſuperiore prope Abbatiam S. Galli degens, per Viſum edocta

cta est, sævam gentem Hungarorum anno futuro Calendis Maji, aliis terris devastatis, ad Monasterium S. Galli perventuram, seque Barbarorum manibus Martyrii palmam consecuturam. Illa aliquot diebus conticuit; deinde vero timens, ne delinqueret, si revelata a Deo aliis non manifestaret, Waldramo Monacho S. Gallensi secreto ad se vocato, quid sibi ostensum fuisset, aperuit, rogans, ut Martyrium suum silentio premeret, in Ecclesia autem advenientibus & circumquaque habitantibus indicaret imminens eis periculum; quo spatium populis esset orationibus, jejuniis & eleemosynis iram superni Judicis mitigandi.

Sæculum X. A. C. 925.

Vit. S. Wibor. Sæc. V. Act. Ben. p. 53. n. 24. Boll. 1. Maji to. 12. p. 282.

Vaticinio feminæ nemo fidem habuit, donec illud impleri cœpit, & mense Majo anno 925. appropinquante, fama prævolavit, Paganos in tota Bavaria esse diffusos. Brevi etiam barbari circum lacum Constantiensem conspecti sunt, undique vicis injecto igne ardentibus. Engilbertus Abbas Sangallensis, vir providus, cum jam Castellum monasterio proximum munimentis firmasset, undecim fratribus de præcipuis Monasterii ad Wiboradam missis, suadere jussit, ut e clausula exiret. *Scimus equidem*, ajebant, *te mortis periculum non pave-*

n. 25.

re;

Sæculum X. A. C. 925.

re; sed Familiæ nostræ te ipsam serva, nam preces tuæ sunt nobis necessariæ. Illa gratias agens rogavit, ut sibi altera die Abbati colloquendi copia fieret. Venit Abbas anhelus, cum lacrymis obsecrans, ut vitam suam in tuto collocaret. Respondit Wiborada: *Cur vero, venerande Pater! quia tibi potestas in me est, exacti laboris pretium perdere præcipis? istam mansiunculam Dei clementia mihi concessam vivens in corpore vacuam non relinquam.* Igitur Abbas cognoscens, eam aliquam mortis suæ revelationem habere, veniam sibi dari poposcit, quod eam tot verbis fatigasset, & interrogavit, quod jam sibi ipsi consilium daret. At illa inquit: *S. Pater! nullam moram interponas; quin temetipsum & animas tibi a Deo commendatas servare studens, Thesaurum S. Galli, sicut jam cœpisti & quidquid ad usus familiæ adhuc reliquum est, hodie & hac nocte portando & vehendo ad Castellum transmittere ne tardes. Crastina enim die certissime vallis ista barbaris repleta erit.* Fecit Abbas, quod monebatur, atque quidquid de libris, auro, argento, vestibus, annona supererat, intra munimenta portari curavit.

n. 27. Parentibus quoque cujusdam puellæ, Rachildis nomine, cum Wiborada reclusæ, venientibus & petentibus filiam suam,

suam, quam ad tutiora deducerent, re- Sæculum X.
spondit: *Nolite soliciti esse de filia nostra; omnipotentis enim Dei auxilio ad solatium vestrum per multa tempora salvabitur.* Hittonem fratrem suum in Ecclesia S. Magni ipsius Cellulæ juncta, cujus custodia ipsi commissa erat, degentem Wiborada compulit, ut in vicinam silvam fugeret. Tum irrumpentes Hungari Ecclesiæ S. Magni ignem supponunt, cumque Cellulam S. Wiboradæ exurere non valerent, circueuntes ædiculam aditum quærunt, duoque ex illis ascendunt super tectum, facto foramine se immittunt, S. Virginem ante exiguum Altare stantem, Deo & Sanctorum suffragiis suppliciter se commendantem, vestibus, solo excepto cilicio, spoliant; mox librata securi tria vulnera Virginis capiti infligunt, & seminecem suo sanguini innatantem relinquunt, Die Maji secunda, anno nongentesimo vigesimo quinto. A. C. 925.

§. LIX.

S. Wiborada.

Sancta Wiborada, in Suevia nobilibus & piis parentibus nata, a tenera ætate solitudinis, orationis, & laboris amantissima fuit. Fratri suo Hittoni jam Clerico & in Monasterio S. Gallensi studiis *Vit. ap. Boll. & Mabill.*

Sæculum X. A. C. 925.

litterarum vacanti certis diebus vestimenta & pleraque alia necessaria mittebat, atque etiam ad obvolvenda Sanctorum librorum volumina propriis manibus decora linteamina contexebat. Tum Fratre suo ad Presbyteratum promoto, ab ipso Psalmos didicit, quin Missam cum eo non nunquam cantavit. Ægrotos, debiles, pauperes suscipiens mira charitate fovebat. Cum fratre suo Romam profecta, suasit ei, ut Monasticum Institutum in Cœnobio S. Galli amplecteretur, & ipsa nihilominus adhucdum annis sex in mundo versata a carnibus & vino abstinebat, in nuda humo super cilicium cubabat, etsi lectulum sumptuose ornatum haberet, & clanculo tota ferme nocte orabat. Cum fama virtutum beatæ Virginis ad Salomonem Episcopum Constantiensem perveniisset, eam invitavit, ut iter secum ad Monasterium S. Galli susciperet. Secuta est Episcopum Wiborada cum duabus ancillis, quas habebat, atque ædificata in montibus cellula prope Ecclesiam S. Georgii, quatuor ferme annis ibi commorata, incredibilis abstinentiæ exemplum dedit. Fama autem S. Puellæ inter populos crebrescente permulti afferebant, quæ necessaria putabant, & illa pleraque largiter in pauperes dispensabat. Tandem Episcopus

n. 13.

n. 14.

ad

ad S. Gallum reversus in præparata cel lula, Ecclesiæ S. Magni contigua, cupientem Virginem inclusit, ibi secundum Regulam Recluſorum, cujus supra mentionem fecimus, cunctos vitæ dies exacturam. Id anno 915. factum. Annis exinde quinque elapsis Rachildem sociam susscepit. Erat ea nobilis Virgo, quæ, consecrata Deo Virginitate sua, postea diu quartana afflicta est. Parentes puellæ eam Romam mittere ad recuperandam sanitatem cogitabant, sed misit nuncium Wiborada, qui diceret; ad se veniret, si sanari vellet. Tumque advenientem exosculata *Benedictus Deus!* inquit, *qui te ad suum honorem & meum solatium huc misit, quod jam diu exoptabam.* Paucis post diebus Rachildis a febre quidem liberata est; sed succesſerunt alterius generis infirmitates, quippe Virginis corpusculum ulceribus propemodum totum pessime affectum est, quam calamitatem fortiter toto vitæ tempore tulit, rarum patientiæ exemplum. Hinc etiam a Barbaris intacta usque ad annum Salutis nostræ 946. vitam protraxit.

Sæculum X. A. C. 925.

n. 15. *Sup.* §. 21. *Herm. Chr. Vita p.* 65.

Triduo postquam S. Wiborada ad Cœlestem Sponsum evolasset, Hitto frater ejus ad Ecclesiam S. Magni clam reversus cum aliquot Monachis & laicis,

Sæculum X. A. C. 925.

invento S. Virginis corpore in Cellula jacente, recitatis consuetis precibus, illud sepulchro condidit, ubi deinde complura miracula patrata. Unde Ingilbertus Abbas judicans, Wiboradam honore SS. Virginibus debito esse colendam, cum dies anniversarius recurrisset, postquam cum Hittone & compluribus aliis illius Congregationis fratribus hac de re deliberasset, officium nocturnum de ea recitari & postero die Missam de una Virgine, secundum Ecclesiæ consuetudinem celebrari jussit. Hoc nempe modo Veteres in Ecclesiis particularibus, accedente tamen auctoritate Episcopi, defunctos in album Sanctorum referebant.

n. 36. *vid. Mabill. præf. Sæc.* 5. *n.* 91.

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER LV.

JOANNES X. PAPA. HENRICUS REX GERM. CONSTANTINUS ET ROMANUS IMPER. OR.

§. I.

Hugo infans, Archiepiscopus Remensis.

Seulfo Archiepiscopo Remensi anno nongentesimo vigesimo quinto, postquam Episcopatum gessisset annis tribus & diebus quinque, vita functo, increbuit

Sæculum X. A. C. 925.

Frod. Chr. an. 925. & IV. hist. c. 19.

Sæculum X. A. C. 925.

crebuit rumor, ipsum propinato veneno occubuisse, atque atrox facinus quosdam ab Heberto Comite Vermanduensi subornatos peregisse. Tanti criminis suspicionem auxit, quod Hebertus sine mora Remos contenderit, & accitis Abbone Episcopo Suessionensi & Bovone Catalaunensi, cum iis de electione novi Archiepiscopi egerit. Clericos populumque deinde idem Comes ad obsequium pertraxit, timore incusso, ne Bona Ecclesiæ Archiepiscopalis dividerentur, & extraneis traderentur. Denique tanta ejus fuit auctoritas, ut filium suum quinto genitum, nomine Hugonem, etsi quintum ætatis annum necdum complesset, in Archiepiscopum Remensem eligi obtinuerit. Tum ad Regem Rudolphum * celeriter profectus, consensum petiit. Rex, duobus illis Episcopis ad consilium vocatis, electionem pueri approbavit, & Comiti Heberto parenti ipsius Ecclesiam Metropoliticam administrandam commisit. Cumque etiam Hebertus Legatos Ecclesiæ Remensis cum Abbone Episcopo Suessionensi Romam ad petendam confirmationem Electionis, cujus Decretum deferebant, misisset, id a Joanne Papa X. impetrarunt, qui Abbonem Episcopum Ministeriis Pontificalibus in Archiepiscopatu Remensi defungi jussit.

*Sup. l. LIV. §. 57.

* seu Radulfum.

§. II.

Sæculum X.
A. C. 926.

§. II.

Joannis X. Mors. Leo VI. & Stephanus VIII.

His Legatis & Abbone Episcopo Romæ commorantibus, rerum vicissitudo novum Regem Italiæ dedit. Namque Itali Rudolpho Rege Burgundiæ, postquam duobus annis in Italia imperasset, ejecto, Hugonem, Comitem Arelatensem, Comitis Theobaldi & Bertæ, ex Rege Lothario, atque Waldrada genitæ, filium anno nongentesimo vigesimo sexto advocarunt. Hugo itinere maritimo in Italiam delatus Pisam pervenit, ubi a Legatis Joannis Papæ, & plerisque Principibus exceptus, & ad capessendum Italiæ Regnum invitatus, postea Ticini communi omnium consensu Rex proclamatur. Haud diu post Joannes Papa, profectione ad eum, Mantuæ commorantem, suscepta, fœdera cum ipso iniit. Hugo annis viginti regnavit in Italia, vir fortis, callidus, munificus, Litterarum & Religionis Defensor, sed feminarum illecebris captus & fœdis voluptatibus immersus.

Frod. Chr. 926.
Sup. l. LIV. §. 58.
Luitpr. III. c. 4.

Hugonis potestas haud multum extra Longobardiam extendebatur, nec ipse Romæ Dominus, sed Guido, frater ipsius uterinus, erat. Nam Berta Hugonis mater secundis nuptiis Adalber-

Sæculum X. A. C. 929.

to Thuſciæ Marchioni juncta hunc filium Guidonem genuerat, qui Patri ſucceſſerat. Itaque Guido Romæ imperans cum Marozia, quam uxorem accipere non puduit, patris ſui pellicem (nam ea ex complexu meretricio Adalberti filium, nomine Adalbericum (*), pepererat) eadem impellente Joanni Papæ perniciem machinatus eſt. Simultatis & invidiæ cauſa fuit, quod nimia ipſis videretur poteſtas, quam Pontifex Petro fratri ſuo in rebus gerendis indulgebat. Quadam igitur die, cum Papa cum Petro & paucis aliis in Lateranenſi Palatio eſſet, Maroziæ & Guidonis milites irruunt, Petrum ante Papæ oculos interficiunt, ipſum vero correptum in carcerem detrudunt, ubi poſt aliquod temporis ſpatium extinctus eſt anno nongenteſimo vigeſimo nono; poſtquam Sacram Sedem paulo plus annis quatuordecim tenuiſſet. Cervicali ſuper vultum osque impoſito, vi ſuffocatus fuiſſe dicitur. (**) Joannis Succeſſor fuit Leo VI. quo,

Luitpr. III. c. 12.

Frod. Chr. an. 928.

(*) Obſcura hæc Genealogia ſequente Tabella illuſtratur.

(**) De Joanne X. Palatius: *Sic dignum exordio finem accepit invaſor - - - - ut qui per impudicam feminam Sacroſanctam Sedem violentus arripuit, æque per filiam impudicæ impudicam*

Lotharius Rex, Waldrada pellex.

Berta. Maritus 1. Theobaldus Com. Arelat.

Mar. 2. Adalbertus Marchio Thusciæ.

Adalberti pellex Marozia.

Eadem Marozia Sergii III. pellex.

Hugo Rex Longobardiæ. Marozia uxor.

Guido, cujus uxor Marozia.

Albericus.

Joannes XI.

Octavianus. seu Joannes XII.

Marozia Maritus 2. Hugo Rex Longob.

quo, (*) postquam sedisset mensibus septem & diebus quinque, defuncto, suffectus est Stephanus VIII. qui S. Petri Cathedram annis duobus tenuit. Sæculum X. A. C. 929.

§. III.

Benno Episcopus Metensis.

Inter hæc Wigerico Episcopo Metensi anno nongentesimo vigesimo septimo fatis

---

pudicam ejicitur, & vita privatur. Antonius Pagi ad annum 928. *Principem* (Joannem X. Papam) inquit Rubeus l. 5. hist. Ravenn. *si vel Sacrosanctam Summæ Dignitatis Majestatem, vel ejus præclare acta, omni Italiæ hoc tempore admodum salutaria spectemus, hoc nequaquam exitu dignum: sed quem feminæ studium extulit, odium feminæ abstulit.* Cardinalis Baron. ad ann. 912. cum Joannes X. intruderetur: *Quæ tunc facies S. Ecclesiæ Romanæ? quam fœdissima, cum Romæ dominarentur potentissimæ æque ac inquinatissimæ meretrices? ---- dormiebat tunc plane alto ut apparet sopore Christus in navi, cum hisce flantibus validis ventis navis ipsa fluctibus operiretur. &c.* * * *Matth.* 8.

(*) Vehementi suspicioni locus est, optimum Pontificem occultis Maroziæ artibus fuisse e medio sublatum, quod non nulli Scriptores * affirmant. Quandoquidem hæc furia quieti caput prius non dedit, quam prolem suam spuriam cum Sergio Papa sacrilege genitam in throno papali collocasset. * *P. Edm. Pock.*

Sæculum X. A. C. 929.

fatis functo, Rex Henricus, nullam rationem Electionis a civibus factæ habens, Episcopatum cuidam Eremicolæ, nomine Bennoni, in monte *Eccel* prope Tigurum degenti, de quo magna erat Sanctitatis opinio, contulit. Benno successerat in illa eremo S. Meinardo, seu Meginrado a grassatoribus anno octingentesimo sexagesimo primo interempto. Ecclesiæ Argentoratensis Canonicatu, quo potiebatur, abdicato, in illam solitudinem secesserat, atque per annos ferme viginti ibi versatus, terram desertam excoluit, & Monasterium extruxit. Ecce vero, cum anno sequente nongentesimo vigesimo octavo auctoritate Regis, invitis civibus, Episcopus Metensis fuisset nominatus, perditissimi homines insidiis captum, oculis privant, aliisque corporis partibus, & ad officium Episcopale obeundum inutilem reddunt. Tum Concilio Duysburgi ad Rhenum ob hanc causam celebrato omnes criminis auctores excommunicati. At Benno atrociissimam injuriam patientissimo animo tulit, & non ægre Sedi suæ renunciavit, Abbatia quadam, unde sustentaretur, recepta.

Act. SS. Bened. p. 122. *Frod. Chron.* 927. 28. 29.

Tum consentiente Rege canonice electus est Adalbero, & in eodem Concilio Episcopus Metensis ordinatus. Is Regibus ortus, Ducis Lotharingiæ Friderici

Act. SS. Bened. Sæc. V. 379.

rici frater, magno zelo reformavit monasteria, Clericos Sæculares, a quibus pleraque obtinebantur, dimisit, monachos induxit Regulam observantes, & prædia ablata restitui jussit. Nec minus monasteria feminarum ei curæ fuerunt. Sæculum X. A. C. 929.

§. VI.

S. Odo Abbas Cluniacensis.

Cluniaci Berno Abbas vitæ suæ finem haud procul abesse auguratus, convocatis Episcopis vicinis, iisque præsentibus, ab omni Dignitate se abdicavit, effusis lacrymis professus, se ea semper fuisse indignum. Ne vero Abbatiæ ipsi commissæ vacarent, & Principibus in prædam cederent, eas consentientibus monachis in duos ex discipulis suis Widonem Consanguineum suum, & Odonem æque sibi dilectum, distribuit, ambosque eligi & ordinari Abbates curavit, post decessum suum vices suas obituros. Id cognoscimus ex ejus Testamento, in quo Widonem præesse jubet Monasteriis Gigniacensi, Balmensi, Æthicensi, cum Cella seu Prioratu Sancti Lauteni, Odonem vero præficit Monasterio Cluniacensi, Masciacensi, & Dolensi. Utrumque deinde & Fratres ipsis subditos obsecrat, ut consentientes inter se sint, & in observantia Regulæ unanimitatem

Sup. l. LIV. §. 45. Act. SS. Ben. Sæc. V. p. 86 Boll. 13. Jan. to. 1. p. 828.

Sæculum X. A.C. 929.

tatem conſervent. Wido & Odo more Abbatum ſignum huic Teſtamento appoſuerunt, quod anno quarto Rudolphi, id eſt, anno nongenteſimo vigeſimo ſexto, datum. Berno autem decima tertia Januarii anno ſequente animam Deo reddidit; ex cujus Teſtamento intelligimus, ipſum de cogendis in unum Ordinis corpus monaſteriis nullatenus cogitaſſe, ſed S. Odonem illius Congregationis, quæ poſtea Cluniacenſis dicta eſt, primum Auctorem extitiſſe.

vit. l. 1. Sæc. V. Ben. & Bibl. Clun.

Odo in Territorio Cenomanenſi in lucem editus eſt anno octingenteſimo ſeptuageſimo nono, Patre Abbone, ſingulari pietate viro, qui Hiſtoriam & Jus Romanum, ſaltem Juſtiniani Novellas, didicerat. Nam illa ætate Dynaſtæ per ſe ipſos Jus litigantibus dicebant; cumque Abbo eſſet Juſtitiæ amantiſſimus, omnes jurgantes cauſam ſuam ipſius arbitrio committebant, eumque cuncti illius regionis incolæ, ſummi infimique, præſertim Guilielmus pius, Dux Aquitaniæ, & Monaſterii Cluniacenſis fundator, maximo in pretio habebant. Menſæ accumbenti ſemper aliqua ex Evangelio prælegebantur. Sanctorum vigilias exactiſſime celebrabat, noctem vero illam, in qua Salvator noſter e Virginali utero eſt egreſſus, pervigil in oratione & lacrymis tranſigebat. Atque in tali nocte

nocte ardentissimis precibus filium, nempe nostrum Odonem, impetravit, quamquam ex uxore vetula prolem suscipiendi spes non supereſſet. Natum deinde puerum S. Martino Sacrum esse volens eundem e cunabulis manibus suis elevatum obtulit. Post hæc ablactatum cuidam suo Presbytero literarum studiis imbuendum tradidit; cum vero adolescentem strenua & conspicabili forma præditum intueretur, dimotus a proposito eum Ecclesiæ consecrandi, ad Palatium Guilielmi Ducis juvenem misit, Principi serviturum & militaribus exercitiis operam daturum. Sed juvenis Odo brevi timere cœpit, ne a via, quam ingredi sibi Deus præciperet, deflecteret. Venatio ipsi vertebat in fatigationem, nec ullis, quibus illa ætas gaudere solet, lusibus delectabatur. Cum annum decimum sextum ferme expleſſet, in nocte Nativitatis Domini tanto capitis dolore cruciari cœpit, ut animam jamjam e corpore abituram crederet, eaque infirmitate per annos tres vexatus est. Itaque ad domum parentis reducitur, ubi per annos duos omne medicinæ genus frustra adhibitum; unde credidit tandem parens, S. Martinum oblatum sibi quondam puerum requirere; id ipsum Odo sibi persuasum habuit. Ergo anno ætatis suæ decimo nono, Salutis humanæ octingentesimo

Sæculum X. A. C. 929.

Sæculum X. A. C. 929.

tesimo nonagesimo octavo comam, quam nutriverat hucusque, abscindi sibi jussit, & Canonicis S. Martini Turonensis adscribi petiit. Solemni pompa susceptus est confluente magno numero Optimatum; atque inter alios adfuit Fulco Bonus, Comes Andegavensis, qui Odoni, suo quondam per aliquod temporis spatium alumno, ædes canonicas prope Ecclesiam, & ex reditibus Abbatiæ pensionem, contulit.

S. Odo Clericus.

Exinde Odo orationi & literis totum se dedit, noctum orans & tota ferme die legens. Postquam immensi operis Grammaticam Prisciani pervolvisset, a lectione Virgilii Maronis abstractus est per somnium, in quo ei objiciebatur vas deforis quidem pulcherrimum, intus vero plenum serpentibus. Quare abjectis Poetarum carminibus ad S. Scripturæ Interpretes se totum convertit. Id vero ceteris Canonicis minime probabatur; parce tibi, ajebant, & missis infinitis hisce literis, satis tibi sit Psalmos e memoria recitare. At ipse conticescens lectioni paupertatis amorem, & corporis macerationem jungebat; namque omnibus, quæ secum ad usum attulerat, in pauperes dispersis, super mattam vestitus cubabat. Inter alios libros cum incidisset in Regulam S. Benedicti, jam tunc, ut poterat, lene monachorum jugum

gum subiit. Siquidem media panis li- Sæculum X.
bra, fabarum pugillo, & perparvo po- A. C. 929.
tu (*) sustentabatur.

Cum magna populi frequentia ad S. Martinum Turonensem confluueret, siquidem Reges etiam & diversarum nationum Principes dona ferebant, complures Odonem Canonicum, utcunque juvenem, in rebus arduis consulebant, quibus omnibus ipse salutaria documenta ad mores emendandos suggerebat. Illi in vicem magna offerebant munera, quæ Sanctus juvenis accipere constanter recusabat. Cumque eum Fulco Comes ad acceptandos centum solidos aureos compulisset, hos ipse illico in pauperes distribuit. Parisios deinde profectus, *to. 1. S. Aug. edit. Bened. app. p. 21.* sub Remigio Antissiodorensi Magistro, Dialecticæ S. Augustini, & Marciani Tractatui de Artibus liberalibus operam dedit. Opus, quod hic dicitur Dialectica S. Augustini, est Tractatus de decem Categoriis, qui S. Augustini esse, ætate Alcuini credebatur. Ceterum Remigius illius ævi Doctor celebratissimus, erat ad S. Germanum Antissiodori Monachus, qui olim Præceptorem auscultaverat Hericum,

(*) In ipsis Actis vit. S. Odonis interjecta est parenthesis (quod est contra naturam Francorum.)

Sæculum X. A.C. 929.

ricum ejusdem Congregationis Monachum, aliquando Discipulum Lupi Ferrariensis & Haimonis Halberstadiensis, qui ambo Rabanum Magistrum habuerant, Rabanus vero Alcuinum. Interest enim, ut Doctrinæ successionem sciamus.

Mabil. præf. Sæc. 5. n. 43. Item Elog. Frod. n. 2. p. 325.

Odo Turonem reversus, & lectioni Moralium S. Gregorii in *Job* vacans, tantopere illis delectatus est, ut ea in unum volumen contraxerit, quod hodieque habemus. Canonici S. Martini tunc centum quinquaginta numero, loco monachorum trecentorum, si non totam Regulam saltem multa adhucdum servabant. Sedulo Horas separatas cantabant, postquam ibi Psalmodia perpetua cessaverat. Mulieribus aditus ad Claustrum non patebat, & elapsis aliquot annis, cum ista veteris disciplinæ pars fuisset relaxata, Leo Papa VII. datis literis ad Hugonem Magnum Comitem Parisiensem & Abbatem S. Martini hortatus est, ut restitueretur.

S. Odo Monachus.

Leon. ep. 1. to. 9. Conc. p. 594.

Perlectis SS. Patrum Operibus, præsertim S. Benedicti Reguia, Odo maximum desiderium vitam monasticam amplectendi concepit, habuitque in hoc proposito adjutorem & socium, Ordinis equestris virum, nomine Adegrimum, qui relicto Fulcone Comite, cui ab obsequiis fuerat, ad Odonis cellam confu-

confugit. Exinde ad omnia Franciæ mo- Sæculum X.
nasteria, quæ fama olim celebraverat, mi- A. C. 929.
serunt, vel ipsi illo perrexerunt, cumque
in nullo Regulam tam sancte, ac ipsi cu-
piebant, observari cognovissent, tristes
ad suam Cellulam redierunt. Nempe *Mabill.*
ab annis jam sexaginta nunc bella civilia, *Elog. Cod.*
nunc Normannorum incursus pleraque *n.* 16.
monasteria perdiderant. Monachi par-
tim cæsi, partim in fugam acti, Reliquias
Sacras, paucos ab incendiis ereptos li-
bros & si quid de thesauro Ecclesiæ sal-
vare potuissent, auferentes. Tunc ergo
in locis tutis latebant, vel passim errantes
& vagi Fidelibus vilescebant. Si ali-
cubi respirare licuisset, tuguria extrue-
bant, de vita sustentanda quam de ser-
vanda Regula sua magis soliciti. Non
nullas ædes a monachis desertas insede-
runt pauci Clerici, quas emendatis post-
ea monachorum moribus ipsi nihilomi-
nus retinuerunt.

Amici duo conjunctissimi cum nul- *vit. n.* 22.
lum in Francia monasterium, quale ex-
optabant, invenissent, Adegrimus Ro-
mam proficisci constituit. Sed ecce, per
Burgundiam iter faciens, ad Monaste-
rium Balmense, novam illam sub Abbate
Bernone familiam pervenit, ubi secun- *Sup. l. LIV.*
dum Regulam S. Benedicti in Cella ho-
spitum exceptus, aliquamdiu ibi mora-
ri voluit, quo mores & consuetudines

Sæculum X. A.C. 929.

illius Congregationis cognoſceret. Ibi vero Inſtitutiones Abbatis Euticii, id eſt, Benedicti Anianenſis, ſervabantur, quas cum Adegrimus probaſſet, & miſiſſet, qui rem ad Odonem deferrent, ille confeſtim illuc ſe contulit, libros ſuos, nempe centum volumina, afferens. Adegrimus, conſentiente Bernone Abbate, Cellulæ ſe incluſit, in qua annis tribus perſeveravit. Odo autem, utpote vir ſcholaſticus ſeminario puerorum, qui in monaſterio alebantur, præficitur. Erat autem ætate tricenarius. Interim Adegrimus ſolitudinis amantiſſimus, Præpoſitis præpoſitis ſuis annuentibus, in eremum exiit, & exiguum ſpecum ultra annos triginta incoluit, diebus ſolum Dominicis ad Monaſterium Cluniacenſe, a quo duobus millibus diſtabat, veniens. Tum ſumpta modica farina, ex qua ſibi panem conficere ſolebat, & paucis fabæ granis mox ad eremum revertebatur. Jam frigore, jam calore cruciatus, rurſusque tœdio languens, atque ad deſperandum de ſalute tentatus.

Adegrimus Eremicola.

p. 28.

Odonem vero quidam mali monachi in Monaſterio vexabant; hi enim ut ejus conſtantiam in pio propoſito labefactarent, jam de Bernonis immani rigore querebantur, jam ipſi Odoni multa exprobrabant, aut ignominiis afficiebant, quibus ille nihil niſi virilem patientiam oppone-

p. 29.

opponebat. Solis loquebatur, ad eorum pedes proſtratus veniam rogabat, ea quæ diſcere cupiebant, eosdem docebat, cunctosque congruis officiis demereri ſtudebat. Cum magno deſiderio teneretur parentes ſuos ad amplectendum Inſtitutum monaſticum permovendi, impetrata licentia ad domum paternam profectus, revertens ad monaſterium patrem adduxit, eumque in fratrum numerum recipi rogavit. Matri quoque perſuaſit, ut velum inter mulieres Deo Sacras acciperet. Igitur Berno Abbas non in vanum auguratus, Odonem brevi virum illuſtrem futurum, Ordine Presbyteratus invitum inſigniri curavit a Turpione Epiſcopo Lemovicenſi, Præſule virtutibus & ſcientia clariſſimo. Ad quem cum aliquando Berno Odonem miſiſſet, cum eo Epiſcopus prolixo ſermone de Dignitate Sacerdotii & præſenti Eccleſiæ ſtatu diſſeruit. Odo collapſam Presbyterorum diſciplinam præcipue deflebat, eoque colloquio commotus Turpio rogavit Odonem, ut quæ apud ſe ore protuliſſet, literis mandaret & ſibi traderet. Renuit Odo, niſi id Abbas ſuus præciperet. Quam facultatem cum Epiſcopus facile impetraſſet, Odo ſermonem, in tres libros, qui Collationes nominantur, diviſum conſcripſit.

Sæculum X. A. C. 929.

n. 34.

n. 37.

Sæculum X. A. C. 930.

Bernone Abbate, ut memoravi, morti proximo, & Fratres rogante, ut sibi Successorem eligerent, illi Odonem reluctantem adducunt, clamantes uno ore, quod hunc sibi Abbatem depoſcerent. Nec forſan Odo flecti ſe paſſus eſſet, niſi Epiſcopi præſentes excommunicationem diutius repugnanti comminati fuiſſent. Ergo Benedictionem Abbatialem annos natus quadraginta octo recepit, & Bernone defuncto migravit Cluniacum, præcipum ex illis tribus, quibus præerat, Monaſterium. Ibi ædificia necdum conſummata perfecit, adjutus ſubſidiis, quæ per miraculum ſibi conceſſa credidit. Iis certe adſcripſit beneficium illud, quo ex Gothia tria millia ſolidorum accepit. Exinde Monaſterium Cluniacenſe ex ceteris omnibus, exacta Regulæ obſervantia, eximiis virtutum, quæ in fratribus fulgebant, exemplis, Religionis ſtudio, & charitate in pauperes eminere cœpit.

Bibl. Clun. p. 160. vita n. 38.

S. Odo Abbas. *vit. l. II. n. 1. 2.*

§. V.

Stephani VIII. Obitus. Joannes XI. Papa.

Inter hæc Stephano VIII. Papa anno nongenteſimo trigeſimo primo, poſtquam Petri Cathedram annis duobus, menſe uno & diebus duodecim tenuiſſet, fatis

Flod. verſ. p. 607. Luitpr. III. c. 12. Sup. l. LIV. §. 42.

tis functo (*), veteratrix illa Maria seu Marozia suprema potestate, qua Romæ cum Guidone marito, Marchione Thusciæ, dominabatur, strenue usa effecit, ut filius suus, nomine Joannes, ex nefando commercio cum Sergio Papa III. procreatus, Papa ordinaretur, quamquam non modo natales spurii, sed etiam juvenilis ætas, tantæ Dignitati & oneri ferendo impar, repugnarent. Unde etiam omni auctoritate & potestate carens Religionis solum ministeria peregit. Brevi post ejus Ordinationem tempore Guidone mortuo Marozia vidua, missis ad Hugonem Regem Longobardiæ Legatis, se ipsam in tori consortem, & in dotem Civitatis Romanæ Dominium obtulit. Ille non dubitavit occurrentem sibi fortunam apprehendere, Romam contendit, atque, arce S. Angeli occupata, Maroziam, in ea, ut in tuto esset, commorantem, (**) nuptiis sibi junxit.

Sæculum X. A. C. 931.

(*) Palatius in hoc Pontifice: *Fuit Pontifex legitime electus, cujus vita mansuetudinis & Religionis plena fuit. Biennium cum sedisset, obiit non sine veneni suspicione; Menstruamque tot Pontifices veneni suspicione carere non possunt ---- qui integris & Religiosis moribus cum meretrice non convenirent, quæ dominabatur in Urbe.*

(**) Nempe incestis; nam Hugo Guidonis, mariti Maroziæ defuncti, frater uterinus.

Sæculum X.
A. C. 931.

§. VI.

Ratherius Episcopus Veronensis.

Chr. Lobien. c. 19. Mabill. Sæc. 5. Act. p. 478. Sup. l. LIV. §. 56.

Priusquam Rex Hugo Romam veniret, Episcopatum Veronensem contulit Hilduino, qui olim Pontificatum Leodicensem ambierat, & spe sua frustratus, ordinato Richerio, ad Hugonem se receperat. At Ratherius, monachus Lobiensis, quo illa ætate nemo eruditior, secutus fuerat Hilduinum, cui semper favit, eique Rex Hugo, cum Hilduinum Ecclesiæ Veronensi præfecit, promiserat eandem Ecclesiam, si Hilduinus nata occasione ad majorem fuisset translatus. Factum etiam, ut Archiepiscopus Mediolanensis eligeretur; tumque Ratherius Romam missus, Pallium petiturus, quod Hilduino attulit, & Joannis Papæ literas, quibus rogabat, ut Ratherius Episcopus Veronensis ordinaretur. Verum cum Rex Hugo mutata mente hanc Dignitatem alteri destinasset, importunæ ipsi acciderunt Pontificis preces. Vicerunt tamen, accedente Hilduini & Regni Principum solicitatione, atque Ratherius Episcopus Veronensis est ordinatus. Sed juravit Rex, pessime se eum habiturum; nec levius quam pro atrocitate minarum Episcopum persequi cœpit. Misit ei commentarium, in quo præscribebat, quantum de reditibus Ecclesiæ ipsi ut Episco-

po

po reservare liceret, præcipiens, ut ju- Sæculum X.
ramento se obstringeret, nunquam se vi- A. C. 931.
vo, aut Lamberto filio suo, plura petiturum. Tum Ratherium conditiones indignas rejicientem, quæsito alio prætextu, in altam turrim urbis Ticinensis captivum detrusit, ubi annis duobus & dimidio detentus est.

§. VII.

Artaldus Archiepiscopus Remensis.

Artaldo quoque Neo-electo Archiepis- *Sup. n. 1.*
copo Remensi Joannes XI. Papa Pal- *Libell. Arta.*
lium misit. Comes Hebertus jam annis *tom. 9. Conc.*
plus quam sex Bonis hujus Ecclesiæ no- *p. 627.*
mine Hugonis parvuli filii sui potiebatur; quamvis vero Rudolpho Regi, cum ab ipso Archiepiscopatus administrationem obtineret, promisisset, se tam Clericos, quam Laicos Vasallos clementer habiturum, & suum cuique daturum, nihilominus pro lubitu omnia decernebat. Complures Clericos Beneficiis *Frod. hist. 4.*
suis spoliavit (nempe fundis illis, quo- *c. 20.*
rum usumfructum in mercedem præstandi Officii Ecclesiastici eis Episcopi præcedentes concesserant) eosque quibusdam aliis pro suo arbitrio dedit. Ad peragenda autem Ministeria spiritualia in Ecclesia Remensi Hebertus advocavit Udalricum Archiepiscopum Aquen- *c. 22.*
sem in Provincia, qui Sedem suam ob

Sæculum X. A.C. 932.

Saracenorum incursus reliquerat, eique Abbatiam S. Timothei cum una Præbenda, id est, unius Clerici portione, contulit.

Frod. in Chro.

Interim Hebertus omnibus Bonis Ecclesiæ fruebatur, & cum uxore in domo Episcopali habitabat. Tandem vero anno septimo, ex quo hanc Ecclesiam invaserat, nempe anno nongentesimo trigesimo primo, exortis inter Regem Rudolphum & ipsum jurgiis, ille Episcoporum querelis aures dare constituit, indignantium, quod tanto tempore Ecclesia in Galliis princeps sine pastore esset.

Id. 4. c. 24.

Cum ergo Rudolphus ad Clericos & populum Remensem literas misisset, quibus Electionem Archiepiscopi accelerare jubebantur, & ipsi respondissent, id nulla ratione fieri posse, cum Archiepiscopum haberent in vivis agentem, Rex Rudolphus, quem Hugo Comes Parisiensis, complures alii Principes & quidam Episcopi sequebantur, contractum exercitum Heberto absente civitati Remensi admovit. Tandem, postquam in tertiam septimanam tenuisset obsidio, omnes Clerici & Laici illius Diœcesis extra Urbem degentes, atque aliqua pars illorum, qui intus erant, Artaldum monachum Cœnobii S. Remigii, qui ab Heberti partibus deficiens Hugoni Comiti se addixerat, eligere constituerunt. Tunc vero

ro Vasalli Ecclesiæ venientem Regem a- Sæculum X.
pertis portis excipiunt, qui Artaldum ab A. C. 932.
Episcopis octodecim tam ex Francia, quam ex Burgundia convocatis ordinari jussit. Eum deinde illius Provinciæ Episcopi Throno Archiepiscopali imposuerunt, Clericique & populus eundem Præsulem suum venerati sunt. Romam deinde misit, qui Pallium peterent; sed Legati non prius quam uno anno post ejus Ordinationem, nempe Salutis reparatæ nongentesimo trigesimo tertio, redierunt.

§. VIII.

Concilium Erfordiense.

In Germania consentiente Rege Henrico, suadente Hildeberto Archiepiscopo Moguntino, qui Herigero anno 925. defuncto successerat, Erfordiæ prima die Junii anno 932. Regni ejus decimo quarto, Indictione quinta, Concilium celebratum. Hildebertum, antea Abbatem Fuldensem, in quo Monasterio enutritus & educatus fuerat, præclaræ virtutes, & summum a natura acceptum ingenium, literarum studiis excultum commendabant. Quin & Prophetiæ dono præditum crediderunt. Alii præterea duo *Mabill. Sæc. V. Act. p. 19.* Archiepiscopi, Rutgerius seu Rogerius Trevirensis, exinde post annos duos mortuus, & Unnius Hamburgensis Concilio Erfor-

Sæculum X. A. C. 932. Erfordienſi interfuerunt. Item decem Epiſcopi, videlicet Verdenſis, (*) Conſtantienſis, Paderbornenſis, Halberſtadenſis, Auguſtanus, Herbipolenſis, Osnabrugenſis, Monaſterienſis, & Mindenſis. Quinque Canones conditi, quibus præcipitur, ut Feſta duodecim Apoſtolorum celebrentur, & jejunia huc usque con-
c. 2. ſueta ſerventur. Nemo niſi conſentiente ſuo Epiſcopo jejunium ſibi imponat. Scilicet, quia id ſæpe hariolandi & ſuperſtitionis cauſa fiebat. Judicia forenſia
c. 5. diebus Dominicis, Feſtis, aut Vigiliis non
c. 2. habeantur. Prohibet Rex, ne quisquam ſeptem diebus ante Natalem Domini Salvatoris, a Quinquageſima usque ad Octavam Paſchæ, & ſeptem diebus ante Feſtum S. Joannis Baptiſtæ in Judicium
c. 3. vocetur. Nemo Chriſtianus in Eccleſiam pergens, ibi commorans, aut revertens, a miniſtris Poteſtatis Sæcularis citetur vel laceſſatur.

§. IX.

(*) In Actis Conciliorum legitur etiam *Rino Argentinæ civitatis* Epiſcopus, qui hic per oſcitantiam omiſſus eſt.

Item in Actis Epiſcopus Verdenſis dicitur: *Adalguardus Fardunenſis Eccleſiæ Epiſcopus.* Et in margine viſitur: notula, *locus ignotus.*

Sed nullatenus dubito, quin Fardunenſis Eccleſia nulla alia ſit, quam Epiſcopatus Verdenſis anno probabiliter 786. fundatus.

Fleur. Tom. X. pag. 420.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæculum X.
A. C. 932.

§. IX.

S. Udalricus Episcopus Augustanus.

Episcopus ille Augustanus, qui huic Concilio interfuit, erat S. Udalricus, eximium Sæculi sui Decus. Is excelsa prosapia Allemannorum natus anno octingentesimo nonagesimo tertio, in Abbatia S. Galli educatus, & literis imbutus, diebus Festis invisebat S. Wiboradam recluſam, quæ ad fenestram stanti colloquens, salutaria monita, præsertim ad conservandam corporis puritatem suggerebat. Atque ut hujus virtutis daret aliquod monumentum, ei Sancta Virgo cingulum suum & partem cilicii tradidit, quæ dormienti cervicalis loco essent. S. Virginis, quam nutricem suam appellabat, exhortationibus admodum delectatus, diutius quam constituerat, studiis liberalibus in Monasterio S. Galli vacavit, eamque consuluit, an sibi expediret, Monachum in eodem monasterio fieri; id enim fratres cupere, qui eum Abbatem sibi exoptarent. Illa respondit, ipsi onus Episcopale destinari ad fluvium quemdam, & locum orientem versus positum, ubi eum multæ ærumnæ manerent.

vit. Sæc. V. Act. Ben. p. 415.

Sup. Lib. LIV. §. 57.

vit. S. Wibo. n. 17.

Udalricum, absoluto in Monasterio S. Gallensi studiorum curriculo reversum, parentes ad obsequia præstanda mise-

Sæculum X. A. C. 932.

miſerunt Adalberoni Epiſcopo Auguſtano, illam Sedem jam ab anno 887. tenenti, viro docto, & inprimis Muſicæ peritiſſimo, cujus maxime conſiliis Rex Ludovicus Arnulphi filius in Reipublicæ regimine utebatur. Præter alia beneficia Epiſcopus contulit Udalrico præfecturam Cameræ Eccleſiæ ſuæ; unde ipſius erat officii veſtes Clericis & pauperibus diſtribuere. Sub illud tempus Udalricus, Romam peregrinatus, mortem Adalberonis Epiſcopi ſui comperit, ipſo Papa referente, qui ei prædixit, quod defuncto poſt aliquot annos ſucceſſurus eſſet. Tunc vero Hiltinus, Epiſcopus Auguſtanus, ordinatus eſt, quem cum Udalricus non his natalibus ortum eſſe ſciret, ut ei ſervire ſibi conveniret, ad matrem ſe contulit tunc elato marito viduam, ejusque curam in ſe ſuſcepit.

Tandem Hiltino poſt annorum quindecim curſum, nempe anno 924. vita functo, ſolicitante Burchardo Allemanniæ Duce, Udalrici nepote, aliisque Propinquis idem rogantibus, Regi Henrico præſentatur Udalricus, cui Eccleſiam Auguſtanam conferret. Conceſſit Rex, quod petebatur, addens, ſe virum Udalrico doctiorem non noviſſe. Ergo Auguſtam deducitur, & in Feſto Innocentium ordinatur. Tum S. Udalricus nihil

hil antiquius habuit, quam Ecclesiam suam sedente Antecessore suo flammis vastatam restaurare, quod difficillimi operis molimen fuit; quippe vicinis urbibus a Paganis, videlicet Hungaris, destructis & incensis, Ecclesiæ servis maximam partem occisis, reliqui cum extrema paupertate conflictabantur. Ceterum Episcopus præstituto tempore ad Regem obsequii causa pergebat. Sæculum X. A.C. 933.

§. X.

Ecclesia Hispaniæ.

In Hispania Alphonsus IV. postquam annis aliquot rerum potitus esset, Mundo valedicere & cucullo se involvere animo constituit. Quia vero Ordognus ejus filius puerum necdum egressus erat, vocato ad se Fratre Ramiro, quod consilium cepisset, aperit, Regnum tradit, & in Monasterium S. Fagonis se recipit. Verum ecce, cum post aliquod temporis spatium victus regnandi desiderio iterum coronam appeteret, captus a fratre, oculis privatur. Ceterum Alphonsus, Monachus, nam nomen hæsit, universim annis septem, totidemque mensibus regnavit. Ramirus II. vero anno 933. Æra 971. resumtis Regni habenis, filiam suam Geloiram seu Elviram Deo consecravit, eique in Civitate Legionensi magnum Monasterium honori S. Salvatoris *Sampir. p. 66. 67.*

Sæculum X. A. C. 933.

toris dedicatum ædificavit. Quatuor alia præterea extruxit Monasteria, & imminente morte, Episcopis & Abbatibus vehementer rogantibus, Confessionem, id est Habitum Monasticum recepit, obiitque, postquam annis octodecim & tribus prope mensibus regnasset. Ordognus III. ejus filius anno 945. Æra 983. parenti successit.

vid. Cang. Gloss. Conf. Moral. XVII. c. 19.

§. XI.

Albericus Romæ Dominus.

Romæ Hugo Rex, cum suam potestatem satis stabilitam putaret, Romanos & inprimis Albericum Maroziæ novæ nuptæ suæ & Adalberti Marchionis filium despiciebat. Quadam die Albericus, jubente matre, Regi Hugoni Vitrico suo manus abluenti aquam affudit, & ab eo in faciem cæsus est, quod juvenili improbitate aquam immodicam dedisset. Is vero ut illatam sibi ulciscereturinjuriam, Romanis ad concionem convocatis, contra Hugonem & propriam matrem tam apte peroravit, ut illum ipsum Dominum sibi elegerint, & confestim ad oppugnandam arcem S. Angeli convolaverint, quo Hugoni militem contrahendi tempus adimeretur. Qui subito terrore perculsus, qua munitiones muro civitatis jungebantur, fuga se proripuit. At Albericus, Urbis Dominus, Maro-

Marozziam matrem & Joannem Papam fratrem in Arce captivos tenuit. Sæculum X. A. C. 933.

§. XII.

Theophylactus Patriarcha Constantinopolitanus.

In illa captivitate Joannes Papa ab Alberico compulsus fuisse dicitur ad usum Pallii Theophylacto Patriarchæ Constantinopolitano & Successoribus ejus in perpetuum concedendum. *Luitpr. leg. Post. Theo. p. 254. n. 19. Sim. Mag. n. 32.*

Nicolaus Mysticus naturæ debitum solverat anno nongentesimo vigesimo quinto, Indictione decima tertia, die decima quinta Maji, postquam, ex quo restitutus fuerat anno 911. annis quatuordecim Sedi Constantinopolitanæ præfuisset.

Tum Stephanum Metropolitam Amaseensem, cui exsecta erant virilia, Patriarcham mense Augusto, ejusdem anni 925. salutarunt, qui postquam hac Dignitate non plus annis duobus & undecim mensibus fulsisset, obiit decima quinta Julii anno nongentesimo vigesimo octavo. Hujus vero Successor fuit Tryphon monachus, qui, etsi Sanctitatis opinione floreret, passus tamen est se, contra regulas Ecclesiasticas ad præstitutum tempus ordinari, quoad nempe Theophylactus Imperatoris Romani Le- *Sup. Lib. LIV. §. 47*

Sæculum X. A. C. 933. capeni filius ad ætatem perveniret, qua Dignitatem Patriarchalem ipsi destinatam capere posset. Estque hoc primum & celebre exemplum illius abusus, quem sequentibus temporibus Fidei Commissum Ecclesiasticum dixerunt.

Anon. n. 32. Tryphon Patriarcha Constantinopolitanus ordinatus est decima quarta Decembris anno nongentesimo vigesimo octavo; cumque præteriisset tempus, de quo convenerat, depositus mense Augusto, Indictione quarta, nempe anno nongentesimo trigesimo primo, ad Monasterium suum se recepit, ubi vitam clausit. Sedes vero Constantinopolitana adhucdum uno anno & quinque mensibus vacavit, quod Theophylacti juventus Ordinationi obsisteret. Tandem consecratur in Festo Purificationis secunda die Februarii, anno nongentesimo trigesimo tertio, Indictione sexta, consentiente Papa, qui Legatos cum Epistola Synodica ad ejus ordinationem confirmandam miserat. Theophylactus in Cathedra Constantinopolitana annis viginti tribus sedit. Ceterum, Luitprandus ille est, qui exinde post annorum triginta quinque lapsum Constantinopoli versatus testatur, Papam ei Pallium jure perpetuo concessisse, sed alias ad illud usque tempus in Scriptoribus non occurrit,

n. 34. Sim. Mag. 43.

rit, Patriarchas aut alios Episcopos Orientis Pallium a Papa accepisse. Sæculum X. A. C. 933.

§. XIII.

Res Ecclesiæ Orientalis.

Eodem anno nongentesimo trigesimo tertio vita functus Christodulus Patriarcha Melchita Alexandrinus, viginti sex annorum Pontifex, Fostati, urbe totius Ægypti, ex quo nobilissima hæc terrarum pars Musulmannis obtigerat, principe, sepultus est. *Eut. to. 2. p. 424. Sup. Lib. LIV. §. 41.*

Ei successit Eutychius, ejusdem urbis Medicus, annos natus sexaginta cum Patriarcha ordinatus est octava die secundi mensis Arabici, anno Hegiræ 321. Diocletiani 649. *Alcaber* Califæ primo. Nomine Arabico hic Patriarcha dicebatur *Said*, quod significat Beatum, atque idipsum vox Græca, Eutychius exprimit. Ad nos usque pervenit Eutychii Opusculum continens Historiam Universalem a Creatione Mundi usque ad ipsius ætatem lingua Arabica, hæc enim erat ipsi patria, conscriptum. Compendium istud, etsi mendis non careat, est tamen pretiosum in Historia monumentum, unde hactenus Patriarcharum Alexandrinorum Melchitarum seriem accepi, quam deinceps continuare nequeo. (*) Eutychius, non plus annis septem *Eut. to. 2. p. 527. Bibl. or. p. 736.* *Elmac. l. 3. c. 1. p. 208.*

(*) Misera plane Alexandrinæ, Jerosolymitanæ

Sæculum X. A. C. 933.

septem Pontificatum tenuit, quo toto ferme tempore multis jurgiis fatigabatur,

tanæ, aliarumque in Oriente Ecclesiarum, ob Dominationem Saracenorum, & multo magis post ruptum Communionis cum Ecclesia Romana vinculum conditio fuit. Quippe, ut narrat R. P. Boucher in suo Itine. ad Oriental. plag. præter Romanos & Maronitas Catholicos in Sectas sex Schismatici Orientales hodie dividuntur, videlicet, in Græcam, Georgianam, Nestorianam, Armenianam, Abissinam, & Copticam.

Illud vero omnino infinita Dei Sapientia & Potentia dignum! quod hodieque in civitate Jerosolymitana, loco Redemptionis nostræ, in medio Mahometanorum, Inimicorum suorum, ipsis invitis, videntibus & ringentibus, colatur & adoretur.

Refert idem P. Boucher, se sæpius observasse, Mahometanos illos miserabiles, cum Sacerdotes & Ministros Altaris Romanos in Ecclesia Divinum Officium cantantes audirent, & Sanctum Missæ Sacrificium celebrantes conspicerent, trepidos adstare, percutientes pectora sua dicere: *Boni sunt Latini!* & non nisi editis magnæ venerationis signis ex Ecclesia abire; at nihilominus, si eosdem viros Religiosos extra Ecclesiam vel in civitate, vel in agris sibi occurrentes haberent, ipsos fustibus, pugnis, lapidibus & omnis generis contumeliis insectari.

Ceterum RR. PP. S. Sepulchri Custodes sicut omni tempore, ita & in hunc usque diem sex-

tur, quia plerosque de ejus populo Jacobitarum errores inficiebant. Verum cum *Achid*, illa ætate Ægypto præfectus maximam ab iis pecuniæ vim exigeret, & opprobria innumera devorare cogeret, dissidentes ad pacem domesticam servandam, & Conventus in una Ecclesia celebrandos compulit. Sæculum X. A. C. 933.

Obiit Eutychius anno Salutis nongentesimo quarto, Hegiræ trecentesimo vigesimo octavo.

Patriarcha Alexandrinus Jacobita illa tempestate erat Gabriel, anno nongentesimo decimo sexto, postquam Sedes annis quatuordecim vacasset. Is omnibus sibi subditis viris feminisque unius *Dinar* aurei tributum imperavit, seditque annis viginti uno & dimidio usque ad annum Christi nongentesimum trigesimum octavum. Nam totam Patriarcharum istorum Jacobitarum seriem habemus. Antiochiæ Patriarcha Melchi- *Chr. or. p. 111.* *Eut. p. 523.*

sexcentas vexationes pati coguntur, postquam jam ante annos circiter quadringentos ipsis hæc provincia obtigit. Namque Illustrissimus & Reverendissimus Dom. Franciscus de Gonzaga Ord. FF. Min. Præpositus Generalis & Archiepiscopus (Episcopus) Mantuanus, qui scripsit anno 1587. notat: *Ante annos 220. a Fratribus nostris bona fide ac pacifice loca Sancta terræ Jerosolymitanæ occupata sunt.*

Sæculum X. A. C. 933.

ta Elias, e vita migravit anno Hegiræ 317. menſe ſexto, id eſt, anno nongenteſimo vigeſimo nono. Cumque Sedes deinde annis quatuor vacaſſet, Califæ *Radi* anno primo, Hegiræ trecenteſimo vigeſimo tertio, JEſu Chriſti nongenteſimo trigeſimo quinto, Theodoſius, alio nomine Stephanus, Patriarcha ordinatus eſt. Is fuerat *Cateb* ſeu Notarius, olim Bagdati cum *Mounés* Evnucho theſauro Califæ præfecto verſatus. Jeroſolymæ Patriarchali Dignitate fulgebat Chriſtophorus, duorum filiorum, duarumque filiarum parens, quo ſedente Muſulmanni rixis in Conſtantini Eccleſia excitatis portas exuſſerunt, & Eccleſiam S. Sepulchri diripuerunt circa Feſtum Paſchæ anno 325. ſeu Salutis nongenteſimo trigeſimo ſeptimo.

p. 528.

p. 531.

Ne vero Califas prætereamus; *Moctavi* anno 295. Salutis 908. e vivis rapto ſucceſſit frater *Jafat Abulfadel* cognomento *Almuctadir-Billa*. Is annos non plus tredecim natus Imperium, quod ante ipſum Califarum nullus, annis viginti quinque tenuit; quo regnante Secta, ſeu potius Fatimitarum factio, exordium ſumſit. Namque anno 298. ſeu 910. Mahomet, alio nomine *Obeidalla*, gente Arabs ex provincia *Irac*, contendens, ſe ex genere *Ali*, & Fatimæ, Prophetæ filiæ, originem ducere, cum

Elmac. lib. 2. c. 19.

Id. p. 187. *Bibl. Orient. Fatemiah. p.* 342. *Mahadi p.* 531.

cum *Segelmeſſe*, Africæ urbem, veniſſet, effecit, ut *Emir-Amulmenin*, id eſt, Fidelium Princeps, proclamaretur, aſſumpto *Mebedi* Titulo, cujus apud Muſulmannos maxima erat reverentia. Tum regionibus omnibus, quæ in Africa Mahometanis parebant, Siciliaque, in ſuam poteſtatem redactis, & excuſſo Califarum Bagdati reſidentium jugo, Regnum in nepotes transmiſit. In Arabia, cum anno 312. ſeu 924. *Abutaher* Carmenianus (ita dicebatur nova Secta regnante ipſius Anteceſſore orta) Mecham peregrinantium catervam invaſiſſet, & profligaſſet, nemo annis ſequentibus duodecim illo profectionem ſuſcipere auſus eſt. Idem capta civitate Mechenſi tabulam nigram lapideam, cujus apud Muſulmannos maxima erat Religio, abſtulit, eamque ingenti pecuniæ vi accepta reddidit. Sæculum X. A. C. 933.

Anno trecenteſimo decimo quinto, Salutis humanæ nongenteſimo vigeſimo ſeptimo in Perſia novum Regnum, *Dilem* dictum extitit, atque ita Mahometanorum imperium in plurimas partes abiit. Califa *Almuctadir* anno 310. ſeu 932. cum annum ætatis numeraret trigeſimum octavum, a ſuis interfecto, ſuffectus eſt Mahomet *Abulmanſor*, qui *Alcacher-Billa* dici voluit. Sed cum tanto imperio ineptum ſe exhiberet, a Diviſum Imperium Muſulmannorum.

Sæculum X. A. C. 933.

militibus civitatem Bagdatenſem expilantibus ſolio dejectus, undecim integris exinde annis, ſtipem ab obviis quibusvis in *Moſchea* flagitans miſerrimam vitam traxit.

Succeſſorem habuit nepotem ſuum Achmet *Abulabas*, Califæ *Muctadir* filium, *Aradi-Billa* dictum, qui annis prope ſeptem, nempe ab anno 322. ſeu Salutis 934. usque ad annum 329. ſeu 940. regnavit. Ipſius ætate potentia Califarum penitus corruit, & tantum Imperium diviſum in plurimos, qui vectigalia in ærarium ſuum comportari jubebant, arma, ut lubebat, arripiebant, abjiciebantve, ſolo ſupremi Principis nomine Califis relicto. Namque eos adhuccum Religionis Imperiique Caput agnoſcebant, in precibus publicis nomen regnantis memorabant, illudque pecuniæ imprimebant. Tandem etiam Califa Bagdatenſis provincias illas in Feudum concedebat tradito in ſignum receptæ fidei vexillo, ſed ſemper illis, qui viribus ſuperiores erant. Itaque Ægyptus & Syria uni Domino, *Diarbecria* ſeu Meſopotamia alteri parebant. Alius Arabiæ, alius Perſiæ, alius aliis provinciis dominabatur. Quin etiam Bagdati, ipſa Califæ Sede, alius Princeps, quem Emirum Emirorum appellabant, imperabat. Dudum Muſulmanni in Hiſpania a Bagdaten-

datensibus defecerant, & qui in Africa degebant, eorumdem Dominationi se se subtrahere cœperant, electo sibi Principe Mehedi filio, qui nomen *Caimbriamrilla*, id est, a Deo Instituti accepit. Quare Califas hosce Bagdatenses, vana Principum simulacra, nominatim non amplius referam, etsi per plura sæcula extiterint; sed, ubi Principis alicujus Musulmannorum mentionem facere oportebit, illius nomen ponam, qui tunc temporis summa potestate gaudebat. *Radi* (*) illorum Califarum ultimus fuit, qui de more in *Moschea* suggesto sublimis diebus Veneris oravit, qui de exercitibus, de ærario decernere potuit, qui, Antecessorum suorum exemplo, mensæ suæ & cubiculis Præfectos habuit. Is etiam denique, sicut Principum illorum plerique, ex immodico Veneris usu decessit. Sæculum X. A.C. 933.

§. XIV.

Joannis XI. exitus. Leo VII. Papa.

Joannes XI. non plus annis ferme duobus nomen Pontificis gessit, sive ex eo tempore, quod in custodia transegit, pro Pontifice non amplius haberi cœperit, sive jam anno nongentesimo trigesimo *Fr. vers. p.* 607. *Id. Chr.* 936.

(*) Nempe, Achmet *Abulabas, Aradi Billa.* Ut supra.

Sæculum X. A. C. 936.

mo tertio mortem oppetierit; quod si accidit, S. Petri Sedes annis tribus vacasset, nam Leonem VII. Joannis Successorem demum anno nongentesimo trigesimo sexto ordinatum fuisse, exploratum est. Erat porro Leo fidelis Dei Servus, qui supremam in Ecclesia Dignitatem non modo non quæsivit, sed ea invitus donatus est, postquam ad amoliendum a se hunc honorem nihil intentatum reliquisset. Pontifex creatus nihil de præteritæ vitæ ratione dimisit, orationi & Rerum cœlestium contemplationi intentus, cunctis facilis, humanus, sapiens, & sibi conversantibus jucundus. Frodoardus, qui ista indole natum fuisse Leonem refert, eum viderat & sæpe conviva collocutus fuerat. Ceterum Leo annis tribus & dimidio Sacram Sedem tenuit, Alberico Romæ dominante, & Hugone omnem lapidem ad æmulum opprimendum frustra movente.

§. XV.

S. Odo Romæ.

vit. Odon. l. 1. n. 27.

Papa Leo, memoratos æmulos reconciliare cupiens, eodem anno nongentesimo trigesimo sexto Odonem Abbatem Cluniacensem, cujus magna erat apud Hugonem Regem auctoritas, Romam advocat. Venit Odo, cumque in itinere ad Adegrimum veterem amicum suum

Sæculum X. A. C. 936.

ſuum divertiſſet, is quid ſibi per viſum oblatum fuiſſet aperuit; videlicet, illa hora, & illa die S. Martinum ſibi factum eſſe conſpicuum, & dixiſſe, quod Roma veniret, & in Franciam pergeret, ut coronationi & unctioni Regis Ludovici eadem die intereſſet. Odo notavit diem & horam, docuitque eventus, verum fuiſſe vaticinium. Rex Carolus Simplex e vita migraverat anno nongenteſimo vigeſimo nono, ſeptima Octobris, Peronæ, in qua civitate a Comite Heberto captivus tenebatur.

Sed ejus obitu rerum facies in Francia nullatenus mutata, quamdiu Rudolphus, quem omnes Regem venerabantur, luce fruebatur. Mortuus eſt autem decima quinta Januarii anno nongenteſimo trigeſimo ſexto; tuncque Optimates Ludovicum Caroli Simplicis filium, quem Mater Ogiva in Angliam ad fratrem ſuum Regem Edelſtanum deduxerat, in Franciam revocarunt, eumque Artaldus Archiepiſcopus Remenſis Lauduni, Proceribus regni & plusquam viginti Epiſcopis præſentibus, Die Dominica decima nona Junii, anno nongenteſimo trigeſimo ſexto conſecravit. Ceterum ex illa in Anglia commoratione Ultramarinus dictus eſt.

Chro. Frod. 936. *& hiſt.* 4. c. 26.

Poſtquam Odo Abbas in Urbem pervenit, concordiam reduxit inter Regem Hu-

Sæculum X. A. C. 936.

Hugonem & Albericum, cui Rex filiam ſuam in matrimonium dedit. Unde Albericus Princeps, cum maximo in pretio Odonem haberet, cujusdam ruſtici manus amputari juſſiſſet, qui S. Virum percutere voluerat, niſi Abbas cruentam ultionem prohibuiſſet.

Luitpr. IV. c. 1. vit. lib. II. n. 9.

lib. I. n. 27.

Rogatus a Pontifice Romano & Clericis Monaſterium S. Pauli in eum ſtatum, quo olim fuerat, reſtituit, ibique quamdiu Romæ fuit, diverſatus eſt. Maxime vero patientia & charitas Odonis eluxit in hoc itinere, cum largiſſima manu eleemoſynas ſparſit. Ubi Senas in tranſitu divertit, quam civitatem fames dire vexabat, conſpectis in platea tribus viris nobili genere ortis, ut eorum pudorem levaret, & alio quam eleemoſynæ nomine poſſet ſuccurrere, ſimulavit, ſe vehementer cupere lauri baccas ante oſtia domus eorum poſitas, ipſosque ad pretium immodicum accipiendum ſingulari charitate compulit.

L. 2. n. 7.

§. XVI.

Saraceni in Italia.

Luitpr. I. c. 1.

Ex annis ferme quinquaginta Saraceni in Longobardia Fraxineti ad Padum, oppido inter Caſale & Valentiam poſito ſedem figere cœperant, in principiis numero viginti, qui cum in cimba ex Hiſpania ſolviſſent, adverſis ventis in Italiæ

taliæ littora inviti conjecti fuerant. Et quia regio illa arridebat, centum alios suæ gentis advocarunt. Tum occasione rixarum inter incolas gliscentium in rem suam solerter usi, usque adeo viribus & numero aucti sunt, ut Alpium fauces obsidentes peregrinis Romam ituris imminerent. Hoc anno cum usque Aquas civitatem quinquaginta passuum millibus Ticino distantem penetrassent, prœlio victi & repulsi sunt. Sed alii ex Africa valida classe advecti, Genuam incautis custodibus occupant, cunctis pauperibus interfectis, solis feminis atque infantibus parcunt, & Ecclesiarum thesauros ingentesque civitatis divitias in lembos suos congerunt.

Sæculum X. A. C. 936.

Id. IV. c. 2.

Eodem anno 936. expilata Allemaniæ superioris parte redeuntes, in via complures peregrinantes trucidarunt. Anno nongentesimo quadragesimo Anglorum Gallorumque Romam profiscentium caterva viam relegere coacta est, postquam Saraceni, capto Agauno & celeberrimo S. Mauritii monasterio igni vastato, eorum non nullos jugulassent. Tandem ad pacta ventum, promiseruntque, passuros se, peregrinos data pecunia transire.

Fr. Chr. 936. 940. 951.

Manassi Archiepiscopo Arelatensi, ut Regis Hugonis tunc potentissimi & sibi cognati favore plenius frueretur, relicta

Ecclesia

Sæculum X. A. C. 936.

Ecclesia sua in Italiam commigranti Rex, quo propriam firmaret potentiam, Episcopatus Veronensem, Mantuanum, & Tridentinum, adjecta Tridentinæ ditionis præfectura, contulit; unde Ducis magis quam Episcopi munera obire cœpit. Ad purgandam tot Beneficiorum possessionem, Manasses afferebat exemplum S. Petri, Antiochia Romam, quæ caput orbis erat, transeuntis. Ab eodem Apostolo S. Marcum ipsius Discipulum Ecclesiæ Antiochenæ præfectum fuisse, quo non obstante idem S. Marcus Ecclesiam Aquilejensem fundasset, & brevi postea ad Alexandrinam fuisset translatus. Tanta, scilicet, Manassis Historiæ Ecclesiasticæ scientia & artis criticæ peritia erat.

§. XVII.

Epistola Papæ in Bavariam missa.

Gerardus Archiepiscopus (*) Laureacensis,

(*) In Actis Conc. Edit. Paris. anno 1714. occurrit Epistola Leonis Papæ VII. numero secunda ad hunc Gerardum data, in qua ei concedit usum Pallii, cum hac Inscriptione: *Leo Episcopus, Servus Servorum Dei, reverendissimo & sanctissimo confratri nostro Gerhardo Sanctæ Laureacensis Ecclesiæ Archiepiscopo, omnibus diebus vitæ tantum tuæ exhinc amodo.* Ceterum de hoc

censis, (*) cujus Sedes posteriore tempore Juvavium seu Salisburgum translata, (**) Romam profectus, cum Summum

Sæculum X. A. C. 936.

hoc Gerardo A. R. P. Josephus Mezger in Historia Salisb. ista habet, p. 282. *Post hos igitur Gerardus Præsul lapso pene Sæculo litem sepultam suscitavit, & honores Laureacenses repetiit. Faventem habuisse videtur Leonem VII. qui ab anno 936. usque ad annum 939. jactatæ magnis tempestatibus Ecclesiæ triennio clavum pie tenuit. Hujus duplex Epistola apud Auctores extat: Utraque sine anno & die. In priori Gerardus salutatus a Papa Archiepiscopus, sed ad dies vitæ suæ tantum, cujus Auctores rerum Passavienſium meminisse oportuisset.*

Tum idem Mezger in Annotatione: *Duo ex Leonis Diplomate collegerunt inconsiderate quidam Scriptores. Unum, quod Egilolfus* (Salisburgensis) *quia a Papa tantum salutatus inter alios Episcopus, Dignitate Archiepiscopali exciderit. Alterum, quod Papa Gerardo ceu Metropolitano illum voluerit subesse. Utrumque falsum. &c.*

(*) Lauriacum *Lorch* vicus Austriæ Superioris ad Danubium fluvium tribus Mill. infra Lentiam, & uno tantum ab Anisо, viginti duobus a Vienna in Occid. Geogr.

(**) Sunt qui dicant Patavium fuisse translatum. Sed audiamus iterum Clariss. P. Jos. Mezger antiquissimi & celeberrimi Cænobii ad S. Petrum Salisb. non postremum Decus, cap. 22.

Sed

Sæculum X. A. C. 936.

mum Pontificem de compluribus erroribus, quibus Bavaria vicinæque regiones turbabantur, consuluisset, Epistolam retulit directam ad Reges, Duces, Episcopos Juvaviensem, Ratisbonensem, Frisingensem & Sebonensem, seu *Siben*, quæ Sedes postea Brixinonem translata. In hac Epistola Leo Papa ad Quæstiones Gerardi Archiepiscopi respondet in hunc modum:

Ep. 3. *tom.* 9. *Conc. p.* 596.

Sed Benedictus VI. Papa sequenti anno 972. *Romæ promotus, pro Friderico* (Salisburgensi Archipræsule) *decretum fecit, eique ac ejus Successoribus amplissimam Archipræsulis & Legati potestatem in tota Norica provincia, nominatim in Pannonia tam superiori quam inferiori, qualem ejus Antecessores habuissent, abrogato cuivis alteri in his provinciis Pallii usu, confirmavit. Contra hanc Benedicti VI. Sanctionem aliam Benedicti VII. ab anno* 975. *ad annum* 984. *Pontificatum gerentis e Diametro priori adversam proferunt monumenta Patavienſium: quæ tamen si bene inspiciatur, non immerito suspecta est.* Deinde ad infringendam hujus Sanctionis auctoritatem P. Josephus quatuor affert argumenta, & addit: *Verum hujus Bullæ vanitatem eventus ostendit. Cum ea Archiepiscopatus Laureacensis memoria & contentio memorata tota concidit. Post Pilgrinum* (Patavienſem) *nullus Successorum ne nomen quidem amplius affectavit.* Occurrent aliqua in Fleurio hoc Libr. Num. XLI. sed his antiquiora.

modum: *Quæritur, an de illis, qui Auguratores, Incantatrices, Maleficos pœna mortis affecerunt, aliqua pœnitentia exigi debeat. Respondemus:* Sæculum X. A. C. 936.

Quamvis de his scriptum sit: Maleficos non patiaris vivere, nos tamen prohibere debemus, ne gladio vindice puniantur; sed secundum Judicium Ecclesiasticum vivant, & pœnitentiam agant. Quod si Ecclesiastica Judicia spreverint, humanis subjaceant legibus, & Judices, qui eos interfecerint, viri boni & innoxii habeantur.

Consultum est etiam, utrum Episcopi, Pax vobis, vel Dominus vobiscum pronunciare debeant. Sed illud in vestra provincia tenendum, quod in Sancta Romana Ecclesia observatur; nos enim Diebus Dominicis & Festis, non autem in diebus jejunii, Pax vobis, dicimus.

Prohibetur, ne Oratio Dominicalis ad Benedictionem ciborum recitetur, quod eam non nisi in Sancto Sacrificio recitari oporteat. Sed vicit consuetudo contraria. *Gerardus Archiepiscopus,* inquit deinde Papa, *ad nos detulit, quod omnino amaris lacrymis deflendum, nempe, Presbyteros nuptias publice inire, quæsivitque an ipsorum liberi ad Ordines promoveri possent. Quantum crimen, quanta turpitudo his nuptiis insit, scimus ex Concilio Niceno, in quo constitui-*

Sæculum X. A. C. 936.

tur, ut Presbyteris ne quidem cum mulieribus in eadem domo versari liceat. In Concilio autem Neocæsariensi deponi præcipitur Presbyter, uxorem ducens; quod ut observetur, districte jubemus. Ezech. 18. 20 *Filii vero, secundum dictum Prophetæ, Patrum suorum iniquitatem non portent. Chorepiscopi* (unde videmus, necdum fuisse sublatos) *nec Ecclesias consecrent, nec Presbyteros ordinent, nec Confirmationem conferant. Nemo matrem, aut filiam lustricam, conjugem accipiat. Qui tertio cognationis gradu juncti sunt, vel in quarto, si ex ignorantia matrimonium contraxerint, pœnitentiam subeant.*

In fine Epistolæ Pontifex Episcopis præcipit, ut Gerardo Archiepiscopo, Vicario suo obediant, Eberhardum (*) vero

(*) Ex Ducibus illius ætatis Augustissima Domus Bavariæ originem traxit, de quibus Historia Salisburg. Lib. III. Cap. XVIII. hæc habet: *Oppositi Ludovicus* (Rex Germaniæ) *LUITPALDUM Ducem* (Bavariæ) *egregium, Cognatum suum, qui ter prælio victor Hungaros profligavit: ipsiusque Regis CHUSSOLIS occisi caput Ludovico retulit: sed quarto prælio* (anno 907.) *cum magna Bojorum parte cecidit. Ab eo Duce, quem a Carolo per Pipinum Regem natales deduxisse plerique existimant, hodierni Duces Bavari Genus suum deri-*

ro Bavariæ Ducem eidem auxilium præ- Sæculum X.
ſtare jubet. A. C. 936.

Q 2 §. XVIII.

derivant. Gevvold. Adelzr. Et pag. 280. *Bojaria interim proprios Principes Ducesque iterum habere cœpit . . . . Ita Luitpaldi, quem ante laudavimus, filius ARNULPHUS, Boicæ Princeps factus, cæſo & pene deleto primum ad Oetingam Hungarorum exercitu glorioſus, minus decora & felicia cum Cæſaribus bella geſſit . . . . Denique ad pacis ſtudia reverſus damna piis locis illata Sacrorum Præſulum auctoritate ſarcivit: ut mali nomen, quod ei vulgo inditum, deleviſſe meritis viſus ſit.* Contrarium omnino ſentit P. Carolus in Hiſt. Friſing. P. I. p. 171. Doctiſſimus P. Candler in eleganti libro: *Arnulphus male malus cognominatus* hujus Ducis innocentiam demonſtravit. Teſte P. Deſing. Suppl. part. I. pag. 88. At iterum Hiſtor. Salisb. cap. XIX. *Nam Arnoldus . . . . Filius Arnulphi Ducis Boicæ cum fratribus EBERHARDO* (hic eſt quem Fleurius nominat) *& Hermanno, a Principatu Boico Ottonis Imp. nutu & ope . . . . per Bertholdum patruum ſuum, ejusque Succeſſorem Henricum Saxonem Ottonis fratrem Arnulphi affinem . . . . excluſus, ſolum Comitis nomen retinuit, Arcemque Schyræ, ubi nunc inſigne Cœnobium, condidit.* Interim notandum, Arnulphi hujus ſive Boni ſive Mali Poſteris non ſolum Monaſterium Schyrenſe, ſed etiam Fürſtenfeldenſe & Ettalenſe omnia in acceptis referre.

Sæculum X. A. C. 936.

§. XVIII.

Henrici Aucupis obitus.

Regin. Cont. 934. *Herm. Marian. &c. Witiq. l.* 1.

Inter hæc novum Dominum sortita erat Germania, Henrico Aucupe, postquam imperasset annis septendecim, in Sabbato, secunda die Julii, anno nongentesimo trigesimo sexto, fatis functo. Is elapso abhinc biennio insignem de Hungaris reportaverat victoriam, quam Germani ipsius pietati a Cœlo datam crediderunt; namque priusquam Barbaris bellum indiceret, ut se a tributo annuo, quod pendebat, liberaret, populo ad concionem vocato, *Hucusque*, inquit, *vos & liberos vestros rebus omnibus spoliavi, quibus Hungarorum avaritiam explerem. Jam vero, vobis nihil habentibus, Ecclesiis thesauros, earumque Ministris Bona, quibus vitam sustentant, eripere cogor. Quid consilii mihi suggeritis? an aurum Deo sacrum rapiam, & tradam hostibus ejus, quo nos de barbarorum manibus redimam? an libertatem a solo Deo expectabimus?* Exclamavit populus, a solo Deo se Salutem suam sperare, & levatis in cælum manibus jurabat, operam se, quamcunque posset, ad hoc bellum collaturum. Ergo solita pensio Hungaris denegatur, cumque in Saxoniam & Thuringiam irrupissent, ubique profligantur. Tum Henricus pecuniam,

cuniam, quæ hostibus danda fuisset, ad Cultum Divinum & alendos pauperes impendit. Sæculum X. A. C. 936.

In Vexillo principe, quod Regi Henrico in hostium turmas ruenti præferebatur, nomen & imago cujusdam Angeli conspiciebatur. Præterea Rex spem præcipuam ponebat in quadam lancea, quæ Constantini Magni olim fuisse dicebatur, Domini nostri Salvatoris clavis in forma Crucis infixis ornato. Hanc Lanceam Rudolphus II. Rex Burgundiæ habebat, a quo cum eam Rex Henricus postulari jussisset, oblato maximo pretio, ille respondit, nunquam se commissurum, ut carissimum pignus e suis manibus dimitteret. Verum Henrico comminante, se regnum ejus totum igne ferroque vastaturum, flecti se passus est, & Henricus tanto thesauro accepto lætus dona aurea argenteaque pretiosissima & non modicam Sueviæ partem, mercedis loco, Rudolpho dedit. *vit. S. Ger. Br. Act. Be. Sæc. V. p. 264. Luitpr. lib. IV. c. 12.*

§. XIX.

Ecclesiæ Septentrionis.

Henricus Rex ad convertendos etiam Infideles egregiam navavit operam; ipsius enim cura quidam Rex Abodritarum, & alius Danorum seu Normannorum baptizati sunt. Regem Gurmium, hostem illum Christianorum infensissimum, *Reg. Cont. an. 931.*

Sæculum X. A. C. 936.

mum, repreſſit, & ad pacis conſilia compulit. Tum Henricus Sleswicum Coloniam Saxonum cum Marchione, qui Imperii terminos cuſtodiret, immiſit. Tunc vero Unnius, Archiepiſcopus Bremenſis, prædicandi Evangelii occaſionem nactus, Eccleſiam Hamburgenſem jam diu neglectam excolere ſtatuit, & per ſe ipſum ampliſſimam ſuam Diœceſim viſitare. Secutus eſt in hoc itinere populus Bremenſis Paſtorem ſuum, cujus abſentiam ferre non potuiſſet, paratus pro dilectiſſimo patre in mortem ruere. Ubi Unnius in Daniam pervenit, ab Gurmii pertinacia quidem nihil impetravit, ſed Haroldum filium ejus ad Chriſtiana Sacra traduxit, qui, etiamſi ipſe necdum Sacro fonte ablutus eſſet, populis fidem Chriſti publice profitendi poteſtatem fecit.

Herm. Mar. Sig. 930. *Adam. Bre. c.* 48. *Helm. Chron. Sl.* 1. *c.* 8. *Adam. c.* 44.

c. 50. Igitur Archiepiſcopus, Presbyteris in qualibet Eccleſia Daniæ ordinatis, Fideles Regis Haroldi præſidio commiſit, cujus tutela munitus & comitante Legato Inſulas Daniæ peragravit, Infidelibus Evangelium denuncians, & Chriſtianos captivos in fide confirmans. Deinde inſiſtens veſtigiis S. Anſcharii Anteceſſoris ſui, trajecto mari Baltico in portum Bircanum appulſus eſt. Quippe per annos ſeptuaginta ab obitu S. Anſcharii elapſos nullus Prædicatorum, exce-

Sup. Lib. XLVIII. §. 31.

excepto ſolo Rimberto Presbytero, in Sueciam navigare auſus fuerat. Unde Unnius Archiepiſcopus illuc delatus non ſine maximo doloris ſenſu Religionem Chriſtianam in Suecia ſub regno quorumdam Principum turbulento & cædibus plurimorum infami exoleviſſe vidit, magnoqe labore vix impetravit, ut aures de Fide loquenti darent. Ecce vero, Prædicatione peracta, cum ſe ad reditum compararet, morbo correptus animam Deo reddidit, in medio Septembris, anno nongenteſimo trigeſimo ſexto, Indictione nona. Diſcipuli ejus corpore defuncti Bircæ, ubi mortem oppetierat, ſepulto, caput Bremam delatum, ante Altare in Eccleſia S. Petri condiderunt. Ceterum Unnius Sedem Bremenſem annis octodecim tenuerat. Succeſſit Adaldagus, ſeditque annis quinquaginta quatuor, ex nobili proſapia oriundus, conſanguineus & Diſcipulus Adalwardi, Epiſcopi Verdenſis, qui Fidem Chriſti Sclavis eodem tempore, quo Unnius Archiepiſcopus Suecis, prædicabat. Adaldagum ab Adalwardo ad Regiam Henrici ſæpe deductum, cum eſſet eximia ſpecie & laudatiſſimis moribus, ex Canonicis Eccleſiæ Hildesheimenſis evocatum caſus ſingularis merentem citius ad Dignitatem Epiſcopalem promovit. Regina Mathildis, videns maritum Re-

Sæculum X. A.C. 936.

Sup. Lib. LIII. §. 38. *c.* 31.

vit. B. Math. c. 2. *n.* 9. *Boll.* 14. *Mart. tom.* 7. *p.* 361.

Sæculum X. A. C. 936.

gem cum morte luctantem ad Ecclesiam oratura convolat, cumque post brevem moram ex populi ejulatu intelligeret, Regem expirasse, quæsivit, an non ex Presbyteris aliquis adesset jejunus, qui Sacrificium pro mortuo offerre posset. Annuit petenti Adaldagus, cui Regina confestim detractas brachiis suis armillas aureas dono dedit; nec, quoad vixit, ejus beneficii memoria, quod primus pro anima Regis conjugis sui Missam celebrasset, apud ipsam deleta est. Sed exinde duobus mensibus elapsis Unnio Archiepiscopo defuncto, a filio suo Ottone obtinuit, ut Sedes Bremensis vacans Adaldago conferretur.

Henrici Regis corpus deinde Quedlinburgum, prope Halberstadium positum, ubi monasterium feminarum fundare animo constituerat, deferri curavit, & sine mora propositum implevit. In illud Asceterium, in quo non nisi Virgines ex primis Germaniæ stirpibus natæ suscipiebantur, & ipsa Mathildis se recepit reliquum vitæ tempus transactura.

Mathildis a prima ætate in Monasterio Erfordiensi Aviæ suæ illius loci Abbatissæ tradita, Doctrinam fidei & opera manuum, sexui suo convenientia didicit. Inde evocata & Henrico anno circiter nongentesimo decimo tertio nubere jussa, etiam in matrimonio de virtute in virtu-

virtutem progressa est, in oculis hominum vestibus holosericis & gemmis splendens, intus humilem animum & misericordiam abscondens. Noctu surgebat ad orandum relicto Regis toro, ipso ignorantiam hujus rei simulante. Ab usu matrimonii abstinebant diebus ab Ecclesia constitutis, quod illa ætate adhucdum Religiose observabatur. Sed aliquando in Cœna Domini cum Rex Henricus præter morem vino liberalius sumto incaluisset, Regina invita, a complexu conjugali se non continuit, quod Scriptores illius ævi grandis flagitii loco habent. Sæculum X. A. C. 936.

Ceterum huic maritali commercio vitam debuit natus exinde Henricus Dux Bavariæ, quem cum Mater postea præ ceteris diligeret, funestis inter fratres rixis occasionem dedit. *vit. c. 2. 7.*

§. XX.

Otto Rex Germaniæ.

Rege Henrico defuncto, cupiebat Regina hunc Henricum filium in Successorem a Germanis cooptari; nec deerat æquitatis species, quod Otto primogenitus Patre necdum Rege, iste vero in purpura, natus esset. Sed Ottonem a Patre designatum Francorum Orientalium & Saxonum suffragia ad Imperium evexerunt. Unde Henrico conquerendi materia sæpiusque ad arma prorum-

Sæculum X. A. C. 936.

pendi prætextus non defuit. Tertius quoque natus erat frater, nomine Bruno, cui adhuc dum puero summæ in Ecclesia Dignitates destinatæ.

Vitiq. l. 2.

Loco, in quo Otto coronaretur, præstituto, videlicet Civitate Aquisgranensi, primo Proceres ei fidem jurarunt extra Ecclesiam, in qua Hildebertus Archiepiscopus Moguntinus cum omnibus Clericis Principem expectabat. Archiepiscopus quidem Trevirensis, ob Sedis suæ antiquitatem, & Colonienſis, quia hæc in ipsius Diœcesi gerebantur, sibi quisque competere affirmabant Principem coronare; sed istud maximis meritis Archiepiscopi Moguntini dederunt, ut ipse honorifica cæremonia defungeretur. Archiepiscopus Colonienſis tunc erat Wicfredus, Hermanni anno nongentesimo vigesimo quinto mortui Successor. Ecclesiæ vero Trevirensi præerat Robertus, Ottonis Avunculus, Reginæ Mathildis matris ipsius frater, qui Rogerio anno nongentesimo trigesimo quarto fatis functo successerat. Ottoni Ecclesiam intranti Archiepiscopus Moguntinus obviam procedens manum ejus dextram contigit, moxque conversus ad populum, porticus superiores inferioresque implentem, ait: *En vobis Ottonem adduco, quem Deus elegit, Rex Henricus dudum designavit, & Proceres omnes*

Regem

Regem proclamarunt. Si ratam habetis hanc electionem, levate ad cælum manus! tunc nemo non manus levavit, magno clamore novo Regi pacem & prosperitatem in annos plurimos exoptans. Sæculum X. A.C. 936.

Mox Archiepiscopus Regem, arcta tunica more Francorum indutum, ad Altare deduxit, in quo ornamenta Regia, videlicet gladius cum balteo, pallium, armillæ, baculus, sceptrum, & Diadema posita erant. Archiepiscopus tollens gladium sermone ad Regem directo inquit: *Accipe hunc gladium ad repellendos JEsu Christi inimicos, Barbaros, & malos Christianos, quia tibi Deus totius* (*) *Imperii Francorum potentiam ad pacem Christianorum conservandam tradit.* Similes preces singula ei porrigens Insignia pronunciavit, oleo Sancto unxit, & tandem eundem cum Archiepiscopo Trevirensi coronavit. Inde diademate fulgentem ad Solium inter duas columnas marmoreas editum deducunt, unde ab omni populo conspiceretur, & Missa celebrata Rex descendens perrexit ad Palatium comitantibus Ducibus, ubi cum Episcopis ad

Rex Germaniæ coronatur.

(*) Istud in sensu accomodo accipiendum. Nam Otto Magnus non regnavit in toto Imperio Francorum nec facto nec jure, quia in Francia Occidentali rerum potiebantur Reges a Carolo Magno genus suum per mares ducentes.

Sæculum X. A. C. 937.

ad ſolemne convivium menſæ marmoreæ aſſedit. Hæc anno nongenteſimo trigeſimo ſexto acta. Ceterum Otto annis triginta ſex imperavit. At huic Cæremoniæ non diu ſupervixit Archiepiſcopus Moguntinus, anno nongenteſimo trigeſimo ſeptimo ultima die Maji vita functus, cui Fridericus, & ipſe Monachus Fuldenſis, ſucceſſit.

Mabill. Act. Sæc. 6. pag. 573.

Hoc Antiſtite, Adaldago Archiepiſcopo Bremenſi, & compluribus aliis Epiſcopis auctoribus, Otto Rex, quo Religionem Chriſtianam apud Sclavos ad Albim habitantes ſtabiliret, in urbe Magdeburgenſi manu munita, Monaſterium fundavit. Quod ut perficeret, piiſſimæ etiam Conjugis, Edithæ Reginæ hortatu excitatus, & opibus adjutus eſt. Reliquias S. Innocentii Martyris (illius, ut conjectura eſt, qui in Legione Thebana militabat) a Rudolpho Rege Burgundiæ ſibi datas, in idem Monaſterium transferri juſſit, quod vigeſima tertia Septembris anno nongenteſimo trigeſimo ſeptimo, Ottonis Regis ſecundo, perfectum, S. Petro, S. Mauritio, & S. Innocentio dedicatum, & Sacræ Sedis Romanæ Tutelæ commiſſum eſt. Magdeburgum alio nomine Parthenopolis ſeu Civitas Virginis dictum eſt. In novo autem Monaſterio Anno, exinde Epiſcopus Wormatienſis, munus Abbatiale primus geſſit.

§. XXI.

Sæculum X.
A. C. 937.

§. XXI.

S. Wenceslaus.

Regi Ottoni sub ipsa regni auspicia adversus Boleslaum Sclavorum in Bohemia Ducem, Wenceslai Ducis fratris sui interfectorem, bellum gerendum fuit. Erant vero Boleslaus & Wenceslaus filii Wratislai, & nepotes Borivoji, qui omnium primus inter Duces Bohemiæ Christianam Religionem suscepit. Drahomira amborum mater in infidelitate permanserat, & Boleslaum educaverat. Econtra Wenceslai pueritiam Ludmilla avia piissima mulier Christiana rexerat; cum vero Wratislaus decessisset, relinquens pueros per ætatem regno necdum idoneos, Drahomira arreptis Bohemiæ habenis, & sublatis Christianæ Religionis Sacris diram persecutionem movit. Igitur Ludmilla, ut saltem Bohemiæ partem Christo lucraretur, Wenceslaum Ducem proclamari jussit, tuncque inter ipsum & fratrem Boleslaum regnum æquis partibus divisum. Erat Wenceslaus non Christianus modo, sed etiam piissimus vir, sub cujus præsidio Religio in provinciis ipsi subditis florebat; quod cum impatientissime ferret Drahomira, immissis Sicariis Ludmillam, Socrum suam, necari jussit, deinde SS. Martyribus adscriptam. Tum Boleslaus quoque excussurus imperium

Ditmar. l. 2. Sigeb. Chro. an. 938. vit. ap Sur. 28. Sept. Sup. l. LIII. §. 26.

Sæculum X. A. C. 937.

rium Regis Ottonis, cui Wenceslaus frater sanctissime fidem servabat, invidiæ, ambitioni, & Christianæ Religionis odio usque adeo non temperavit, ut fratris vitæ insidiaretur, quem sua manu trucidasse fertur. Quia vero vicinum quemdam Principem facinoris vindicem timebat, arma in eum movit, cumque ille ex Saxonia advocaret sibi auxilia, & ea Otto fœderato misisset, exorsus est adversus Boleslaum bellum, quod demum anno regni ipsius decimo quarto, seu Salutis reparatæ nongentesimo quinquagesimo extinctum. Wenceslaus vigesima octava Sept. colitur, quem nostra ætate nempe anno 1670. Clemens X. Sanctorum numero ritu solemni adscripsit.

Martyr. R. 28. Sept.

§. XXII.

Hungari in Francia. &c.

Witicq. l. 2. Hungaros in partem Saxoniæ, qua Occidentem spectat, irruentes Rex Otto fortiter depulit. At Franconiam, Allemanniam superiorem, Burgundiam, Galliam ad Oceanum usque depopulati sunt. Anno 937. in Franciam per Campaniam penetrantes, agros vastarunt, domos, Ecclesias, incenderunt, magna hominum multitudine in captivitatem abstracta. Aliquas tamen Ecclesias comburere nequibant, quas inter Ecclesiæ S. Macræ Fimesii, & S. Basilei, numerabantur.

Herm. Chr. 937. Id. in fi. Flod. an. 937.

bantur. Quidam etiam monachus Orbacenſis, a barbaris captus, nec eorum telis, nec gladiis ulla ratione vulnerari potuit; quæ Frodoardus prodigiorum inſtar refert. Ex Burgundia Hungari in Italiam commeantes Capuam usque Beneventum & Nolam pervenerunt, complures ſervos & vaſallos montis Caſſinenſis abſtraxerunt, quibus redimendis magna vis vaſorum argenteorum & veſtium holoſericarum, quarum rerum pretium centum quinquaginta aureos Bizantinos æquabat, impendenda fuit. Ecce vero, iidem barbari in regionem Marſorum, quæ hodie Italis *Abruzo* dicitur, irrumpentes & omnia vaſtantes armis excepti, ab illis populis & Pelignis, plerique cæſi ſunt, maxima ſpoliorum parte recepta.

Sæculum X. A. C. 940.

Chr. Caſſ. c. 55.

§. XXIII.

Artaldus Remis pulſus.

Artaldus Eccleſiæ ſuæ Remenſi annis octo & ſeptem menſibus præfuerat, cum Hugo Comes Pariſienſis, & Hebertus Comes Veromanduenſis, indignantes, quod fidem Ludovico Regi, quem unxerat, conſtantiſſime ſervaret, civitatem Remenſem, Wilhelmo Duce Normanniæ & quibusdam Franciæ & Burgundiæ Epiſcopis auxilia ferentibus, obſidione cinxerunt. Non plus ſex diebus tenuit

Flod. Chr. an. 940. hiſt. IV. c. 28.

Libell. Artald. to. 9. Conc. p. 628.

Sæculum X. A. C. 940.

tenuit labor, nam his elapsis Artaldus ab omnibus prope Vasallis desertus urbem seque dedere coactus est. Tum Comes Hebertus Remos ingressus Archiepiscopum ad Ecclesiam S. Remigii, præsentibus Proceribus & Episcopis, venire jubet, ubi tum hortatu, tum metu incusso eo adductus est, ut a Regimine Archiepiscopatus Remensis se abdicaret, reditibus Abbatiæ S. Basilei, item Avenacensis, contentus vivere vellet, & ad S. Basileum Sedem figeret. Tunc agebatur annus nongentesimus quadragesimus. Haud diu post Artaldus, sequentibus eum aliquot propinquis, quos Hebertus Beneficiis seu Feudis ad Ecclesias pertinentibus spoliaverat, ad Regem Ludovicum se recepit.

Anno sequente nongentesimo quadragesimo primo Comites Hugo & Hebertus, convocatis Episcopis provinciæ Remensis, Concilium Suessione in Ecclesia S. Crispini celebrari voluerunt, in quo decerneretur, cui administratio Archiepiscopatus esset committenda. Cumque Hildegarium Episcopum Bellovacensem, ab ipso Artaldo anno 933. ordinatum, ad eum in Palatio Regis Ludovici Lauduni diversantem, additis & aliis Legatis, misissent cum mandatis, quibus ad Concilium venire jubebatur, respondit, neutiquam ad eum conventum venire

Libell. Artald.

nire se posse, in quo ipsius inimici sede- Sæculum X.
rent. Ergo alium locum, in quo collo- A. C. 940.
querentur constituunt. Atque illuc delatus Artaldus, pedibus eorum advolutus per Dei amorem obtestabatur, ut sibi consilium & se ipso & tantis Principibus dignum suggererent. Illi urgere, ut consentiret, Hugonem (*) ordinari, polliciti, effecturos se, ut abdicanti aliqua Bonorum illius Archiepiscopatus pars concederetur. Sed Artaldus, diu cunctatus, ubi obstinatos in proposito vidit, de terra surgens constanti voce prohibuit, ne alium Archiepiscopum Remensem, nisi a Communione Fidelium ejici vellent, se vivo ordinare præsumerent. Quod si facerent, jam nunc se ad Sacram Sedem appellare. Mox his verbis concitatiores metuens, ut se ex eorum manibus liberaret, lenius loqui & rogare cœpit; mitterent secum e suis aliquem, ad eos relaturum, quod ipse cum Regina & Consultoribus Regis, nam ille aberat, statuisset. Principes abituro Deroldum Episcopum Ambianensem comitem adjungunt. At ubi Artaldus Lauduni apud Reginam & Proceres se- Concilium
curum se sensit, comminationem excom- Sueſſionense.
municationis & Appellationis ad Papam repetiit,

(*) Nempe Comitis Heberti filium.

Sæculum X. A. C. 940.

repetiit, ipsum Deroldum excommunicans, nisi ea, quæ hic audisset, optima fide referret.

Nihilominus Episcopi Principesque Concilii Suessionensis, quod constituerant, peregerunt. Ajebant, Artaldum, postquam addito juramento Episcopatum dimisisset, eum secundo recipere non posse. Juste conqueri Nobiles & Clericos hujus Diœcesis, quod Sedes tanto tempore vacaret. Tandem omnibus visum, ordinandum esse Archiepiscopum Remensem Hugonem Comitis Heberti filium, a Clericis & populo (nempe aliqua parte) expetitum, cui hæc Dignitas jam dudum fuisset destinata. Hugo tunc agebat ætatis annum circiter

Sup. §. 1. vigesimum, & per annos quindecim elapsos, ex quo electus fuerat, Antisiodori literarum studiis operam navaverat sub Guidone Episcopo, qui eum Diaconum ordinaverat. Guido vero Episcopus Suessionensis eundem tribus mensibus, postquam Remos rediisset, Presbyterum creavit. Posterior hic Guido erat Fulconis Comitis Andegavensis filius, Canonicus S. Martini Turonensis, & deinde anno nongentesimo trigesimo septimo Episcopus consecratus. Itaque secundum Decretum Concilii Suessio-

Fr. Chr. nensis Episcopi Remos commeantes Hugonem

gonem in Ecclesia S. Remigii Archiepiscopum ordinarunt. Sæculum X. A. C. 940.

Misit Hugo Romam, qui Pallium peterent a Stephano IX. Papa; nam Leo VII. anno 939. mortem oppetierat, postquam in Petri Cathedra annos tres & dimidium sedisset. Stephanum vero natione Germanum usque adeo aversati sunt Romani (*), ut crebris ictibus Pontificis vultum sacrilege deformaverint; unde ob inhonesta vulnera prodire in publicum deinceps noluit. Sacram Sedem tamen tribus annis & quatuor mensibus occupavit. Pallium Hugoni tanquam Archiepiscopo Remensi misit, & ejusdem Legati anno 942. cum quodam Episcopo nomine Damaso in Franciam venerunt. Is litteras Papæ deferebat ad Proceres Regni omnesque Francos & Burgundiones datas, quibus Regem Ludovicum suscipere jubebantur, & Delegatos Romam mittere, adjecta excommunicationis pœna, nisi ante Natale Domini, positis armis, Regi adhærerent. Hisce mandatis acceptis Episcopi provinciæ Remensis cum Heberto Comite deliberant, eumque rogant, ut Hugonem Comitem ad obediendum Regi, quo nullum potentiorem sentiebat Adversarium, exhortaretur.

Baron. ann. 940. Papebr. Conat.

Stephan. IX. Papa.

(*) Facinus dignum Italorum moribus!

Sæculum X.
A. C. 942.

§. XXIV.
S. Odonis Obitus.

Elog. Odon. n. 38. Sæc. V. Act. Ben. p. 141. Vit. per Jo. l. III. n. 7.

EOdem anno nongentesimo quadragesimo secundo Stephanus Papa S. Odonem Abbatem Cluniacensem, gratia componendæ pacis inter Hugonem Italiæ Regem & Albericum Patricium, Romam tertio accersivit, necdum enim erat bellorum finis. Sancto igitur Odoni Romæ versanti Albericus Monasterium S. Eliæ Subpentonienſe prope urbem Nepesinam dedit, ut collapsam disciplinam reduceret. Is illi Monasterio Abbatem præfecit quemdam ex Discipulis suis nomine Theodartum, qui cum monachos senes ab esu carnium alia ratione abstrahere non posset, pisces magnis sumptibus e vicinis regionibus afferri curabat. Sed ecce, ex aquis torrentis prope monasterium decidentis formatus est lacus, qui pisces monachis leviori impendio suppeditavit. Id prodigii loco habitum, & S. Odonis precibus in acceptis relatum.

n. 12. Romæ positus S. Odo febre acuta & continua corripitur, & ad extrema deducitur. Cum vero vehementi desiderio teneretur revisendi tumulum S. Martini, ut ibi vitam corporis finiret, ubi prima vitæ spiritualis fundamenta jecerat, per quietem ei conspicabilis formæ vir objicitur, dicens, instare quidem ultimam

timam ejus resolutionem, sed S. Martinum inducias impetrasse, quoad in patriam reverteretur. Nec fefellit eum visio; remisit vis morbi, viresque suffectæ, donec Turonem rediret, quo Sancti Episcopi Festivitate imminente pervenit. Illa vero singulari pietatis sensu celebrata, die exinde quarta rediit febris & ipse die, a Festo octava, decima octava Novembris, anno nongentesimo quadragesimo secundo, ætatis suæ sexagesimo quarto, ex quo Abbatis munus Cluniaci susceperat, decimo quinto, beato fine quievit. Ecclesia ipso obitus die ejusdem memoriam colit. Corpus in Ecclesia S. Juliani Turonensis conditum ab Archiepiscopo Theotilone, qui S. Odone piam operam conferente illud Cœnobium, a S. Gregorio Antecessore suo fundatum, & a Normannis destructum, reparaverat. Theotilo exinde triennio elapso, cum Lauduno, quo ad Regem Principes pacandos iter susceperat, rediret, vita functus, in eadem S. Juliani Ecclesia sepulchrum nactus est.

Sæculum X. A. C. 942.

Mart. Rom. 18. *Nov.*

Frod. Chr. 945.

Inter Monasteria a S. Odone reformata magis celebrata sunt sequentia. Auriliacense in Arvernia nuper a S. Geraldo extructum. Floriacense ad Ligerim, reformatum rogante Comite Elisiardo, qui postquam hanc Abbatiam a Rudolpho Rege Franciæ, ut eam S. Odoni daret,

Mabil. Elog. p. 138.

Sæculum X. A. C. 942.

ret, obtinuisset, eundem cum duobus aliis Comitibus duobusque Episcopis illo procedens vi adhita in possessionem immisit, veteribus monachis more militum armis suum Monasterium propugnantibus. Item Monasterium Sarlatense in agro Petrocoricensi, & Tutelense in Lemovicensi, postea in Ecclesiam Episcopalem evectum, S. Petri vivi apud Senonas, S. Juliani Turone, Romanense in Diœcesi Weldensi, & Carilocense in Matisconensi. Omnium harum Congregationum Abbas ipse agnoscebatur: sed in qualibet alium Abbatem tanquam suum Vicarium constituebat. In Italia S. Odo reformavit Monasterium S. Pauli Romæ, Supentonienſe, Salernitanum, S. Augustini Papiæ *, ubique eandem Disciplinam, quæ videlicet Cluniaci vigebat, inducens. Ceterum ipso Cluniacum regente innumeris prope donationibus Res Cluniacensium auctæ sunt; namque earum testes literæ hodieque centum octoginta in Tabulariis extant.

Monasteria reformata. *Suv. l. LIV. §. 22.*

* *Ticini.*

S. Odonis complura Scripta supersunt, Scientiæ ejus & pietatis eximia monumenta. Compendium in Libros Morales S. Gregorii in Job, Hymni & Antiphonæ de S. Martino, tres Libelli de Sacerdotio, exinde ejus *Occupationes* & hodie Collationes dicti. Abbas ordinatus, alia elucubravit, nempe in Libris quatuor

Mabil. Elog. n. 46. Sup. §. 4.

Bibl. Clun. p. 160.

tuor vitam S. Geraldi Comitis Aurilia- Sæculum X.
censis, Historiam de reversione corpo- A. C. 942.
ris S. Martini, rogatu Fulconis Boni, Comitis Andegavensis, scriptam, variosque Sermones in honorem ejusdem Sancti, quorum ultimus est de combustione Basilicæ S. Martini (nam illo tempore accidit) in quo probat, hanc rem nemini scandalo esse debere, nec idcirco Sancti Intercessionem in minore pretio habendam. Præterea Vita S. Gregorii Turonensis opus S. Odonis esse creditur.

In multis locis Scriptorum suorum 2. *Coll. c.* 28.
S. Odo, & præcipue in suis Collationibus lapsos Christianorum mores luget, impudicitiam, rapinam, manifestum Justitiæ contemptum. Præsertim deflet, quod permulti indigne ad Sacram Communionem accedant. *Olim*, inquit, *in Ecclesiæ primordiis istud Mysterium non tam frequenter celebrabatur; sed quo magis raro peragebatur, eo major erat in Christianis devotionis fervor.* Narrat, quod Reliquiis S. Walburgæ super Altare positis cessaverint miracula, & S. hanc Virginem cuidam ægrotanti conspicuam factam dixisse: *Ideo non sanaris, quia Reliquiæ meæ expositæ sunt super Altare, totum Divinis Mysteriis Sacrum.* Remotis inde Reliquiis, rursus patrata miracula. Ubi S. Odoni de Monachis sermo est, Apostatas appellat, qui alimenta & ve-

Sæculum X. A.C. 942.

stimenta a Regula præscripta spernunt, itemque vitium proprietatis damnat, sub prætextu aliquas res ad decorandam Ecclesiam quasi testamento relinquendi.

S. Odonis Successor & tertius Cluniaci Abbas fuit Aimardus, quem jam anno nongentesimo quadragesimo primo, priusquam ultimo Romam proficisceretur, eligi curaverat. Aimardus vir humili loco natus, sed clarissimis virtutibus splendens, & Disciplinæ Regularis studiosissimus, rem domesticam multum auxit, quod ex Chartis ducentis septuaginta octo in Archivo Cluniacensi servatis, & sub ipsius Regimine, quod annis sex absolvitur, datis dispicitur.

Elog. Sæc. 5. Act. Ben. p. 316.

§. XXV.

S. Gerardus Bronienſis.

Sancti Odonis ætate Disciplinam monasticam restituit in Gallia Belgica S. Gerardus Bronienſis, sub finem Sæculi IX. nobili prosapia apud Namurcum ortus. Pater ejus ab Haganone, quo charior Carolo Simplici nemo fuerat, genus ducebat. Mater vero Stephani Episcopi Tungrensis soror erat. Ipse juvenis in Palatio Berengarii Comitis Lomacensis versabatur; jamque illa ætate Ecclesiam Bronienſem collapsam in prædio suo restauravit, volens Monasterium fundare. Interim autem Clericos, qui Sacris operarentur, illi Ecclesiæ præfecit,

vit. Sæc. V. Act. Ben. p. 248.

cit. Tunc volvebatur annus nongentesimus octavus. A Comite Berengario ad Robertum Comitem Parisiensem, postea Regem, missus, cum in Abbatia S. Dionysii diversaretur, desiderium concepit mundum relinquendi. Quam licentiam reversus a Comite Berengario, & Stephano Episcopo, Avunculo & Pastore suo, qui eum a cunctis criminibus absolvit, impetravit. Ergo ad S. Dionysium redit, ubi voti compos factus, supplici-ter exposcere cœpit, ut sibi liceret literas addiscere, & fratribus admodum mirantibus vir jam dudum barbatus puerili-humilitate primis elementis incubuit. Intra paucos dies Psalterium edoctus, & non modicam deinde Sacrarum Scripturarum scientiam adeptus in obedientiæ quoque aliarumque virtutum via progrediebatur. Anno conversionis suæ secundo a Theodulpho Episcopo Parisiensi Acolythus, tertio Subdiaconus, quarto a Fulrado Theodulphi Successore Diaconus, & nono ab Adelhelmo Fulradi Successore Presbyter ordinatus est. Sæculum X. A. C. 942.

Decem annos in Monasterio S. Dionysii versatus, anno nongentesimo vigesimo nono egressus est, ut Monasterium suum Broniense stabiliret, Reliquias S. Eugenii Martyris ferens. Primo quidem Clerici Tungrenses & ipse Episcopus cultum hujus Sancti, sibi ignoti, recipere nolebant; *Bolan. ad Usuard. 18. Aug.*

Sæculum X. A. C. 942.

lebant; sed consensit tandem Episcopus, atque etiamnum S. Eugenii Translatio Bronii celebratur. Tunc ergo Gerardus, Clericis, quos immiserat, ejectis, Monachos advocavit, iisque aliquamdiu præfuit. Sed frequentiam populi non ferens Cellulæ prope Ecclesiam sese inclusit, ut liberius orationi vacaret.

Haud diu post jubente Episcopo Cameracensi, & instante Giselberto, Lotharingiæ Duce, Principe illa ætate potentia vix ulli secundo, Henrici Aucupis genero, S. Gerardus curam Monasterii S. Gisleni in Hanonia in se suscipere compellitur. In illud itaque Monasterium, tunc a quibusdam Clericis dissolutis, & avaritiæ mancipiis occupatum, his expulsis, Congregationem Cœnobitarum induxit, iisque ceu Abbas præfuit, non dimisso monasterii Bronienſis regimine. Arnulphus quoque Senior, Comes Flandriæ, cum crederet, se S. Viri precibus calculi doloribus liberatum, magna eidem dona obtulit, & tandem coegit, ad accipiendas Bonorum suorum decimas, quas in Monachos & pauperes spargeret. Præterea eodem Principe urgente omnium Cœnobiorum in ipsius Ditione positorum clavum arripere compulsus est.

Giselbertus Dux Lotharingiæ.

Gerardus inter alia Monasteria etiam Blandinienſe, seu S. Petri Gandavi reformavit, a S. Amando fundatum, quod annis

nis plus centum Clerici sæculares occupabant. Hos expulit ob efrenem vitæ licentiam, nulla habita ratione nobilissimi sanguinis, ex quo se ortos jactabant, & monachos disciplinæ regularis amantes induxit. Illi Clerici, furiose indignantes, vitæ Gerardi insidiantur, eumque in ipsa Ecclesia ad Altare Sacris operantem invadunt. Sed ecce, cum ad præsentissimum mortis periculum viderent impavidum, attonitis similes manibus temperarunt, quibus facillimus Sacerdos atrox quidem sed innoxium ausum ignovit. Hæc acta sunt anno nongentesimo quadragesimo primo, & brevi tempore monachorum numerus in illa Congregatione nimium quantum crevit. Annis exinde tribus elapsis Reliquias S. Wandregisili, S. Ansperti, & S. Wulframi, Normannis Franciam depopulantibus, Bononiam, civitatem maritimam, anno octingentesimo quinquagesimo octavo delatas, ad S. Petrum Gandavum referri curavit, & quamvis Wicfridus Episcopus Teruanensis huic Translationi obsisteret, tantum thesaurum in sua Diœcesi retinere cupiens, voluntati tamen Arnulphi Comitis cedendum fuit. Ceterum ad octodecim ferme Monasteria numerantur a Gerardo reformata, quorum præcipua sunt Cœnobia S. Petri & S. Bavonis Gandavi, S. Martini Tor-

Sæculum X. A. C. 942.

Hist. Transl. Sæc. V. Ben. p. 200.

Mabill. obs. n. 6. p. 250.

Sæculum X. A. C. 942.

Tornaci, Marchianenſe, Attrebatenſe S. Vedaſti, S. Richarii, S. Bertini, S. Audomari, & S. Amandi. Aliunde autem conſtat, eum Monaſteriis S. Remigii Remis, & Moſomenſi præfuiſſe. Sub finem vitæ Gerardus in omnibus his Monaſteriis Abbatibus, vel aliis Præpoſitis, conſtitutis, Bronium ſe recepit, ut illius Congregationis Regimini totum ſe daret; ibique tandem e vivis abiit anno nongenteſimo quinquageſimo nono, tertia Octobris, qua die Eccleſia ejus memoriam colit.

Mart. Rom. 3. Oct.

§. XXVI.

S. Joannes Gorzienſis.

vit. n. 9. p. 368.

Sed & alius Monachus, nomine Joannes, poſtea Abbas Gorzienſis, illud ævum illuſtravit. Is natus in Territorio partim Metenſi, partim Tullenſi Villa olim Regia, vocabulo Vinderia, ubi adolevit, Grammaticæ, Sacræ Scripturæ, Legibus civilibus & Eccleſiaſticis operam dedit. Cum deinde ſe totum Deo dicaſſet, omnia totius vitæ peccata ſua confeſſus eſt, & pœnitentiam recepit ſibi injunctam ab Humberto Recluſo Virdunenſi, viro virtutis & ſcientiæ opinione clariſſimo. Exinde Joannes noſter carnes nunquam manducavit, & ſummo rigore jejunavit. Sub illud tempus fama ad eum pervenit cujusdam Anachoretæ, nomine Lamberti, in

Lambertus Eremicola.

Silva

Silva Argonnensi degentis, statimque se ad eum conferre constituit, ardentissimo vitæ eremiticæ desiderio ductus. At Lambertus vir erat rusticus & rudis, qui maximam pietatem in eo sitam existimabat, si corpus suum durissimo & non nunquam irrationabili labore attereret, cetera a communi vitæ ratione usque adeo abhorrens, ut eum conspicientes risum satis tenere non possent. Tegendi corporis, etiam circa illas partes, quas verecundia innata conspici vetat, ei cura postrema. Modium integrum farinæ in unum plerumque panem redigebat, qui mensem aut certe duos ei sufficeret, indeque quotidie sibi particulam ad pondus ob duritiam securi sibi effringebat. Sæpe post bidui triduive jejunium, quando vires corporis deficiebant, non diei, non noctis ullum tempus in reficiendo servabat. Subito quolibet mentis impulsu ex eremo se proripiens villas & civitates intrabat, itemque repente cellula se condebat. Non nunquam noctis medio, non nunquam vesperi, aut sub lucis repusculo Missas exordiebatur. Sæculum X. A. C. 942.

Joannes Vinderiensis nihilominus cum eo aliquamdiu est commoratus, postquam cellulam sibi ad habitandum compegisset, quo divertentes complures incolæ ex vicina civitate Virdunensi ejus sermo-

Sæculum X. A. C. 942.

sermonibus ad amorem Dei accendebantur. Tum communicato cum iis consilio, & id ipsum suadente Humberto, in sulsum fratrem reliquit, & profectione suscepta Romam ad Beatorum Apostolorum memoriam commeavit, usque ad montem Garganum pervenit, transiens montem Cassinum conscendit, & Monasteria civitati Neapolitanæ adjacentia adiit. Inde reversus quia locus aut Congregatio sibi apta non occurrebat, in propriis ædibus monachi vitam ducere cœpit, in vigiliis, orationibus & jejuniis noctes diesque conjungens. Humberto deinde conciliante amicitiam Einoldi seu Eginoldi quæsivit, qui & ipse vitam monachorum more instituebat. Is enim antea Ecclesiæ Tullensis Primicerius & deinde Archidiaconus, omnibus rebus suis in pauperes sparsis, aliquamdiu in cellula se continuerat. Tandem cum septem viri ejusdem propositi convenissent, in Italiam commigrare constituunt, ubi ad monasticæ perfectionis culmen contenderent, de labore manuum suarum viventes, in fertilissimis regionibus, sed desertis, quas Joannes circa Beneventum conspexerat. Verum cum istud eorum consilium ad notitiam Adalberonis Episcopi Metensis perveniisset, ipsis Abbatiam Gorziensem a Normannis vastatam concessit. Ergo illi hoc monasterium anno non-

nongenteſimo trigeſimo tertio ingreſſi, Einoldum Abbatem & Joannem Cellerarium elegerunt. Sæculum X. A. C. 942.

Huic officio maxime idoneus erat Joannes rei œconomicæ, præſertim ruſticæ, peritiſſimus. Unde in ipſis principiis, cum Abbas Einoldus credito ſibi regimine vehementer angeretur, accedens Joannes inquit: *Ego te hoc faſce levabo. Tu interioribus tantum, ut cupis, animum intende.* Ceterum Joannes, quamvis eorum, quæ ſibi facienda proponebat, natura eſſet tenaciſſimus, nihilominus promptiſſime obediebat, quidquid Abbas imperans ſemel ore emiſiſſet, qui Joannis obedientiam diverſis mutationibus probavit. Quippe jam Præpoſitum monaſterii conſtituit, tum mutato conſilio compulit, ut abdicata Præpoſitura Decanus eſſet, rurſusque Cellerarii officio fungi juſſit, nunc veſtiario præfecit, nunc hoſpitum & infirmorum curam gerere præcepit. Ipſe vero exactiſſimam rationem omnium expenſarum ad ultimum etiam obolum reddebat, etiamſi id Abbas, de ejus fide ſecurus, non peteret. *vit. Joa. Gorz. n. 72.* Monaſterium Gorzienſe.

Præter illa, quæ ante converſionem literis incumbens didicerat, in hoc monaſterio multa legit; & primo quidem Moralia S. Gregorii, quæ ſæpius ab initio usque ad finem pervolvit, unde omnes ferme ipſius Sermones ex iis excerptos vide- *n. 83.*

Sæculum X. A. C. 942.

videmus. Legit etiam quæcunque ei ad manus venerunt de Operibus S. Auguſtini, S. Ambroſii, S. Hieronymi, aliorumque Patrum. Sed nempe illa ætate, qua viluerant literæ, difficile erat libros invenire. Legit quoque totos Tractatus S. Auguſtini in S. Joannem, in Pſalmos, & de Civitate Dei. Tandem in Libris de Trinitate multa contentione ſudavit, & occaſione eorum, quæ in iis de Relatione Divinarum Perſonarum dicuntur, Prædicamentis, Introductioni Porphyrii & toti Dialecticæ ſtudere cœpit; in quibus cum diu multumque fuiſſet luctatus, Einoldus Abbas, quanto labore ea conſtarent expertus, & nolens eum in his rebus fruſtra bonas horas perdere, medios conatus præcidit, diſtricte prohibens, ne amplius his vacaret, ſed potius animum Sacræ Scripturæ lectione occuparet. Itaque converſus ad Sacras literas, & ſe totum iis tradens, S. Gregorium in Ezechielem manibus trivit, nam quæcunque erant S. hujus Doctoris, præ ceteris amplectebatur. Vitas Patrum eo animo, ut ipſos imitaretur, legebat, & S. Joannis Eleemoſinarii ferme totam memoriæ commendatam tenebat, quin tamen aliquid ex rebus externis remitteret.

n. 86. Cum officii ſui cauſa ad converſandum cum Sæcularibus teneretur, querebatur, ſe

se nunquam Sæcularium colloquio ita interesse, quin aliquid de consueto sibi modo vivendi deperderet, & prandia, quæ ipsis parari honestas posceret, magno impendio monasterio stare. Tanta solicitudine rem familiarem curabat, ut a quibusdam avaritiæ argueretur, quamvis ad eam augendam nulla unquam arte illicita uteretur. Diu in pane & aqua quotidie jejunavit. Sed videns Abbas, quod tantus rigor ejus valetudinem pessumdaret, præcepit, ut non nisi bis in anno jejunaret, nempe in Quadragesima, & illo tempore, quod Festum Nativitatis Domini præcedebat; quod vero jejunium decima tertia Septembris inchoabatur. Præter Abbatiam Gorziensem Adalbero Episcopus etiam Monasteria S. Clementis & S. Anulphi in civitate Metensi reformavit.

Sæculum X. A.C. 943.

n. 92.

§. XXVII.

Ecclesia Normanniæ.

Necdum Religio Christiana in Normannorum animis ita locum invenerat, ut nulli inter ipsos Pagani darentur. Duce eorum Guilielmo, cui longus gladius cognomentum dedit, ab Arnulpho Flandriæ Comite per insidias interfecto anno 943. Hugo Magnus (*), Dux Franciæ, sæpe

Frod. Chr. 943.

(*) Idem sine dubio, qui Comes Parisiensis dictus.

Sæculum X. A. C. 943.

pe cum Normannis Franciam laceſſentibus, aut ad infidelitatem revertentibus, conflixit, magna aliquando pedeſtris agminis ſui clade. Civitatem tamen Ebroicenſem, Paganis ringentibus, a Chriſtianis civibus adjutus cepit. Interim Rex Franciæ Ludovicus Transmarinus Rotomagum verſus ducto exercitu pugnam iniit cum Tormundo Normanno Apoſtata, qui ceteros, ipſumque Richardum juvenem Guilielmi filium ad Idololatriam reducere conabatur, & in caput Regis Franciæ cum quodam alio Rege infideli, nomine Setrico, conjuraverat. Sed prœlio victi ſunt, & Tormundus vita exutus. Ceterum Archiepiſcopus Rotomagenſis Rem Chriſtianam non promovebat. Erat is Hugo, S. Dionyſii monachus, quem Dux Guilielmus inſigni Eccleſiæ præfecerat anno 942. virum quidem natalibus illuſtriſſimum, ſed qui non ſine Monaſtici Ordinis ingenti probro libidini usque adeo indulſit, ut ei nefandæ pellices ex Sacrilega ſtupri conſuetudine communes liberos non paucos pepererint. Præterea Bona Eccleſiæ ſuæ peſſumdedit, & Rudolpho fratri ſuo, viro potentiſſimo, agros maximi pretii ad Eccleſiam Archiepiſcopalem pertinentes donavit. Sedem vero Rotomagenſem annis quadraginta ſeptem tenuit, nec ante annum nongenteſimum

Order. lib. 5. c. 43.
Act. Arch. Roth. to. 2. Anal. p. 437.

simum octogesimum nonum e vita mi- Sæculum X.
gravit. A. C. 943.

§. XXVIII.

S. Odo Cantuariensis.

In Anglia Plegmundo Archiepiscopo Cantuariensi, postquam illam Ecclesiam rexisset annis triginta quatuor, circa annum nongentesimum vigesimum secundum fatis functo, successit Athelmus, qui annis tribus sedit. Athelmo suffectus est anno 925. Wulfelmus, & huic iterum anno 925. S. Ode seu Odo. Is patrem habebat virum nobilem ex gente Danorum in Anglia degentem, qui cum deprehendisset, filium in Religionem Christianorum propenso esse animo, eum ab invisis sibi Sacris abstrahere totis viribus conabatur, nec ferre poterat, si vel JEsu Christi nomen pronunciantem audiebat. Nihilominus Odo Adolescens Ecclesias frequentabat, & doctrinam in iis perceptam domum reversus referebat. Quare Pater affectu genitoris abjecto, eum exhæredem esse editis literis voluit. Tunc vero Odo gaudens, quod propter Deum spes resque suas in hac vita amitteret, relictis parentibus, translatus in domum Athelmi, qui in Regia Alfredi inter potentissimos piissimosque Proceres versabatur, eidem obsequia suæ ætati congrua præstabat.

Sup. l. LIV. §. 8. Act. SS. Ben. Sæc. 5. p. 40. vit. ib. p. 288.

Sæculum X. A. C. 943.

Athelmus, Odonis optima indole cognita, paterno amore susceptum Magistris tradidit, liberalibus literis imbuendum, & omnibus subsidiis necessariis adjuvit. Ipse postea baptizatus Tonsuram Clericalem ceterosque Ordines usque ad Subdiaconatum accepit, in quo gradu ob minorem ætatem aliquot annis ministravit. Postquam autem Presbyter ordinatus est, maximam sibi venerationem apud Athelmum Ducem aliosque Optimates conciliavit, iisque & a Confessionibus & a consiliis fuit.

Odo Athelmum Ducem Romam proficiscentem comitatus, eundem ægrotantem sanavit, propinato vino, super quod signum Crucis formaverat. Athelmo Duce deinde & Rege Alfredo defunctis, magno in pretio fuit Regi Eduardo, Athelmi filio, rursusque Edelstano Eduardi filio, qui Episcopatum Sarisburiensem, eligentibus Clericis populoque, Odoni repugnanti contulit, eumque Wulfelmus, tunc Archiepiscopus Cantuariensis, lætitia exultans consecravit. Cum Edelstanus anno 938. regni sui decimo quarto contra Infideles pugnans insignem victoriam consecutus esset, eam Odonis precibus a cœlo sibi impetratam credidit. Exinde vero annis tribus elapsis nempe anno 941. defunctus est, successitque Edmundus frater, non minori honore

nore quam Anteceſſores ſui Odonem Epiſcopum proſecutus. Brevi poſt tempore, Wulfelmo Archiepiſcopo Cantuarienſi fatis functo, cum Rex Odoni ſuaderet, ut mortui Cathedram conſcenderet, renuit ille, auctoritatem Canonum obtendens, qui Epiſcopum a Sede ſua ad aliam transferri prohiberent. AjebatRex; S. Petrum e Sede Antiochena ad Romanam fuiſſe translatum, & plura exempla aliorum (quos vero non nominabat) in hiſtoria ſuppeditari. Tandem in ipſa Anglia S. Mellitum e Sede Londinenſi, & S. Juſtum e Roffenſi ad Sedem Cantuarienſem tranſiiſſe. Odo autem & aliud attulit impedimentum; *Omnes*, inquiebat, *qui ex illo tempore, quo Angli ad Fidem converſi ſunt, Sedem Cantuarienſem tenuerunt, Monachi erant. Nolo antiquiſſimam & ſanctiſſimam conſuetudinem violare, præſertim cum & ego jam diu profeſſionem monaſticam amplecti deſiderem.* Rex, dilaudata Odonis pietate & animi humilitate, illico ad Monaſterium Floriacenſe ad Ligerim amnem, tunc Regularis Obſervantiæ fama celeberrimum, cum in Anglia Diſciplinam paulatim collabi multi dolerent, mittit, qui Monachos accirent. Venit vero ipſe Abbas Floriacenſis, Odoni habitum S. Benedicti afferens, quo recepto, Sedem Cantuarienſem anno cir-

Sæculum X. A. C. 943.

Reges Angliæ.

Sæculum X. A.C. 943.

citer nongenteſimo quadrageſimo ſecundo adiit.

S. Odo poſt breve exinde temporis ſpatium ad ſolatium Regis Edmundi, & Doctrinam populi Conſtitutiones edidit in decem Articulos diviſas. Jubet Eccleſias eſſe immunes, & ab omni tributorum genere liberas. Deſignat officia Regum & Optimatum, præſertim obedientiam Epiſcopis præſtandam. Item officia Epiſcoporum, & in primis onus totam Diœceſim ſingulis annis viſitandi. Præterea officia Presbyterorum, Clericorum & Monachorum indicat, quibus ultimis ſtabilitatem & laborem manuum commendat. Reliqua ad omnem populum diriguntur. Supereſt etiam una epiſtola Synodalis ad ipſius Suffraganeos data, quæ ſub idem tempus ſcripta videtur.

tom. 9. Conc. p. 609.

c. 1.

c. 2.

c. 3.

c. 4. 5.

c. 6.

Rex Edmundus quoque Leges condidit, quarum plures ad Religionem ſpectant. Clericis præcipit continentiam ſervare, adjecta pœna, ut incontinentes vivi bonis ſuis temporalibus & mortui ſepultura priventur. Onus fabricam Eccleſiæ reparandi Epiſcopis imponit, & ad Eccleſiam confugientibus aſylum promittit. Nempe cædes & latrocinia tam in Anglia, quam in Francia erant frequentiſſima, quod ex his ipſis legibus diſpicimus.

ibid. p. 612.

c. 1.

c. 5.

p. 616.

§. XXIX.

§. XXIX.

Sæculum X.
A. C. 943.

S. Dunstani initia.

Cum fama Dunstani Abbatis merita ad Regis Edmundi aures detulisset, eumque ad Regiam accersivisset, viri consilio in rebus difficilibus usurus, post breve tempus susurrationibus quorumdam improborum excitatus eum e Regia expulit. Vix biduum effluxerat, cumque Rex venatum in Sylvas exivisset, nihil propius fuit, quam ut in præcipitium rueret. Tunc sentiens, id sibi in pœnam illatæ S. Viro injuriæ accidisse, promisit Deo, se revocaturum Dunstanum; & subito ereptus est illi periculo. Ergo iterum ad se accito amicitiam jurat æternam, eique agros Glastonienses seu *Glastembury* in Regione Saxoniæ Occidentalis hodie in Comitatu Sommersetensi positos donavit. Erat ibi antiquissimum Monasterium prope locum, in quo Dunstanus anno primo regni Edelstani, nempe anno 924. in lucem editus fuit. Parentes ejus ex nobilissima illius gentis prosapia oriundi puerum quibusdam Hibernis in illa domo Glastenburiensi habitantibus, & adolescentes instruentibus, educandum tradiderunt; nulli enim amplius aderant Monachi, sed Reges fundos, ex quibus alendi fuissent, usurpaverant. Dunstanus, primis ibi literarum rudi-

vit. Dunst. n. 18. Act. Ben. Sæc. V. p. 669.

Monast. Angl. tom. 1. p. 1. vit. 3. p. 660. & ap. Boll. 19. Maji. to. 7. p. 344.

Sæculum X. A. C. 943.

mentis positis, ordinibus minoribus initiatus Cantuariam ad Athelmum Archiepiscopum, patruum suum, se contulit, qui Regi Edelstano commendatum, eidem ab obsequiis esse jussit. Cumque in omnibus artibus illam ætatem decentibus excelleret, æmulorum invidia apud Regem accusatur, quod magiam infamem didicisset, & dæmones sibi familiares haberet. Atrocis suspicionis argumentum fuisse ferunt, quod, cum aliquando Dunstanus citharam suam contra parietem suspendisset, illa sola, nemine manum admovente, amœnissimos sonos edidisset, & antiphonam cecinisset.

Ergo Dunstanus, non expectata missione, e Regia discedens, ad Elfegium Episcopum Wintonienſem, propinquum suum, se recepit, qui eum ad amplectendum vitam monasticam hortatus est. Sed aliquamdiu repugnavit juvenis, quod crederet, nuptias sibi magis expedire. Verum morbo postea tentatus & ad extremum vitæ periculum deductus mentem mutavit. Ergo cum convaluisset, habitum Monasticum accepit de manibus Episcopi, qui eum deinde servatis canonicis Interstitiis ordinavit, & in Titulum Ecclesiam Dominæ nostræ beatissimæ Virginis Glastenburiensis dedit. Namque Monachi, sicut ceteri, sine Titulo non ordinabantur. Postquam aliquamdiu

Mabill. hic p. 655.

diu sub disciplina Elfegi Episcopi adver- Sæculum X.
sus illecebras hujus Sæculi animum ro- A. C. 943.
borasset, Glastemburiam ad Ecclesiam Tituli sui reversus in loco proximo cellulam seu potius caveam sibi compegit, a sepulchro non multum abhorrentem, quinque pedes longam, duos & dimidium latam, & in altum non plus eductam, quam ut vir erecto corpore intus stare posset. Totum latus ex una parte explebat ostiolum, in quod per exigua foramina lux incidens, labore manuum occupatum, dirigebat. Jejunabat, orabatque assidue; unde tantus vitæ rigor brevi magnam hominum multitudinem ad eum invisendum attraxit, qui deinde præclaram omnibus viri sanctitatem commendabant.

Utroque parente orbatus, solus magnarum opum hæres (nam & in Anglia sicut in aliis provinciis Monachi ab hæreditatis jure non excludebantur) Ecclesiæ Glastemburiensi fundos proximos, quorum ipse dominus erat, donavit, atque in reliquo ampliſſimo patrimonio diversis locis quinque monasteria fundavit, quibus Congregationes magnæ suam originem in acceptis retulerunt. Cum deinde Rex Edelstanus omnia, quæ Glastemburiæ ad ejus dominium pertinuerant, S. Dunstano donasset, paucos post dies ibidem majoris Ecclesiæ fundamen-

Sæculum X. A. C. 943.

ta jecit, atque ædes monachis necessarias construere cœpit. Omnibus perfectis, plurimos congregavit monachos, & ipse primus illius loci Abbas fratres ad altissimum perfectionis culmen perduxit. Nam pietas & Sanctitas illorum monachorum ita conspicua evasit, ut inde postea plurimi Episcopali Abbatialive Dignitate exornandi evocarentur, ideoque S. Dunstanus præcipuus in tota Anglia Religionis Restaurator merito fuerit deprædicatus.

§. XXX.

Imago prodigiosa Edessena.

Post. Theo. p. 268. n. 48. Gr. ap. Combef. Sur. 6. Aug.

In Oriente Imperator Romanus Lecapenus prodigiosam JEsu Christi imaginem, quæ Edessæ servabatur, tolli & Constantinopolim afferri jussit. Porro qualem traditionem de hac imagine Græci veram esse crediderint, cognoscimus ex Sermone Imperatoris Constantini Porphyrogeniti, qui rem istam narrat in hunc modum: Abgaro Edessæ Domino servus erat, nomine Ananias, qui in Ægyptum pergens & per Palæstinam iter faciens cum JEsum Christum prædicantem audivisset, vidisset que miracula, obstupuit, & in reditu in Salvatoris gesta diligentius inquisivit, quod speraret, Dominum suum podagra & elephantia laborantem ipsius ope sanari posse. Postquam

quam rem inauditam ad Herum detulisset; is data ad JEsum Christum epistola rogat, ut ad se diverteret in civitatem Edessenam, certum refugium contra perfidorum Judæorum insidias futuram. Hanc epistolam Ananiæ fidei commisit Viro Sancto reddendam, cumque pictorem esse sciret, adjecit mandatum; si adducere ipsum non posset, saltem vultus speciem depictam afferret. Ubi Ananias in Judæam pervenit, JEsum quidem vidit, sed tanta populi multitudine circumstante, ut ejus lateri propius admoveri nequiret. Ergo in saxo eminente considens JEsu Christi faciem penicillo in chartam transferri incipit. Tunc vero JEsus cognoscens in Spiritu, quid ageretur, misso ad Ananiam S. Thoma, ad se venire jubet, eique, epistola Abgari non inspecta, itineris sui causam exponit. Tum scripta ad Abgarum Responsoria, promittit, se unum ex Discipulis suis ad eum missurum, qui ipsum sanitati restitueret. Sæculum X. A. C. 943.

Cum autem JEsus, tradita Ananiæ epistola, videret, de altera quoque Heri sui mandato solicitum, aqua faciem lavit, linteo, cui statim Sacri vultus speciem impressa est, (*) absterſit, & Ananiæ

(*) Quamvis factum illud, quod JEsus Chri-

stus

Sæculum X. A. C. 943.

niæ dedit. Ille domum remeans, cum Hierapolim perveniſſet, extra civitatem diverſorium ſibi delegit, & linteum ſub laterum recens coctorum acervo abſcondit. At ecce, circa medium noctis ibidem ignis tam late fulgere conſpectus eſt, ut tota civitas contiñenti incendio ardere crederetur. Pavidi incolæ deprehenſum Ananiam fateri cogunt, quid deferret, atque in uno latere, qui linteum contigerat, ſimile Simulacrum expreſſum apparet, quod ab ipſis retentum, Hierapoli adhucdum viſebatur. Ananias vero, iter ſuum proſecutus, Edeſſam & epiſtolam & imaginem attulit. Ceterum hujus Iconis origo etiam alio modo narrabatur. Quippe JEſu, antequam pateretur, ſanguinem ſudanti aliquis ex Diſcipulis ſindonem porrexiſſe ferebatur, quæ, JEſu Chriſto ſudorem abſter-

ſtus epiſtolam manu propria ad Abgarum exaraverit, minus credibile videatur, quod nullum apud Evangeliſtas, aut alibi, appareat indicium, Dominum noſtrum quidquam ſcripſiſſe, niſi quando mulierem in adulterio deprehenſam abſolvit; dicit enim S. Joan. cap. 8. *JEſus autem inclinans ſe deorſum digito ſcribebat in terra*, nihilominus alterum, quod Chriſtus Sacri vultus effigiem Sindoni impreſſerit, majorem veriſimilitudinem habet, quod nihil involvat inconveniens, & plurima miracula a JEſu Chriſto patrata literis mandata non fuerint.

Sæculum X. A. C. 943.

abstergente, Sacri vultus effigiem recepisset. Hanc Dominum S. Thomæ servandam tradidisse, a quo acceptam Thadeus Edessam detulisset. Erant enim, qui affirmabant, JEsum S. Thadeo in mandatis reliquisse, ut hanc imaginem Edessam deferret ipsumque, cum eo advenisset, Abgarum increbrescente miraculorum fama fuisse admonitum. Ceterum, Apostolus in Abgari conspectum procedens Iconem gerebat e fronte suo dependentem, unde lucis radii, quos humanorum oculorum acies vix ferre poterat, emicabant. Abgarus fulgore excitatus cubili se proripit, obviam celeri cursu se infert, morbi oblitus. Tum Sanctam imaginem, manibus apprehensam, capiti suo, labiis, oculis toti corpori devote admovens sanitatem recuperat, excepta modica lepræ macula, quæ in fronte remansit. Sed & illa, postquam sacro fonte ablutus est, disparuit. Supra portam Edessenæ civitatis eminens Idolum conspiciebatur, quam cuncti subeuntes adorare compellebantur. Hac porro sublata, Abgarus Sacram imaginem substituit tabulæ ligneæ adglutinatam & auro ornatam, ubi ipso filioque ejus regni clavum tenentibus maxima veneratione culta est. Sed nepos Abgari ad vomitum, nempe Idololatriam, reversus, Sacram iconem deleri & idolum

JEsu Christi Effigies.

Sæculum X. A. C. 944.

lum restitui jussit. Nihilominus pretiosam imaginem servavit pia industria Episcopi, qui in illo loculamento lucernam posuit laterculo tectam, murumque obduci & æquali superficie continuari curavit. Ita hæc Effigies pluribus sæculis, omnibus occulta, superstes mansit.

Sup. Lib. XXXIII. §. 8.

Annis post Abgari ætatem circiter quingentis Cosroes Rex Persarum Edessam obsedit. Jamque deditionem faciendam cogitabant omnes, cum Episcopo, cui nomen Eulalius, supereſſe imaginem miraculis claram, & locus, in quo recondita esset, revelatur. Is invenit lampadem adhuc ardentem, & super laterem, qui proximus imagini adjacuerat, aliam priori simillimam impressam. Illo vero oleo, quod residuum erat, cuniculariі & machinæ obsidentium combustæ; tum allata effigies ignes, quos Persæ in urbem jaculabantur, in ipsos retorsit, & Cosroes obsidionem solvere coactus. Haud diu post Dæmon ejusdem Principis filiam insedit, edixitque, non exiturum se ex hoc domicilio, nisi Imago Edessena adveheretur. Proinde cum Cosroes ad urbis Præfectum & Episcopum literas dedisset, suspicati, dolum subesse posse, servata vera imagine aliam ectypam miserunt; vixque eam deferentes Persiæ fines contigerant, cum Caco-

Cacodæmon promisit, abiturum se ex puellæ corpore, si icon ad suos reportaretur. Itaque Cosroes additis pretiosis donis eam remisit. Evagrius quoque, Hist. Scriptor, Cosroi coævus, Edessam ope imaginis prodigiosæ ab obsidione liberatam affirmat, & primus omnium hujus Iconis mentionem facit. Postquam autem Constantinus Imperator ejusdem Iconis originem & inventionem ita retulit, ad ea transit, quæ ipsius ætate annis post Cosroem seniorem quadringentis acciderant, & dicit:

Sæculum X. A.C. 944.

Evagr. IV. hist. c. 27.

Romanus Lecapenus Imperator, vehementi desiderio accensus Sanctam Imaginem Constantinopoli habendi, in qua civitate tot alia cimelia servarentut, sæpius missis Edessam Legatis imaginem & Epistolam Salvatoris nostri sibi expetierat, loco pretii ducentos Saracenos a Græcis captos, & præterea duodecim millia solidorum argenteorum offerens.

Imago Edessena Constantinopoli.

Tandem vero anno Mundi sexies millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, seu Salutis nongentesimo quadragesimo quarto, *Emir* Edessenus misit, qui responderent; sibi has conditiones placere, si præterea Bulla aurea adderetur, qua Imperator fidem daret, Romanos quatuor urbes Roham, Carros, Saroziam, & Samosatam nunquam oppugnatu-

Sæculum X. A. C. 944.

gnaturos, aut earum ditiones depopulaturos.

Misit itaque Imperator Abraham Episcopum Samosatenum, qui Sacram imaginem & Epistolam reciperet; isque, ne in hoc negotio falli posset, tam imaginem prodigiosam quam duas ectypas abstulit, nimirum illam, quæ in Persiam mittenda depicta fuerat, & aliam, quæ in Ecclesia Nestorianorum colebatur. Sed duæ aliæ solo reservato prototypo postea remissæ sunt. Christiani quidem Edessæni tumultum ciere cœperant, impatientissime ferentes eripi sibi tantum thesaurum, sanctius civitatis suæ Palladium; quos Saracenorum Emir nolentes volentes ad pacta implenda compulit.

Elmac. lib. III. c. 2. p. 213.

In Historia quoque Orientali eadem translatio memoratur; scilicet, cum Romani hanc imaginem sibi dari postulassent, cives Rohæ (hoc nomine ipsis Edessa venit) scriptis ad Califam *Moctafi*, illa tempestate imperantem, literis obtinuisse, ut mandata ad Vizirium mitteret, quibus omnes Judices & Præpositi convenire & hac super re deliberare jubebantur. Aliquos existimasse, probrosum Musulmannis fore, hanc imaginem reddere Romanis, contra contendisse alios, gloriæ sibi cedere levissimo pretio Musulmannos captivos redimere. Et hanc sententiam vicisse.

Con-

Sæculum X. A. C. 944.

Constantinus Imperator deinde refert, quibus adjunctis Sacra imago Constantinopolim delata fuerit. Nempe decima quarta Augusti anno 944. in Ecclesia Dominæ Nostræ in Blachernis, Imperatore ibidem Festum Assumptionis celebrante, primo deposita est. Altera die solemni pompa ad Sanctam Sophiam translata, & tandem in Ecclesia Phari, quæ in Palatio præcipua erat, collocata. Permulta etiam miracula tam in itinere quam Constantinopoli in illa translatione patrata recenset. Et hæc est Summa Sermonis, qui Constantino Porphyrogenito tribuitur; Ecclesia vero Græca Festum hujus Translationis eadem die decima sexta Augusti celebrat.

Cang. C. P. lib. IV. 6. n. 37.

§. XXXI.

Simeon Metaphrastes.

Hac ætate occurrit Simeon Metaphrastes, conscriptis vitis Sanctorum celeberrimus. Is Constantinopoli illustri familia natus & magna suorum cura educatus, in liberalibus disciplinis egregie profecit. Maturiore ætate ad præcipua in Palatio munera promotus, Officiorum Magister, tum Logotheta, seu summus ærarii Præfectus, fuit, & in gravissimis Reipublicæ negotiis adhibitus. Circa annum 900. juvenis Hirmerium, virum bello clarum, regnante Leone Phi-

Boll. præf. gen. to. I. c. I. 6. 3. Psell. ap. Allat. de Simeon. Item ap. Sur. 27. Nov. ap. Sur. 10. Nov.

Sæculum X. A. C. 944.

Philosopho in Cretam Insulam profi-
ciscentem, secutus fuerat, in quo itine-
re vitam S. Theoctisti Lesbiensis, vitæ
S. Mariæ Ægyptiacæ perquam similem,
didicit, referente quodam monacho, cui
etiam Simeon nomen erat. Is Metaphra-
stem rogavit, ut Theoctisti vitam literis
mandaret, eidem non nulla futura prædi-
xit, atque veracem fuisse eventus docuit.

Hoc Metaphrasti vitas Sanctorum scribendi initium fuit.

Postea tot Sanctorum vitas, quot-
quot posset, colligere aggressus est, ipso
Imperatore, verisimiliter Constantino
Porphyrogenito, hortante. Nihil vero
eorum, quæ ad istud institutum neces-
saria videbantur, Metaphrasti deerat, vi-
delicet possidebat magnas opes, quibus
& libros compararet, & amanuensibus
amplam mercedem daret. Verum non
satis ei fuit vitas colligere, easque, ut
erant, genuinas luce publica donare, sed
formam & stilum mutavit, quod nimium
simplex humilisque ei videretur, & di-
verteret a genio Sæculi sui, non quod
verum erat & naturæ consentaneum, sed
quod tumidum & prodigiosum, magni
æstimantis. Itaque Acta Martyrum re-
ferens, non ea, ut scripta ab initio
fuere, simpliciter reddit, sed jam a-
liqua detrahit, jam aliqua addit. San-
ctos non ea loquentes inducit, quæ
ipsi

ipsi omnino protulerunt, sed talia, quæ ipso Judice, ab eis dicenda fuissent; aliqua vero gravis momenti omittit. Hæc diversitas observari potest in compluribus Actis, quorum prototypa nostra ætate inventa fuere. His Acta Martyrum Tharaci Probi & Andronici annumeranda.

Sæculum X. A. C. 944.

ap. Sur. 12. Oct. Ruinar. Act. Sinc. Sup. Lib. XLI. §. 1. 2.

At Simeon mutando Actorum Stilum parum feciſſe ſibi viſus ſæpe etiam miracula, aliave facta, quæ Chriſtianis bono exemplo futura credebat, adjecit, ſive ea e ſuo cerebro, ſive aliunde adſciverit. Cujus rei exemplum habemus in Hiſtoria S. Demetrii Theſſalonicenſis, ſi illi conferatur, quam Anaſtaſius Bibliothecarius, & Photius ſæculo ſuperiore ſcripſerant. Itaque cum non levis laboris res ſit, genuina ab illis diſcernere, quæ Metaphraſtes de ſuo ad Sanctorum vitas, ab ipſo retractatas, adjecit, omnes Criticæ artis peritis ſuſpectæ factæ ſunt, nec plenam fidem merentur, niſi aliorum etiam Scriptorum accedat auctoritas. Plurima vero ejusmodi Acta collegit; & quia hoc Opere illuſtrem ſibi famam comparaverat, eidem alias quoque vitas, quibus ipſe nunquam manum appoſuit, tribuerunt. Ceterum ob iſtud Opus dictus eſt Metaphraſtes, quæ vox Interpretem in latiore ſenſu, ſcilicet notas & paraphraſim adjicientem, ſignificat.

Ap. Sur. 8. Oct. Mabill. to. 1. Anal. p. 65. Phot. Bibl. c. 255. vid. Tillem. to. 5. p. 149.

Sæculum X. A. C. 944.

§. XXXII.

Romani Lecapeni exitus.

Annon. post Theoph. q. 270. 271. *Luitpr. IV. c. 9.*

Romano Lecapeno, cui tantopere curæ fuerat, Sacram illam imaginem Constantinopolim advehi, non diu eam conspicere datum; quippe eodem anno nongentesimo quadragesimo quarto, Indictione quarta inchoata, vigesima Decembris, jubente Stephano Imperatore filio suo, patris severitatem non ferente, e Palatio abstractus, & in Proteam Insulam devectus, ibidem tondetur, & monachum profiteri, senio jam & infirmitatibus fractus, compellitur. Ceterum imperaverat annis viginti sex, atque ab eximia in pauperes charitate, cujus complura referuntur specimina, commendatur. Magnam in Monachis posuit fiduciam, & aliquot monasteria fundavit. Sed hæc bona obscurant ingratus in Constantinum Imperatorem generum suum animus, & intolerabilis ambitio, qua filium suum Theophylactum in Sedem Constantinopolitanam intrusit. Ut nihil de eo dicamus, quod turpi commercio cum Zoe Imperatrice, Constantini matre, lasciviisse accusatus fuerit, atque ex alia pellice prolem spuriam, cui nomen Basilius, genuerit.

p. 259. n. 27.

Cang. fam. Byz.

Romanum brevi post tempore filiorum duorum Stephani & Constantini tristis

triſtis caſus ultus eſt; cum enim ad Imperatorem Porphyrogenitum delati fuiſſent, quod in ſuam perniciem conjurasſent, & is, cum facile intelligeret, ſe peſſime utique habituros, qui proprio parenti non peperciſſent, menſæ ſuæ convivas adhibitos vigeſima ſeptima Januarii anno ſequente nongenteſimo quadrageſimo quinto vinculis dari juſſit. Illico in exilium ad vicinas Inſulas navigare coguntur, abſcinduntur capilli, & Clericorum habitu conſpiciuntur. Poſt breve temporis ſpatium, impetrata licentia patrem inviſendi, in Inſulam Proteam trajiciunt, ubi cum parentem monaſtica veſte indutum obvium habuiſſent, intimis viſceribus commoti ſunt. Parens ſenex labentibus lacrymis illa S. Scripturæ verba protulit: *Filios enutrivi, & exaltavi. Ipſi autem ſpreverunt me.* Non nunquam in exilio mœrenti ſolatium afferre conabantur, maximorum meritorum viri Sergius & Polyectus; quorum poſterior Sedem Patriarchalem exinde conſcendit, Sergius vero erat Photii celebratiſſimi nepos, ſed virtute & ſcientia quam natalibus illuſtrior. Judicio enim & conſtantia virili pollebat, colloquentibus ſibi jucundus, humanus & lenis. Unde eum Romanus Imperator, quamdiu Cæſarea Dignitate fulſit,

Sæculum X. A. C. 945.

Res Conſtantinopolitanæ *Isaiæ* 1. 2. *Anon. in Rom. n.* 50. 51. *p.* 269.

Sæculum X. A.C. 945.

ceu Patrem Spiritualem semper veneratus est.

n. 3. p. 272.

Cum Constantinus Romani filius in loco exilii sui, seditione commota, Excubitorum suorum Præfectum interfecisset, & ipse in eo facinore necatus est.

n. 4.

Quod ubi Romanus per somnium eadem die cognovisset, missis ad omnia monasteria Laurasque, usque Jerosolymam & Romam delegatis, atque ibi, ubi degebat congregatis Monachis trecentis, in Cœna Domini sine pallio & tunica ad altare processit, Sacerdote Panem Sacrum elevante, & manu chartam tenens, in qua omnia ipsius peccata scripta erant, coram omni populo confessus est. Exclamant Monachi *Kyrie eleison*, flentes largiter. Tum Romano ante singulos se inclinanti & absolutionem petenti, eam impertiuntur; qua accepta communicavit. Postea omnibus ad prandium procedentibus, puero funem dedit & flagellum, quo ille Romani pedes percutiens dicebat: *Intra, nequam senecio, intra!* tandemque plorans & ingemiscens postremo loco consedit.

Confessionem vero suam clausam & sigillo munitam Anachoretis & Monachis misit, & inter alios etiam, additis ducentis auri libris, Abbati montis Olympi Dermocairo, cui, postquam Monachis omnibus duarum septimanarum jejunium præ-

præcepiſſet, cœlitus revelatum, ferunt, deleta eſſe Romani peccata, & aperta Confeſſionis pagella, nihil niſi chartam raſam & puram inveniſſe. Hanc omnibus fratribus inſpiciendam exhibuit, cunctique abſolutionem ſcriptam Romano transmiſerunt, quæ unacum ipſo ſepulchro illata. Sæculum X. A. C. 945.

Tanta pœnitentis animi indicia non tamen prohibuerunt, quin Romanus conjurationi, quam Patriarcha Theophylactus, ipſius filius, cum quibusdam aliis ad eum poſtliminio in Solium revehendum molitus eſt, accederet. Aſt detecta eſt machinatio & conſcii puniti. Tandem Romanus ſenex decima quinta Junii, Indictione ſexta, ſeu anno nongenteſimo quadrageſimo octavo, in Inſula Protea exilii ſui loco e vivis abiit. Porro Conſtantinus Porphyrogenitus abhinc jam triennio, nempe ex quo Stephanus & Conſtantinus capti erant, ſolus imperabat, & poſtea adhuc annis undecim Solium Græcorum tenuit.

§. XXXIII.

Turcæ converſi.

Sub idem tempus Turcarum Princeps nomine *Boulouſodes*, ſeu potius *Bulogudes*, Conſtantinopolim adveniens, fidem Chriſtianorum ſe amplecti ſimulavit. Quare baptizatur, & e ſacro fon- *Cedr. tom. 2. p. 636.*

Sæculum X. A. C. 945.

te levatur ab Imperatore Constantino, qui Patricii Dignitate auctum & multis divitiis cumulatum ad suos remisit. Haud multum temporis effluxerat, cum alius Turcarum Sultanus, cui nomen Gylas, Constantinopolim pervenit, baptizatur, atque iisdem honoribus & beneficiis afficitur. Is revertens itineris comitem accepit Monachum, nomine Hierotheum, Sanctitatis opinione apud omnes insignem, a Theophylacto Patriarcha ad prædicandum in Turcia Evangelium Episcopum ordinatum; quo ubi pervenit, complures Infideles ad Christum convertit. Gylas in fide susceptа perseveravit, & ditiones Romanorum amplius non infestavit, sed Christianos captivos fovebat, sua pecunia redimebat, & libertati restituebat. Econtra *Bulogudes* fidem negavit, turpis Apostata, & sæpe Romanos (*) Francosque armis aggressus est, a quibus captus Rege Ottone jubente suspensus e furca strangulatur.

Emirus Tarsensis in Romanos movens aliquot cohortes in proximi oppidi agros pabulatum immiserat, ubi Presbyter, nomine Themel, Sanctum Sacrificium

(*) Vel potius Græcos. Nam dudum Græcorum Imperatorum Romæ nulla erat auctoritas.

ficium celebrabat; qui sciens imminere Saracenos, relicto Altari, ut erat vestibus Sacerdotalibus ornatus, arrepto malleo, qui Græcis pro tintinnabulo est, usque adeo dextre usus est in hostes, ut compluribus vulneratis, & quibusdam occisis, reliquos in fugam verterit. Ecce autem, cum ideo a suo Episcopo fuissent ipsi Sacra interdicta & absolutionem obtinere non posset, ad Saracenos deficit, fidem Christianam abjicit, cum ipsis in Cappadociam, in provincias vicinas usque in Asiam, proprio nomine ita dictam, hostiliter irrumpit, & cladem ingentem infert. Sæculum X. A.C. 945.

§. XXXIV.

S. Lucas junior.

Illa etiam tempestate in vivis degebat S. Lucas junior, Anachoreta in Græcia celeberrimus. Cujus parentes, relicta Ægina insula, patria sua, ut incursiones Arabum effugerent, in continentem se receperant, ubi, videlicet in Thessalia, circa annum octingentesimum nonagesimum natus est ipsis filius, quem Lucam appellarunt. Is ab unguiculis virtuti abstinentiæ & jejunii se dedit, nec carnem, nec ova, nec caseum comedens; sed plerumque hordeaceo pane & leguminibus famem pellens, & sola frigida sitim levans. A patre custodiendo & *Boll. 7. Febr. to. 4. p. 83. Combef. auct. to. 2. p. 969.*

Sæculum X. A. C. 945.

pascendo pecori præfectus alimentum sibi destinatum vestesque pauperibus dabat, unde non nunquam nudus domum redibat. Primo Lucas quoddam monasterium Athenis ingressus, habitum Novitiorum recepit; sed mater inde abstracto, quo filium in loco sibi propiore haberet, indulsit postea, ut in solitudine montis S. Joannicii degeret; ubi annos natus octodecim sedem fixit. Ibidem Professionis Religiosæ habitum accepit a duobus viris venerabilibus monastici Ordinis, qui, Romam proficiscentes cum mandatis, ad ipsum diverterant; nam hospites hilari animo excipiebat. Tunc vero majori quam antea fervore jejunio & omnibus pietatis exercitiis intentus, miraculorum & Prophetiæ dono præditus est, & incursionem Bulgarorum, qui deinde totam illam regionem depopulati sunt, prædixit.

Quadam die dixit ad socios: *Venit ad nos homo gravi sarcina pressus, & afflictus.* Hisque in montem secessit. Paulopost adest vir, nihil portans, & petens alloquium Lucæ, cujus auxilio sibi opus esse inquiebat. Postquam septem diebus expectasset, redit Vir Sanctus & torvis oculis hominem intuens, voce aspera, *Quid tibi negotii*, inquit, *in hoc deserto esse queat? Cur relictis Ecclesiæ pastoribus homines rusticos & rerum Sacrarum*

crarum ignaros quæris? cur non potius omnium oculos fugis graviſſimorum criminum reus? fatere publice homicidium, quod perpetraſti, ut veniam a Deo impetres. Peccator ille perterritus, *Vir Dei,* reſpondit, *cur quæris ex me, quod non ignoras, etiamſi facinus clam admiſerim? ſed ut tibi morem geram, pandam omnia.* Tum cuncta criminis adjuncta enarrat, & ad pedes Sancti Viri provolutus rogat, ne miſerum rejiciat. Lucas jacentem erigit, monita, & quæ facienda videbantur, ſuggerit, inter alia præcipiens; ad ſepulchrum occiſi ſe conferret, multis lacrymis culpam eluere conaretur, pro eo Officium tertiæ, nonæ, & quadrageſimæ diei honorifice celebrari curaret, ibidem, ſi poſſet, ſaltem ter millies genufiecteret, & præcipue toto reliquæ vitæ tempore peccatum ſuum defieret, atque ante oculos mentis ſemper haberet. In Synodo VIII. vidimus, quod peccatores non nunquam Monachos adirent, a quibus peccatorum ſuorum remedium requirebant; ſed hujusmodi pœnitentiæ a Laicis injunctæ nihil aliud quam præparatio ad Abſolutionem Sacramentalem erant. Unde etiam Lucas initio ſermonis huic latroni inſinuaverat, ad Sacerdotes ſibi recurrendum eſſe.

Sæculum X. A. C. 945.

Vita S. Lucæ.

Seſſ. 9. *Sup. Lib. L.* §. 42.

Lucas

Sæculum X. A. C. 945.

Lucas septem annis in deserto S. Joannicii exactis metu Bulgarorum, qui Rege suo Simeone ducente, circa annum nongentesimum decimum quintum, in illam regionem irruperunt, cum ceteris omnibus incolis fugere compulsus, in quamdam Insulam se recepit, quo etiam Barbaris pervenientibus, nando se surripuit, & Corinthum petiit.

Ibi accensus desiderio Sacram Scripturam legendi in scholam pueris permixtus itavit, barbatus, annos circiter viginti quinque natus. Sed brevi post corruptos scholasticorum mores aversatus, relictis studiis cuidam Stilitæ se addixit, cui annis decem serviit, pro ipso piscans, ligna comportans, & culinæ ministerium obiens. Pace deinde cum Rege Bulgarorum Petro inita ad montem S. Joannicii rediit; cumque comperisset, Archiepiscopum Corinthiensem per illam regionem iter facere, ad eum pergens, olera in horto suo nata obtulit. Archiepiscopus, postquam ex aliis intellexisset, quis esset, Cellulam ejus visere voluit, atque vitæ ipsius rationem approbans, jussit ei certum aureorum numerum dari. Quos S. Lucas accipere recusans ajebat: *Domine, non auro mihi opus est, sed oratione tua & Doctrina.* Videns autem, quod Præsul subiraſceretur, unum aureum sumsit. Tum magna

magna humilitate in hunc ferme modum quæstionem proposuit: *Domine, quomodo nos miseri, qui ob peccata nostra in desertis & montibus manere cogimur, terribilium Mysteriorum participes effici possumus, cum Presbyteros non habeamus?* Archiepiscopus respondit: *Semper Presbyter adsit, si fieri possit; si autem Presbyter nulla ratione haberi queat, vas Præsanctificatorum in Sacra mensa ponatur, si id in Oratorio fiat, si vero in cella, ponatur in scamno mundissimo. Postea explicato velo Sacras particulas impones. Thus adolebis, Psalmos Typicos, aut Trisagium cum Symbolo fidei cantabis. Tum ter genuflexus, junctis manibus, JEsu Christi Corpus ore excipies, dicens: Amen! loco pretiosi Sanguinis (*) vinum bibes in poculo, ad nullum alium usum destinato. Cum velo reliquas Particulas in vase concludes, & maxima cura cavebis, ne vel minimum fragmentum decidat, quod pedibus calcari posset.* (**)

Sæculum X. A. C. 944. Evchariſtia ſine Presbytero.

Lucas

(*) Ex hoc loco iterum contra Proteſtantes demonſtratur, quod in Eccleſia tam Orientali quam Occidentali S. Evchariſtia ad communionem Fidelium fuerit aſſervata, & quandoque ſub una ſpecie ſumpta.

(*) Hæc omnia fuiſſent ridicula & ſuperſtitioſa,

Sæculum X. A. C. 946.

Lucas sæpius domicilium mutare coactus, tandem in Attica stabilis permansit, loco quodam qui dicebatur *Soterion*, id est salutaris, & per Syncopem, *Sterion*, ubi fons scaturiebat, circumdatus nemore, quo exciso terram coluit, & amœnissimum hortum adparavit. Cellulam vero procul ab illo loco compegit, quo tutius lateret. Ibi sancto fine vitam clausit, sepultusque est, circa annum 946. Ejus Cellula in Oratorium mutata. Et ipse sicut ante, ita etiam post obitum multis miraculis claruit. Ecclesia Græca ejus memoriam septima Februarii honorat, eumque vocat S. Lucam juniorem, non ideo, ut a S. Luca Evangelista, sed ut ab alio S. Luca, Abbate in Sicilia prope montem Æthnam, saltem integro Sæculo antiquiore, discernatur.

§. XXXV.

Artaldus Remis restituitur.

In Francia adhuc dum Hugo & Artaldus de Archiepiscopatu Remensi decerta-

---

riosa, nisi Fideles credidissent, JEsum Christum illa præsentia, quæ hodieque in Ecclesia Romano Catholica docetur, in S. Eucharistia existere. Illud plane cultum Latriæ indicat, quod S. Lucas, antequam JEsu Christi Corpus sumeret, ter genuflectere ab Archiepiscopo jubeatur.

certabant, jamque vel iſte vel alter vin- Sæculum X.
cebat, qui a potentiore Principe ſuſti- A. C. 946.
nebatur, quia hæc cauſa tam ad Rempu-
blicam quam ad Eccleſiam ſpectabat,
cum maximis opibus polleret hæc Sedes,
& in finibus Franciæ Lotharingiæque
poſita eſſet. Heberto Comite, Hugo- *Frod. Chro.*
nis Archiepiſcopi parente, anno nongen- 943. *& hiſt.*
teſimo quadrageſimo tertio fatis functo *IV. c.* 30.
Rex Ludovicus mortui liberos, conci-
liante Hugone Comite Pariſienſi, ipſo-
rum Avunculo, in gratiam recepit. Pri-
mus Regi reconciliari flagitavit Hugo
Archiepiſcopus, conſenſitque Rex, ut Se-
dem Remenſem retineret ea conditione,
ſi Artaldo Abbatias ab ipſo dimiſſas red-
deret, & ad aliam Eccleſiam Cathedra-
lem promovendum curaret. Fratribus
quoque Artaldi Feuda, quæ ab Eccleſia
Remenſi acceperant, reſtituenda erant.
Ita tunc Hugo Archiepiſcopus poſſeſſio-
nem obtinuit.

At anno ſequente nongenteſimo
quadrageſimo quarto, novis rixis inter
Regem & Heberti filios exortis, ille Ec-
cleſiæ Remenſis agros a Vaſallis ſuis va-
ſtari juſſit. Anno nongenteſimo qua-
drageſimo quinto Rex civitatem Remen-
ſem obſidione cinxit præſente in caſtris
Artaldo Epiſcopo.

Tandem, Comite Pariſienſi Conci- *c.* 31.
liatore, Rex obſidionem ſolvit eo pacto,
ut

Sæculum X. A. C. 946.

ut Hugo Archiepiscopus ad Comitia veniret, & imperata faceret. Tunc autem accidit, ut Rex a Normannis, quibus Comes Parisiensis colludebat, captus, integro prope anno detineretur. Anno nongentesimo quadragesimo sexto libertati redditus, Ottone Germaniæ Rege,

c. 32. cujus Sororem Gerbergam conjugem acceperat, ad auxilium ferendum accito, ipsius auctus viribus Remos secundo obsidet. Facile intellexit Hugo Archiepiscopus tantæ potentiæ imparem se futurum, suadebantque amici, ne deditionem differret, donec civitas ab obsidentibus vi caperetur, tunc enim neutiquam Regum iram effugiturum, & erutis oculis pertinaciæ pœnas daturum. Ergo

c. 33. tertia die postquam milite cincta fuisset civitas deditionem facit, ea conditione, ut sibi incolumi abire liceret, & omnes, qui vellent, discedentem libere sequi possent. Ita ambo Reges Remos intrant, atque Artaldus duobus Archiepiscopis, Roberto Trevirensi & Friderico Moguntino eum utraque manu introducentibus Sedi suæ restituitur.

Hugo Archiepiscopus Mosomum se recepit, & anno sequente, adjuvante Comite Parisiensi Remos in suam potestatem redigere aggressus est, irrito conatu. Sed, Deroldo Episcopo Ambianensi defuncto, Clericum quemdam Suessionen-

nensem, nomine Tetbaldum in ejus locum ordinavit. Eodem anno nongentesimo quadragesimo septimo duo Reges Ludovicus & Otto Comitia celebrarunt, in quibus causa Archiepiscoporum Remensium ad incudem revocata. Hugo produxit literas Artaldi ad Papam, in quibus se Archiepiscopatu abdicabat. Sed reclamavit Artaldus affirmans, has literas nunquam a se dictatas, nec signum fuisse appositum. Igitur hæc lis in isto Conventu componi non potuit, quod Synodus Episcoporum non esset, sed alia ad decimam quintam Novembris indicta. Interim decretum, ut Artaldus Sedem Remensem teneret, uti possidebat, & Hugoni permissum, ut Mosomi resideret.

Sæculum X. A. C. 946.

Libell. Art. p. 630.

Concilium, ut constitutum fuerat, Virduni celebratur, Roberto Archiepiscopo Trevirensi cum Artaldo, & Odolrico Archiepiscopo Aquensi, qui Remos confugerat, præsidente. Episcopi aderant Adalbero Metensis, Goselinus Tullensis, Hildebaldus Monasterienſis, & Israel Episcopus in magna Britannia, non plus septem numero. Bruno quoque Abbas, Regis Ottonis Frater, & duo alii Abbates interfuere. Cum igitur Hugo Archiepiscopus, a duobus Episcopis ad hoc Concilium vocatus, venire noluisset, Artaldus in possessione Sedis Remen-

Frod. c. 34. to. 9. Conc. p. 622.

Sæculum X. A.C. 947.

sis confirmatur, & aliud Concilium decima tertia Januarii celebrandum indicitur.

Celebratum est istud Concilium prope Mosomum in Basilica S. Petri, Præsidente Roberto Archiepiscopo Trevirensi, suæ provinciæ Episcopis, & quibusdam provinciæ Remensis præsentibus. Venit Hugo Archiepiscopus, ut Roberto colloqueretur, nolens in Concilium se conferre; misit vero per Clericum, qui Roma advenerat, quasdam Agapiti Papæ literas, in quibus nude præcipiebatur, ut Hugo Sedi Remensi restitueretur. Unde contra Canones pugnare visæ sunt. Episcopi itaque, postquam cum Abbatibus, aliisque viris præsentibus, prudentia præditis, consultassent, responderunt, alia se habere Pontificis mandata, quæ Fridericus Archiepiscopus Moguntinus attulisset, Robertus Trevirensis præsentibus Regibus, Galliæ & Germaniæ Episcopis, recepisset, & ipsi aliquam partem jam effectui dedissent. *Nec est rationi consentaneum*, ajebant, *ad literas ab Artaldi Adversario subreptitie impetratas attendere. Sed Judicium canonice cæptum ad finem perducamus.* Tum jubente Concilio lectus est Canon decimus nonus Concilii Carthaginensis de Actore & Reo, atque secundum hoc Decretum judicarunt Episcopi,

copi, Artaldum Communione Ecclesiastica dignum esse, & in possessione Ecclesiæ Remensis non turbandum; Hugonem vero, qui ad duo Concilia citatus, venire detrectasset, Communione, & Ecclesiæ Remensis Regimine privandum, donec causam dixisset in Concilio generali, quod prima die Augusti celebrandum indicebatur. Episcopi deinde se præsentibus Canonem Concilii Carthaginensis describi jubent, eumque, sua sententia apposita, ad Hugonem transmittunt. Qui altera die illam paginam Roberto remittit, & suis verbis responderi jubet, sese ipsorum judicio non submissurum. Artaldus quoque Archiepiscopus querelas suas Romam deferendas dedit Ottonis Regis Legatis, qui Agapitum II. in Cathedra S. Petri sedentem Romæ habuerunt. Namque Stephano IX. anno nongentesimo quadragesimo tertio ad Superos translato, postquam sediisset annos tres & menses quatuor, successit Marinus II. qui S. Sedem tribus annis obtinens, Sacræ Religionis Ministerio, reparandis Ecclesiis, & juvandis pauperibus intentus fuit. Is quoque anno nongentesimo quadragesimo sexto vita functus Successorem habuit Agapitum, qui novem annis & septem mensibus ad Clavum Ecclesiæ sedit.

Sæculum X. A. C. 947.

Concilium apud Mosomum.

Libell. Artald. p. 631.

Papeb. com.

Frod. in Chro.

Sæculum X. A.C. 948.

§. XXXVI.

Concilium Ingelheimense.

Agapitus Papa Regi Ottoni Legatum misit Marinum Episcopum Polymartienſem † in Tuscia, qui Concilium generale (*) congregaret, & ipse datis literis quosdam Episcopos Galliæ & Germaniæ convocavit. Celebratum est hoc Concilium Ingelheimii in Ecclesia S. Remigii, septima Junii, anno nongentesimo quadragesimo octavo, Indictione sexta, duobus Regibus Ottone & Ludovico præsentibus, Legato Marino præsidente. Aderant, si etiam Legatus adnumeretur, Episcopi triginta duo, nimirum Archiepiscopi quinque, Wicfredus Colonienſis, Fridericus Moguntinus, Robertus Trevirenſis, Artaldus Remenſis, Adaldagus Hamburgenſis, & Episcopi viginti sex, (**) quorum notissimi sunt, S. Udal-

† Bomarzo.

tom. 9. Conc. p. 623. Frod. 35.

(*) Generale, nempe in Imperio Francorum.

(*) Ad dilucidanda in superioribus Annotationibus nostris dicta servit, quod scribit R. P. Josephus Mezger in Hist. Salisb. Cap. 19. *Mortuo Gerardo* (Laureacensi) *mox Successor ejus Adalbertus, omisso Archiepiscopi nomine, solo Episcopi titulo contentus fuit . . . . ita ipse se in Concilio Ingelheimensi subscripsit. Ita pariter*

S. Udalricus Augustanus, & Adalbero Metensis, plerique vero Ultrarhenani. Non modicus quoque Abbatum, Canonicorum, Monachorumque numerus advenerat. Legatus ergo mandata sua legit, quibus Papa ei totam suam auctoritatem committebat, tumque Reges, E- Sæculum X. A. C. 948.

pariter inscriptus reperitur in Synodo Augustana plurimorum Episcoporum anno 952. *celebrata. Utrique Synodo cum aliis Germaniæ & Bojariæ Episcopis Heroldus suo loco Archipræsul interfuit, & præ cunctis Episcopis, ut dignum erat, Acta Synodi subsignavit.*

In Actis Conciliorum Edit. Par in Synodo Ingelheim. hoc ordine occurrunt Episcopi. Post quinque Archiepiscopos ponitur; *Richavo Vangionensis* ✝ *Ecclesiæ Episcopus, Geroldus Juvaviensis Ecclesiæ Episcopus, Udalricus Augustensis &c.* Et demum inter Episcopos ultimos tres, Adalbertus Laureacensis. In altera subsequente narratione hujus Synodi Episcopi nullo prorsus ordine servato enumerantur, nam Archiepiscopus Moguntinus in medio occurrit, & in Adnotatione P. Sirmondi dicitur interpolata. At in Synodo Augustana anno 952. Geroldus Archiepiscopus Juvaviensis secundo loco post Archiepiscopum Moguntinum ante alios Archiepiscopos Italiæ ponitur, & in medio occurrit Adalbertus Patavensis Ecclesiæ Episcopus. Unde cognoscimus, tunc Ecclesias Laureacensem & Passaviensem non fuisse separatas. Infra Num. XLII.

✝ *Wormatiensis.*

Sæculum X. A. C. 948.

piſcopi, cunctique præſentes profeſſi ſunt, ſe Pontifici obtemperaturos.

Tunc vero Rex Ludovicus a latere Regis Ottonis, (*) eodemque conſentiente, ſurgens, cauſam ſuam coram Concilio contra Hugonem Comitem Pariſienſem dixit in hunc modum: *Ex Anglia*

(*) Vidimus paulo ante Ottonem, Francorum in Germania Regem, in ſocietate Ludovici Francorum Regis in Gallia, militantem, & nunc in Concilio Epiſcoporum juxta eundem Ludovicum ſedentem habemus. Mira concordia! Ceterum notatu dignum, quod neuter alteri injuſtæ poſſeſſionis litem moverit. Unde Scriptores Galli Germanique, qui, prout quisque affectus eſt, & partium ſtudio fertur, jam Romanorum Imperatoribus, jam Galliæ Regibus jus antiquum vel Galliam, vel Germaniam repetendi prolixe & fervide adſtruunt, quæſtionem recudunt non niſi ad fallendum tempus aptam, cum in ipſis diviſionis Regni Francorum primordiis hac de re diſceptare Regibus in mentem non venerit. Quod ſi vero non tam amplum vaſtumque fuiſſet Francorum Imperium (olim Germaniam, Galliam, & Italiam complexum) ut etiam plures Reges caperet, potior omnibus utique fuiſſet Ludovicus Transmarinus, ex ſanguine Caroli Magni per mares legitima ſucceſſione ortus. Sed Regna in orbe terrarum, inprimis Deus, deinde jus ſanguinis, ſæpe vox populi, ſæpiſſime gladius potentioris diſtribuit.

glia per Legatos Hugonis, ceterorumque Franciæ Principum, ad ſuſcipiendum Regnum defuncti parentis mei vocatus, ſuffragiis & voluntate omnium Procerum totiusque militiæ Rex ſalutatus & conſecratus fui. Hugo nihilominus auſus eſt me ejicere, dolo me comprehendit, & per annum integrum in cuſtodia me detinuit. Nec aliter libertatem potui impetrare, quam poſtquam Laudunum Caſtrum, quod ſolum Reginæ Gerbergæ ad habitandum cum fidelibus mihi ſervis reſtabat, Hugoni ceſſi. Si quis objiciat, quod admiſſi cujusdam facinoris cauſa hæc mihi inferantur, me purgare juxta Judicium Synodale & præcipiente Rege Ottone, vel per certamen ſingulare non recuſo.

Sæculum X. A. C. 948.

Poſtquam Rex Ludovicus ſuas querelas expoſuiſſet, ſurgens Artaldus Archiepiſcopus, ſuam quoque legi juſſit, inſtar Epiſtolæ ad Marinum Legatum totamque Synodum directæ. Omnia repetit prolixe, quæ in cauſa Archiepiſcopatus Remenſis ab Herivei obitu & Seulphi Ordinatione facta fuerant; nimirum, Hugonem intruſum, ordinatum, expulſum, ſe vero tam duram paſſum fuiſſe perſecutionem, ut per diverſa loca errare & in ſilvis deliteſcere coactus fuerit, quod Sedi ſuæ renunciare & Pallium reddere nollet. Tandem refert,

p. 627.

Sup. Lib. LIV. §. 59.

Reges in Concilio præſentes.

Sæculum X. A. C. 948. p. 631.

quæ in duobus Conciliis Virdunensi & Mosomensi acta. Hoc Libello recitato, & per interpretem in gratiam Regum lingua Teutonica reddito, Sigeboldus Hugonis Archiepiscopi Diaconus Concilium intrat cum literis, quas Roma attulerat, jamque prius in Concilio Mosomensi produxerat, dicens, quod eas Romæ a Legato Marino, hic in Concilio præsenti, accepisset. Tunc Marinus protulit literas, a Sigeboldo Romam delatas, easque coram Episcopis & Regibus legi jussit. In iis dicebatur, quod Guido Episcopus Suessionensis, Hildegarius Bellovacensis, Rudolphus Laudunensis, ceterique provinciæ Remensis Episcopi illas Romam misissent, & a Papa petiissent, ut pulso Artaldo Hugo restitueretur. Verum Rudolphus Laudunensis, qui in his literis nominabatur, & Fulbertus Cameracensis omnibus viribus negarunt, se vel Sigeboldum istum usque in hanc diem unquam vidisse, vel consensisse, ut Romam mitteretur. Nihil habuit Sigeboldus, quod opponeret, nisi quod valide clamaret, & calumnias ingereret. Tunc Marinus Legatus petiit, ut secundum Canones sententia in eum ferretur. Itaque convictus, quod falsa protulisset, postquam lecti Canones de calumniatoribus fuissent, a Diaconatu deponendus & in exilium mittendus pro-

pronunciatur. Contra Artaldo, qui Conciliorum Judicium vocatus nunquam refugiſſet, poſſeſſio Archiepiſcopatus Remenſis aſſerta eſt. Sæculum X. A. C. 948.

Die ſecunda Concilii Robertus Archiepiſcopus Trevirenſis petiit, ut in Sedis Remenſis invaſorem ſententia ederetur, atque id ipſum præcepit Marinus Legatus. Leguntur Canones & Decreta Pontificum, tumque ad eorum normam Hugo excommunicatur. Sequentibus diebus de quibusdam articulis ad Diſciplinam pertinentibus actum, & complures Canones conditi.

Nemo audeat, ſecundum ea quæ aliquando in Concilio Toletano (*) ſapienter decreta ſunt, ſive vi manifeſta, ſive per inſidias Regiam Majeſtatem laceſſere. Idcirco Hugo (Comes Pariſienſis) excommunicabitur, quod Ludovici Regis Ditiones invaſerit, niſi reſipuerit & Judicio Concilii ſteterit. *c. 1.* Artaldus Archiepiſcopus Remenſis in Sedem ſuam, ex qua pulſus fuerat, canonice reſtitutus fuit. Hugo, qui illam Sedem uſurpaverat, excommunicatus, & tam illi qui eum ordinarunt, quam qui ab ipſo ordinati ſunt, excommunicabuntur, niſi *c. 2.*

(*) Notabit Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudioſus Lector, quanta Conciliorum Provincialium in Eccleſia fuerit auctoritas.

Sæculum X. A. C. 648.

satisfecerint in Concilio, quod Treviris sexta Septembris celebrandum est. Hu-
c. 3. goni Comiti Episcopi secundo excommunicationem comminantur, quod Rudolphum Episcopum Laudunensem, Regi Ludovico fidem servantem, e Sede sua dejecerit.

c. 4. Laici, id est, Patroni, Ecclesiis Presbyteros nec præficiant, nec auferant sine licentia Episcopi. Sæpe Simoniæ crimen suberat, præsertim in Provinciis ultra
c. 8. Rhenum positis. Laici de oblationibus Fidelium, aut de Decimis nihil sibi retineant, atque hujusmodi causæ cognitio non ad Laicos, sed ad Synodum pertineat. Fideles tota hebdomada Paschali ferientur, in Pentecoste vero diebus Lu-
c. 9. næ, Martis & Mercurii. In illa die, qua Litaniæ Majores cantantur, id est in Festo S. Marci jejunent, sicut in diebus Ro-
c. 6. gationum. Unde videmus, quod illa ætate jejunium his diebus adhucdum fuerit observatum.

§. XXXVII.

Concilium Trevirense.

Frod. Chro. & Hist. IV. c. 36. Artaldus Archiepiscopus, Guido Episcopus Suessionensis, Rudolphus Laudunensis, & Wicfredus Teruanensis

tom. 9. Conc. p. 632. Treviros ad celebrandum Concilium pervenientes, ibi habuerunt Marinum Legatum & Robertum Archiepiscopum Tre-

Trevirenſem ſe expectantes; at Epiſcopi nulli ex Lotharingia vel Germania advenerant. Omnibus congregatis Legatus ex Epiſcopis Franciæ quæſivit, an Comes Pariſienſis poſt Concilium Ingelheimenſe Epiſcopis Regique injurias inferre ceſſaſſet. Reſponderunt; ipſum veteres vexationes novis cumulaſſe, ſibique & Eccleſiis ſuis multum nocuiſſe. Tum Legato interroganti, an Comiti literæ, quibus ad Concilium citabatur, redditæ fuiſſent, reſpondit Artaldus, aliquas quidem fuiſſe interceptas, ſed nihilominus Comitem tam per literas, quam per mandata ore ad ipſum prolata ſatis fuiſſe vocatum. Rurſusque quæſitum, an quisquam ab ipſo miſſus ad Concilium veniſſet, cum nemo adeſſet, ſtatutum, ut res in alterum diem differretur. Sæculum X. A. C. 948.

Poſtridie, cum nemo compareret, Clericis & Proceribus Laicis clamantibus, contumacem excommunicandum eſſe, Epiſcopi tamen inducias triduanas conceſſerunt. Tunc de Epiſcopis agi cœptum, qui vocati non veniſſent, & de illis, qui in Ordinatione Hugonis partem habuiſſent. Protinusque Guido Sueſſionenſis ad pedes Legati & Artaldi proſtratus culpam confitetur; ſed duobus Archiepiſcopis Roberto & Artaldo pro ipſo deprecantibus, a Legato abſol-

Sæculum X. A. C. 948.

absolvitur. Wicfredum vero Teruanensem illicitæ Ordinationi non consensisse constabat. Quidam Presbyter missus a Transmaro Episcopo Noviodunensi exposuit, ipsum gravi morbo impeditum ad Concilium venire non potuisse; quod verum esse Episcopi Franciæ præsentes affirmarunt.

Frod. c. 37. Tandem die tertia, Ludolpho Capellano & Regis Ottonis Legato vehementer instante, Hugo Comes Parisiensis excommunicatur, quoadusque resipisceret, Legato atque Episcopis, quibus nocuerat, satisfeciisset, aut Romam pergeret, & absolvi flagitaret. Item duo Episcopi ab Hugone Archiepiscopo contra Canones ordinati, nimirum Tetbaldus Ambianensis & Ivo Silvanectensis excommunicati. Præterea quidam Clericus Laudunensis a Communione Fidelium separatus est, quod Tetbaldum excommunicatum in Ecclesiam introduxerit. Legatus Marinus datis literis Hildegarium Episcopum Bellovacensem citavit, ut vel ad se veniret, vel Romam se conferret, & rationem redderet, de duorum illorum Episcoporum Ordinatione, cui interfuisset. Hebertus quoque Hugonis Archiepiscopi frater citatus, ut damna Episcopis facta repararet. Hæc in Concilio Trevirensi acta. Tum Episcopis ad sua redeuntibus Ludolphus Capella-

Capellanus Legatum ad Regem Ottonem Dominum ſuum deduxit; ubi Eccleſiam Fuldenſem poſt incendium anni nongenteſimi trigeſimi ſeptimi reſtauratam conſecravit, & exacta hyeme Romam remeavit. Ipſo reverſo, anno nongenteſimo quadrageſimo nono Agapitus Papa, Concilio in Baſilica S. Petri celebrato, ſententiam in Concilio Ingelheimenſi, qua Hugo Archiepiſcopus damnatus fuerat, pronunciatam confirmavit, & Hugonem Principem, ipſius Propinquum, donec Regi Ludovico ſatisfeciſſet, excommunicavit.

Sæculum X. A. C. 948.

Regin. Cont. Herm. Fro. Chro. 949.

§. XXXVIII.

S. Majolus Abbas Cluniacenſis.

Sub illud tempus Aimardus, Abbas Cluniacenſis, caligantibus oculis infirmus, Majolum Avenione circa annum 906. natum Coadjutorem ſibi delegit. Pulcherius Majoli pater ex primis ſtirpibus ſuæ regionis natus, cum eſſet opulentiſſimus, Monaſterio Cluniacenſi prœdia viginti cum Eccleſiis ad ea pertinentibus in Diœceſibus Regienſi, Aquenſi, & Secuſtironenſi ſita donavit. Majolus adhuc dum adoleſcens utroque parente orbatus, prœdiis a Barbaris direptis, e patria Matiſconem in Burgundia migrare cogitur. Hi barbari, Saraceni erant, Hungarique, præcipue tamen Saraceni, qui

Elog. Sæc. V. Act. Ben. p. 322. *p.* 762. *Boll.* 11. *Maj. to.* 13. *p.* 567.

Sæculum X. A. C. 948.

qui e Caſtro ſuo Fraxinetenſi erumpentes cunctas regiones vicinas infeſtabant. Suſcepit vero Majolum Matiscone quidam ejus propinquus, vir inter proceres illius civitatis nobiliſſimus. Cumque aliquamdiu in ejus domo verſatus fuiſſet, eum Epiſcopus, nomine Berno, cernens, quod liberali ingenio valeret, in numerum Canonicorum ſuorum retulit, & ſecreto exhortatus eſt, ut caſtitatem ſervaret illibatam. Comperto deinde, quod Lugduni vir eruditiſſimus & celeberrimus Antonius Abbas Inſulæ Barbarenſis philoſophiam doceret, eo Præceptore uſus Majolus non modo doctrina, ſed etiam moribus & vita profecit.

Sup. n. 6.

Nulla enim Lugdunenſi celebrior ſchola illa tempeſtate in illis regionibus erat; in qua plurimi Artibus liberalibus & Philoſophiæ egregiam operam dabant.

E ſtudiis reverſus per omnes gradus Eccleſiaſticos usque ad Diaconatum ab Epiſcopo Matisconenſi promovetur, & Archidiaconus conſtituitur. In ea Dignitate maxime charitate in pauperes excellebat, & quosdam Clericos diverſis ex locis ad ipſum confluentes erudiebat. Tandem omnibus tanto in pretio erat, ut Veſuntionenſi Archiepiſcopo viam univerſæ carnis ingreſſo Clericorum, Principis, populique unanimi conſenſu ei ſubrogatus fuerit; quod vero honoris

ris culmen ſuſcipere conſtanter recuſavit, quin imo exinde de Sæculo fugiendo cogitare cœpit. Cum Monaſterium Cluniacenſe haud procul a civitate Matiſconenſi diſtaret, Majolus Aimardo Abbate ſæpiſſime illuc divertens cum Fratribus ſpirituale colloquium miſcere ſolebat, quibus in votis erat eum fratrem habere, quem aliquando, utpote virum idoneum, Patrem ſibi eligerent. Nemo vero efficacius eum ad amplectendum inſtitutum monaſticum impulit, quam Hildebrandus monaſterii Præpoſitus, qui bis invitatus officium Abbatis obire noluerat. Tandem Majolus circa annum nongenteſimum quadrageſimum tertium in illa Sancta Congregatione monachi habitum induit. Sæculum X. A. C. 948.

Monachus, præ ceteris virtute obedientiæ & humilitatis eminuit, atque ab Abbate Bibliothecæ præfectus eſt, & Apocryſiarius creatus. Bibliothecarii erat ſtudiis præeſſe, unde Majolus fratres a lectione profanorum Auctorum atque etiam Virgilii deterrebat. Apocriſiario autem incumbebat, Theſaurum Eccleſiæ, & a Fidelibus oblata cuſtodire, tum negotia extra monaſterium pertractare. Hinc Majolus aliquando Romam miſſus in illo itinere Yporediæ* Hildricum monachum, comitem ſuum, ægrotantem Sacri olei unctione ſanavit.

* *Ivrée.*

Is,

Sæculum X. A. C. 948.

Is, olim inter proceres Regis Italiæ insignis, Majoli fama attractus, spectabili officio, uxore, bonisque, quæ maxima erant, relictis, Cluniaci monachum induit.

Anno sexto, ex quo Majolus monasterium Cluniacense ingressus fuerat, nempe anno 948. cum Aimardus Abbas præter senectutis impedimentum etiam cœcitate laboraret, timens, ne sub capite infirmo quidquam de rigore Regulæ relaxaretur, eum consentiente tota Congregatione Abbatem pronunciavit. Ut vero Majolo omnem detrectandi prætextum subtraheret, prius quosdam Episcopos & Abbates ad consilium adhibuit. Supersunt Acta genuina, Aimardi jussu conscripta, in quibus declarat, se Regimen Monasterii Cluniacensis, cum ceteris omnibus monasteriis, locisque ad illud pertinentibus Majolo tradere. His Actis Mainboldus Episcopus Matisconensis aliique duo Episcopi, Abbates duo, & centum triginta tum Cluniacenses, tum monasteriorum vicinorum fratres subscripserunt; easque Letoldus Comes Matisconensis, Abbatiæ Cluniacensis Advocatus, datis literis, confirmavit. Verum Aimardus Majolum Coadjutorem potius quam Successorem sibi adsciscebat; nam complu-

ribus chartis annorum sequentium usque

que ad annum nongentesimum sexagesimum quartum Aimardus Abbas manum & signum apposuit. Sæculum X. A.C. 948.

§. XXXIX.

Turketulus Abbas Crulandensis.

Eodem anno nongentesimo quadragesimo octavo Londini Concilium celebratum, in quo Turketulus Abbas Crulandensis creatus est, ad istud Monasterium reformandum. Is Regis Eduardi senioris nepos, Etelwaldi fratris ipsius filius, anno octingentesimo octogesimo septimo lucem primo aspexit. Cumque jam juveni Rex patruus virgines præclaro Ducum Comitumve stemmate natas in matrimonium obtulisset, & ille omnes amore castitatis aversaretur, intellexit Rex, Turketuli operam Ecclesiæ quam Reipublicæ utiliorem futuram, eique præ ceteris omnibus summas in Anglia ordinis Sacerdotalis Dignitates destinavit. Ergo ad suscipiendum Episcopatum Vintonienſem eundem invitat; sed Turketulus tanto honore indignum se professus huic Ecclesiæ Frideſtanum Collactaneum suum præfici curavit. Rursusque, cum Rex, id ipsum suadente Plegmundo Archiepiscopo, eum in Cathedra Ecclesiæ Durnovarienſis collocare cuperet, eadem constantia restitit, & obtinuit, ut illa

vit. Sæc. 3. Act. Ben. p. 507. ex Ing.

Sæculum X. A. C. 948.

illa Sedes Ceolulfo Capellano suo conferretur.

Aliud ergo de eo decrevit Rex, & virum suo patrimonio contentum ab ambitu & avaritia alienissimum, prudentiæ eximiæ, fidei exploratæ, maxime idoneum credidit, cui curam rerum temporalium & spiritualium committeret, eumque Angliæ Cancellarium esse jussit. Ipsius secutus consilium, una die septem Ecclesiis vacantibus Episcopos dedit, quos simul omnes Plegmundus Archiepiscopus consecravit. Postquam Eduardus e vivis abiit, Turketulus Regi quoque Edelstano ipsius filio ab obsequiis fuit, etiam in bello adversus hostes magna fortitudine dimicans, illudque singularis felicitatis loco habuit, quod neminem suis manibus jugulasset. Pari modo Regi Edmundo serviit, qui Turketulo suadente S. Dunstanum revocavit, Sanctæ vitæ Presbyterum, Cancellarii, cui a Confessionibus erat, amicum præ ceteris carissimum.

Sup. l. LIV. §. 38.

Rege Edmundo vigesima sexta Maji, anno nongentesimo quadragesimo sexto, postquam regnasset annis sex & dimidio, occiso, successit ejus frater Edredus, Eduardi Regis filius tertio genitus. Qui anno regni sui secundo Cancellarium Turketulum Eboracum misit ad Nordhumbros in officio continendos, timebat enim

enim ne a se deficerent. Cancellarius in itinere ad Monasterium Crulandense jam ante annos septuaginta quinque a Normannis destructum divertit. Supererant vero ex senioribus monachis quinque, quorum duo ad alios Congregationes se receperant, tresque Crulandi perseverantes spes lactabat, fore, ut Cœlum sibi mitteret beneficum largitorem, qui monasterium ex ruinis excitaret. Ergo venienti Cancellario obvios se inferunt, cumque sol ad occasum properaret, rogant, ut ad se diverteret. Annuentem confestim deducunt ad exiguum Oratorium, quod in angulo vastatæ Ecclesiæ construxerant, Reliquias S. Gutlaci ostendunt, & tristem sortem monasterii a barbaris combusti ex ordine repetunt. Quæ audiens Turketulus vehementer commovebatur. Mox in hospitio suo exceptum, & viæ comites, deprompta tota penu sua laute pro viribus habent, rogantes, ut Regi auctor esset restaurandæ hujus domus, quod Rex Edelstanus frater ipsius facturus fuisset. Promisit Cancellarius; quin etiam de suis facultatibus aliqua se additurum pollicitus est, & ex illa die hos monachos tenero affectu prosecutus, apud quoscunque eorum charitatem dilaudabat.

Sæculum X. A. C. 948.

Reparatio Monasterii Crulandensis.

Sup. §. 28. Sup. l. LI. §. 54.

Eboraco rediens Turketulus, & Crulandum secundo divertens, argenti libras

Sæculum X. A. C. 948.

viginti monachis dedit. Tum postquam Edredo commissi sibi negotii rationem reddidisset, sermone ad res monasterii Crulandensis solerter converso Regem eo adduxit, ut illud se reparaturum promitteret. Tunc vero se ipsum ibidem monachum futurum palam edixit; quare Rex vehementer admiratus, eum ab hoc proposito abstrahere conabatur; quod ætas jam ad senium vergeret, & in deliciis nutritus rigorem Religionis ferre non posset. Denique nolle se ipsius auxilio regnum suum destitui. Respondit Cancellarius: *Fratribus tuis, Regibus meis, Domine, tibique, integra fide & omnium virium contentione huc usque servivi. Patere, ut saltem senex ad Deum convertar. Quoad vivam consilium meum tibi nunquam deerit, sed ad militandum amplius me compellere noli.* Igitur in proposito confirmatus, per plateas urbis Londinensis proclamari jussit; creditores ipsius illa die & in illo loco convenirent, & debitum reciperent, & si aliquem defraudasset, triplum redditurum. Postquam suum cuique datum, sexaginta fundos sibi proprios Regi donavit, reservatis sex aliis Crulando proximis, quos Deo tanquam Bonorum suorum decimas offerret.

Cum deinde in vigilia Assumptionis anno 948. decima quarta Augusti comitante

tante Rege Crulandum se contulisset, duos illos seniores monachos, alibi diversantes, viros scientia & virtute eximios, per nuncios moneri jussit. Quibus regressis & maximam lætitiam profitentibus Turketulus Cancellarius die S. Batholomæo sacra deposito sæculari habitu monasticum in medio quinque seniorum monachorum induit, moxque Rex ei baculum Pastoralem tradidit, Cedulfus vero Episcopus Durnovariensis Diœcesanus Benedictionem Abbatialem impertitus est. Porro eadem die Neo-Abbas & quinque Seniores (nam tota hæc erat Congregatio) Monasterium manibus Regis commiserunt, qui illico necessaria mandata ad ædificandam Ecclesiam Cellasque dedit. Sæculum X. A. C. 948.

Exinde Rex, Turketulus Abbas & duo monachi Londinum se conferunt, ubi Concilio in Festo Nativitatis S. Virginis celebrato, Rex solemnibus literis novo Abbati Crulandense Monasterium tradidit, ut ejus possessionem in futura tempora stabiliret. Cujus Donationis Actis, anno nongentesimo quadragesimo octavo datis, duo Archiepiscopi Wulstanus Eboracensis & Odo Cantuariensis, Episcopi quatuor, & Abbates duo, quorum alter S. Dunstanus erat, subscripserunt. Turketulus veterem immunitatem huic Monasterio concessam seu jus *tom. 9. Conc.*

Sæculum X. A.C. 948.

Asyli renovari noluit, ne qualicunque modo illorum, qui ibi impunitatem quæsituri essent, sceleribus inquinaretur.

Complures viri literarum amantes cum Turketulo secessérunt, atque ex illis decem etiam Habitum monasticum receperunt, alii Regulæ rigorem pertimescentes vestem sæcularem retinuerunt, in monasterio tamen commorantes, quod a Sancti Abbatis societate avelli non sustinerent, qui postea eis domum separatam dedit & Oratorium, ubi officium Divinum diurnum nocturnumque, iisdem horis quibus monachi, peragebant. Ceterum de Regula non nisi continentiam & obedientiam servabant, & plerique in illa Congregatione vitam clausérunt.

§. XL.

S. Adaldagus Archiepiscopus Bremensis.

In Saxonia Adaldagus ad Archiepiscopatum Bremensem jam anno nongentesimo trigesimo sexto promotus Baculum pastoralem a Rege Ottone, Pallium vero a Papa Leone VII. accepit, & sicut Antecessores ipsius ad Archiepiscopo Moguntino ordinatus est, quia illa Sedes necdum Suffraganeos numerabat. Is nihil antiquius habuit, quam Civitatem Bremensem in libertatem ab oppressione

Sup. Adam. lib. LI. c. 1.

sione quorumdam Optimatum asserere, quod postquam apud Regem obtinuit, ad Infidelium conversionem deinde & fidei prædicationem sibi a Sacra Sede commissam more Antecessorum suorum totus incubuit. S. Viri zelum Rex Otto adjuvabat, a cujus latere, quantum Diœcesis suæ Regimen, & Prædicationis munus permittebant, raro discedebat. Sæculum X. A. C. 948.

Otto Rex Danos, defectionem moliri ausos, bello fregit, Regemque eorum Haroldum ad petendum pacem compulit, acceptis conditionibus, ut Regnum Daniæ tanquam Feudum Imperii Francorum in Germania teneret, & Religionem Christianam in Dania prædicantibus non obsisteret. Haroldus Baptismum recipere non distulit, cum uxore & filio infante, quem Otto Rex e fonte Sacro levavit. Miraculum quoque narratur, quod Haroldum Regem ad amplectendum fidem impulit. Rege aliquando in convivio lætante, inter assidentes de cultu Deorum disputari cœptum. Dicebant Dani, JEsum Christum quidem esse Deum, sed dari alios ipso potentiores, qui majoribus miraculis apud homines inclarescerent. Econtra quidam Presbyter, nomine Poppo, qui deinde ad Episcopatus apicem evectus est, omnibus viribus affirmabat, JEsum Christum solum cum Patre & Spiritu Sancto Deum esse.

Vitiq. l. 3. p. 35. Ditmar. l. 2. p. 18.

Sæculum X. A. C. 948.

esse. Quæsivit Haroldus, an pati vellet, cunctos in ipsius corpore hujus veritatis experimentum capere, atque consentientem Rex custodiri jussit. Altera die præcepit ferrum gravissimi ponderis usque adeo calefieri, donec totum rubesceret, imperavitque Popponi, ut illud in Fidei Christianæ argumentum manibus gestaret. Ille candens, postquam benedixisset, intrepidus corripit, quam diu Regi visum, tenet, tum cunctis manum sanam & illæsam exhibet. Exinde Rex Haroldus rejectis Idolis solum JEsum Christum a suis adorari voluit.

Tunc vero Jutlandia seu Dania citramarina in tres Episcopatus Ecclesiæ Archiepiscopali Hamburgensi subjectos divisa, quos Otto Regis Daniæ Dominus directus, quibus vellet, conferebat. Agapitus autem Papa, omnia privilegia ab Antecessoribus suis Ecclesiæ Hamburgensi concessa confirmans, Archiepiscopo Adaldago potestatem ordinandi Episcopos tum in Dania tum in reliquis Septentrionis provinciis tribuit. Unde Archiepiscopus primos in illis Ecclesiis, Sleswicensi, Rypensi, & Arrhusiana Episcopos ordinavit, eosque Ecclesiarum ultra mare Balticum in Finia, Seelandia, Scania & Suecia positarum curam gerere jussit. Hæc anno duodecimo, ex quo Episcopatum susceperat, nempe Salutis nongentesimo

tesimo quadragesimo octavo acta, atque exinde Religio Christiana multo latiùs quam antea in toto Septentrione propagata. Sæculum X. A. C. 950.

§. XLI.

Sclavi convertuntur.

Sub idem tempus, nimirum anno nongentesimo quinquagesimo, cum Rex Otto Boleslaum Bohemiæ Regem quatuordecim annorum bello fractum tandem subegisset, Sclavi tributum pendere promiserunt, eorumque pars maxima Fidem amplexa est. Tunc igitur in illis partibus multæ novæ Ecclesiæ ædificatæ, & complura virorum feminarumque monasteria condita. Tota provincia in regiones octodecim divisa, quæ omnes, tribus exceptis, Fidem JEsu Christi susceperunt. *Regin. Cont.* 950. *Sigeb.* 950. *Adam. II. c. 3. Chr. MSS. ap. Mabill. Sæc. 5. p. 574.*

Hadumarus Abbas Fuldensis Romam SS. Apostolorum limina salutandi causa profectus ad Agapitum Papam litem detulit, quæ inter Heroldum Archiepiscopum Salisburgensem & Gerardum Archiepiscopum Laureacensem fervebat, cum uterque totius Pannoniæ Metropolitam se diceret. Ad tollendum hoc dissidium Papa Gerardo epistolam scripsit, in qua dicit; Ecclesiam ipsius Laureacensem semper fuisse Metropolitanam utriusque solum Pannoniæ usque ad in- *to. 9. Conc. p. 816.*

Sæculum X. A. C. 950.

cursiones Hunnorum, qui, urbe illa devastata, Archiepiscopum ad Sedem suam alio transferendam compulissent. Postea vero Arnonem, primum Archiepiscopum Salisburgensem, fuisse subrogatum. Nunc, cum a Cœlo his regionibus quies concessa sit, utrique suam Dignitatem esse conservandam, ea lege, ut Archiepiscopus Salisburgensis Jurisdictione in Pannoniam Occidentalem, & Laureacensis in Orientalem, atque præterea in Avares, Moravos, Sclavos jam conversos, vel qui deinceps Christiana Sacra suscepturi essent, gauderet. Adjecta pœnæ comminatione, Archiepiscopum Salisburgensem sua Jurisdictione privandum fore, nisi huic judicio acquiesceret. (*)

Mabill. Act. Sæc. 5. pag. 120. Vitiq. l. 2. p. 24.

Ejusdem Hadumari Abbatis Fuldensis magna erat apud Ottonem Regem auctoritas, cujus jussu in monasterio suo Fridericum Archiepiscopum Moguntinum, conjurationis reum, captivum custodivit. Unde vindictæ cupiditate factum creditur, quod Fridericus, & quidam alii Episcopi, anno nongentesimo qua-

(*) Videatur Sup. §. XXXVI. Hic quidem dicitur Archiepiscopus ad Sedem suam alio transferendam aliquando compulsus; sed locus non nominatur. Conjectura vero est, fuisse civitatem Passaviensem.

quadrageſimo ſexto duram perſecutionem contra monachos moverint; namque diebant; præſtare paucos eſſe monachos & in virtute excellentes, quam multos tepidos. Primo modica monaſteria aggreſſi ſunt, & deinde majora, compluresque cænobitæ, infirmitatis ſuæ conſcii, & veſtem monaſticam abjecerunt, & Cellis ſuis valedixerunt. At brevi tempore deſæviit iſta tempeſtas. Sæculum X. A. C. 950.

§. XLII.

Concilium Auguſtanum.

Idem Fridericus Archiepiſcopus Moguntinus Concilio, jubente Rege Ottone, Auguſtæ, anno nongenteſimo quinquageſimo ſecundo, Regni ſui decimo ſexto, Indictione decima, die ſeptima menſis Auguſti, celebrato præfuit. Aderant Epiſcopi viginti quatuor tum ex Germania, tum ex Longobardia, quam Otto nuper in ſuam poteſtatem redegerat. Nam anno nongenteſimo quadrageſimo quinto Rex Hugo, Italis a ſe deficientibus, regnum qualecunque filio ſuo Lothario tradiderat, & comportatis ingentibus opibus in Provinciam ſe receperat, ubi e vivis abiit. Elapſo inde quadriennio, Lothario veneno (familiari Italorum indoli perfidia) e vivis ſublato, Berengarius interfecti æmulus Italia potitus eſt. At Adelhaidis mariti ſui Lotharii nece exacer- *to.* 9. *Conc. p.* 635.

Sæculum X. A. C. 952.

exacerbata Regem Ottonem, tunc etiam elata uxore viduum, ad opem ferendam vocavit, fœdere conjugali eidem conjungi cupiens. Venit Rex Adelhaidem, Berengario, & filio ejus Adalberto pulsis, conjugem accepit, atque latissimo Germaniæ Imperio Longobardiam adjunxit. Hoc Regni Germanorum in Italia initium fuit.

In fronte Concilii Augustani quatuor Archiepiscopi conspiciuntur, Fridericus Moguntinus, Heroldus Salisburgensis, seu Juvaviensis, Manasses Mediolanensis, qui plures Episcopatus tenebat, & Petrus Ravennas. Inter Episcopos eminebat S. Udalricus ejusdem Civitatis Augustanæ Antistes. Rex quoque Synodo interesse rogatus, & perhonorifice exceptus est. Surrexit de sede sua Archiepiscopus Moguntinus, & quæ statuta fuerant exposuit, rogans, ut ea Regia auctoritate fulciret. Quod Otto pro ferventi, quo Ecclesiam defendebat, zelo suo prolixe se facturum pollicitus est. In isto autem Concilio undecim Canones conditi. *Si quis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum uxorem accepit, vel ab ea* (*) *non abstinet, a sibi injun-*

Sup. §. 16.

c. I.

c. II.

(*) Videlicet, si uxorem ante susceptos Sacros Ordines habuit.

injuncto officio deponendus est. (*) *Nullus in Clericatus officio manens mulierem subintroductam secum habitare permittat. Si vero aliqua suspicionum maculis aspersa contra hæc agere tentaverit, ab Episcopo vel ejus Misso* (**) *virgis cæsa detondeatur. Clerici, quando ad maturiorem ætatem pervenerint, licet nolentes ad continentiam cogantur. Episcopi aut ceteri Clerici canes vel accipitres venandi amore non habeant. Aleis quoque non vacent. Monachi negotia fugiant. Iisdem extra claustrum sine licentia proprii Abbatis ire non liceat. Omnia Monasteria Episcopi Diœcesani curæ commissa sint. Clericis institutum monasticum amplecti volentibus aditus ab Episcopis nullatenus denegetur.* In hoc Concilio Decreta sæpe antiquorum Canonum auctoritate firmantur. Sæculum X. A.C. 952. c. 4. c. 11. c. 2. c. 3. c. 5.

In eodem Conventu præsentibus ex toto regno suo Proceribus Rex Otto Comitia celebravit. His Berengarius quoque *Cont. Regin. an.* 952.

(*) Ne vero quis crederet, novam hanc esse Constitutionem, addita sunt verba; Sicut in Concilio Carthaginensi tenetur Cap. XXV. Ex hujusmodi Decretis Synodalibus antiquis & novis quorumdam Protestantium cavillationes egregie refutantur.

(**) Nempe, ille, cui Episcopus hanc Provinciam commiserit.

Sæculum X. A. C. 953.

que cum filio suo intererat, quem cum se Regis Germaniæ Vasallum professus fuisset, Otto Italiæ regendæ præfecit. Ille vero, ut ante adsueverat, ibidem Episcopos Optimatesque vexavit.

§. XLIII.

S. Bruno Archiepiscopus Colonienſis.

vit. ap. Sur. 2. Oct. p. 785. Mabill. Sæc. 5. p. 331. vit. c. 4.

Anno sequente nongentesimo quinquagesimo tertio Bruno, Regis Ottonis frater, Archiepiscopus Colonienſis electus est, præcipuum Ecclesiæ Germanicæ ornamentum. Is quadriennis Walderico Episcopo Ultrajectenſi erudiendus traditus, postquam prima grammaticæ elementa didicisset, Prudentii Poëma legere jussus est, quo adolescens mire delectabatur. Tum etiam Scriptores classicos omnes Græcos Latinosque pervolvit. Non eum divitiæ, non hominum frequentia a literarum studiis retrahere poterant, & tanto amore in libros ferebatur, ut vehementissime offenderetur, si quis eos negligenter tractasset aut aliquam paginam corrupisset. Ubi Otto, frater, Germaniæ Solium conscendit, ab eo vocatus ad Regiam, singulare omnibus Doctrinæ virtutisque Exemplar extitit. Tunc iterum septem liberalibus artibus renovato fervore operam dedit, Historiæ Scriptores, Oratores, Poetas, Philosophos in societate doctissimorum viro-

virorum Græcorum Latinorumque, quibus non nunquam pro Interprete erat, manibus trivit, Rege fratre quandoque eruditissimas dissertationes auscultante. Israel Episcopus Scotus, quo etiam Magistro usus est, ubi de Brunone sermo incidebat, Sanctum appellare solebat. Græci, quos præceptores advocabat, præclaras ejus dotes admirabantur, & ad suos reversi virtutem singularem deprædicabant. Sæculum X. A. C. 953.

Bruno quacunque pressos calamitate, frequentissime ad se confugientes juvabat, neutiquam dimittens librorum curam. Componebat, dictabat, linguæ Latinæ elegantiam excolebat, ejusque amorem aliis insinuabat, sine fastu, comitatem morumque gravitatem conjungens. Etiam sumpto prandio lectioni & meditationi intentus erat, & solicite cavebat, ne aliqua pars temporis matutini labore careret. Attente legebat etiam Comœdias, ad stilum solum, non autem ad materiam advertens. Porro quia Rex Frater ex uno civitate in aliam migrabat, ipse quocunque proficiscebatur, Bibliothecam suam deferri jubebat, in itinere etiam libris intentus, & in mediis turbis otio literario vacans. Divinis officiis devotissimo animo intererat, cumque quadam die sub Missæ Solemnia Henricum fratrem suum cum Conrado, c. 8.

Duce

Sæculum X. A. C. 953.

Duce Lotharingiæ, confabulantem conſpexiſſet, prædixit, intempeſtivam eorum amicitiam funeſtarum rixarum cauſam fore. Illa tempeſtate probi omnes ſive Epiſcopi ſive ſæculares, quicunque Religionis cultum florere cupiebant, præſidium in Brunone quærebant, & nihil eximium ſe niſi ipſo approbante effecturos exiſtimabant.

c. 9.

Prima rudimenta Regiminis Eccleſiaſtici poſuit Bruno, cum præfuit quibusdam monaſteriis, ſibi adhuc juveni collatis. Qua poteſtate ipſe uſus eſt ad regulæ obſervantiam reducendam nolentibus volentibus monachis. Sed & iisdem antiqua privilegia Fratris Regis auctoritate reſtitui curavit; ſibi vero ſuisve nullam aliam redituum partem vindicavit, niſi quam monaſteriorum Præpoſiti ultro obtulerant. Inter illa Monaſteria numerabatur Lauresheimenſe, quod olim Rex Henricus cuidam Principi importune illud ſibi expetenti denegaverat. Nam cum in bello, quod ſub regni auſpicia Henrico Dux Lotharingiæ Giſelbertus viribus Regis Franciæ ſuffultus inferre audebat, quidam Comes potentiſſimus adductis multis militibus, ex feudis ſuis collectis, non ignarus Regem a compluribus proceribus deſeri, faventem occaſionem nactus eſſe ſibi videretur, miſit quosdam de ſuis, qui Abbatiam Laures-

Henrici Regis Pietas.

Luitpr. IV. hiſt. c. 15.

heimen-

heimenſem ipſi concedi poſtularent, cujus pingues reditus ad alendam copiarum partem adhiberet. Reſpondit Rex; præſenti ſe reſponſum daturum. Ille ratus, effectum eſſe, quod ſperabat, celeriter ad Regem advehitur, cui Henricus in conſpectu omnium circumſtantium: *Monaſteriorum Bona ad ſuſtentandos milites deſtinata non ſunt. Ceterum cum gratiam, iſto belli tempore, petis, minanti quam roganti propior es. Quare ſcias velim, me tibi nec monaſterium nec quamcumque rem aliam collaturum. Si vero cum ceteris fidei mihi datæ Sacramentum violantibus domum abire vis, miſſionem facio.* Tunc Comes pudorem non ferens, Regisque pedibus advolutus, culpam confeſſus eſt. Sæculum X. A. C. 953.

Wicfrido Archiepiſcopo Colonienſi anno nongenteſimo quinquageſimo tertio fatis functo, Clerici, Nobiles, totusque populus cupiebant, ut ipſi Bruno ſuccederet. Cujus juventutem venerabilem efficiebat morum gravitas, Natalium ſplendorem humilitas & lenitas, Scientiam vero, quæ inflare ſolet, ſapientia & modeſtia temperabant, divitias immenſas non ad avaritiam ſatiandam, ſed ad inopes ſublevandos impendebat. Ergò una omnium voce eligitur; illudque ſolum ſolicitos tenebat, ne oblata dignitas tanto Principe minor

Sæculum X. A. C. 953.

videretur. Electio, ut mos ferebat, facta est, antequam Anteceſſor tumulo inferretur, miſſique ad Regem Ottonem Delegati quatuor ex Clericis Cathedralibus, & quatuor Laici, qui ipſius conſenſum peterent. Dedit Otto, fratremque ſuum Brunonem protinus Coloniam dimiſit. Ubi omnibus ſummam lætitiam
c. 12. profitentibus excipitur, Epiſcopus ordinatur, & throno Epiſcopali imponitur. Rex autem ei Regnum Lotharii adminiſtrandum commiſit.
c. 19. Archiepiſcopi vero Brunonis primæ curæ fuerunt, concordiam inter omnes Congregationes ad Sedem ſuam pertinentes ſtabilire, luxum in veſtimentis & varietatem ad modeſtiæ limites reducere, & præcipere, ut decus & Majeſtas, quantum fieri poſſet, in celebrando Divino officio ſervaretur.

§. XLIV.

Ratherius Epiſcopus Leodienſis.

Folcuin. c. 21. Sup. §. 6. Mabill. Sæc. 5. p. 479. Rath. ep. ad Jo. Pap.

Inter hæc, cum Eccleſia Leodienſis vacaret, eam Bruno Archiepiſcopus contulit Ratherio, Verona expulſo, cujus vita altius nobis repetenda. Hugone Rege Italiæ, ipſius perſecutore, anno nongenteſimo quadrageſimo quinto ex Italia ejecto, Ratherius e carcere liberatur, rurſusque a Berengario in Italia dominante, urgente Manaſſe Archiepiſcopo Mediolanenſi, cuſtodiæ traditur. Tribus

bus menſibus & dimidio in carcere detentus Ratherius Veronam deducitur, ubi Milo in ejus locum intruſus & Epiſcopus ordinatus venientem ſimulata amicitia excepit, ut Manaſſem ſua laterent conſilia; timebat enim, ne Regem Hugonem revocaret. Ceterum quamvis Milo Ratherium pro legitimo Epiſcopo Veronenſi ſe habere fingeret, eidem tamen in omnibus adverſabatur; nam contra ipſum Clericis, Colonis & famulis Eccleſiæ patrocinabatur. Ratherius nec Synodum agere, nec Capitulo Clericorum intereſſe, quidquam ſtatuere, aut, quod emendandum erat, commemorare audebat, usque adeo vilipenſus, ut, cum quadam die Ordinem conferret, Archidiaconus cum omni Clero exiens ipſum ſolum in illa Eccleſia reliquerit, & ad aliam proceſſerit. Tandem Manaſſes Archiepiſcopus quemdam Clericum Diœceſis ſuæ Arelatenſis (*) Epiſcopum Veronenſem ordinavit. Milo autem horum omnium incentor & auctor Ratherii tamen Tutor videri & dici ambiebat; unde eum plerique in Regno Longobardiæ Ratherio amiciſſimum æſtimabant.

Sæculum X. A. C. 953.

Biennio hanc perſecutionem toleravit Ratherius, pejora quam olim a Rege

(*) Manaſſes plures Epiſcopatus invaſerat, Regis Hugonis Conſanguineus.

Sæculum X. A. C. 953. Hugone sustinens, sed gregem suum deserere, more mercenarii, verebatur. Cum quadam die adest missus a Rege Lothario, præcipiente, ut urbe decedens daret locum Manassi, Sedem ipsius invadenti, qui jam prius tot alias tenebat. Suis verbis adjici jusserat Rex: *Amplectere amicum, quod suggero, consilium, ne Milonis dolo vel mutileris vel interficiaris, vel certe comprehensus abducaris, quo minime velles.* Ergo Ratherius relicta Civitate Veronensi in Provinciam concessit, & diversatus est in domo cujusdam nobilissimi viri, cujus filium, nomine Rostagnum, literis informavit. In ejusdem gratiam scripsit Grammaticam cum titulo, *Serva dorsum*, indicare volens, pueros tergum a virgarum plagis liberaturos, si ea diligenter uterentur. Ob istud officium Ratherius quodam Episcopatu in Provincia honoratus est; sed ipse ad Lobiensem Abbatiam circa annum 941. redire maluit.

Folcui. c. 20. *c.* 22.

Eum a Richario tunc temporis Leodiensi Episcopo benigne exceptum haud diu post Rex Otto ad erudiendum fratrem suum Brunonem advocavit. Tunc vero in Regia Ratherius Eruditorum virorum Princeps habebatur, crediditque Bruno tanta esse Magistri sui merita, ut defuncto Faraberto, anno nongentesimo quinquagesimo tertio, in Sedem Leodien-

c. 22.

sem

sem evehendus esset, eo fere tempore, quo ipse Archiepiscopus Colonienſis ordinatus est. Præterea Ratherius, vir doctus & eloquens, non solum Ecclesiæ Leodienſi, sed etiam compluribus aliis in vicinia positis utilissimus futurus videbatur, nam in illis partibus quidam Episcopi, potentia sæculari freti suis dissensionibus populis scandalo erant. Unde sperabat Bruno, eum tanto beneficio devinctum Principi in perpetuum adhæsurum, cumque vitam duceret ad Sanctitatem compositam, materiam calumniatoribus subtractum iri. Sed Ratherium illa dote, qua Subditorum amor Præpositis conciliatur, destitutum, populus Leodienſis aversatus, & vehementer persecutus est. Tandem, cum Festum Nativitatis Domini in Abbatia Lobienſi magnifice celebraret, sæva in eum seditione commota, Bruno, quamvis in illo principatu potestate sæculari gauderet, coactus est amovere Ratherium, ut temporum necessitati cederet. Tunc autem Waldericum nobili prosapia illius regionis natum ad Cathedram Leodienſem evexit, cum volveretur annus a reparata Salute nongentesimus quinquagesimus sextus.

Sæculum X. A. C. 953.

vit. Brun. c. 38. Folcuin. c. 23.

Sæculum X.
A. C. 954.

§. XLV.

S. Udalricus Auguſtæ præſidium.

Regin. Cont. Herm. &c. vit. S. Udal. c. 10. Sæc. 5. Act. Ben. p. 436. c. 12.

Cum Anno nongenteſimo quinquageſimo tertio Ludolphus Regis Ottonis filius, ex primo toro natus, ſeditioſus in patrem, bellum civile in Germania excitaſſet, illo turbine Bavaria maxime involuta, & civitas Auguſtana expilata. At S. Udalricus ibidem Epiſcopus, quamvis rebellibus inferior eſſet viribus, ad ultima Regi Ottoni datam fidem ſervavit. Jamque hinc patris inde filii hoſtiles exercitus in conſpectu erant, jam pugnæ locum delegerant, cum S. Præſul, ſocium adhibens Harbertum Epiſcopum Curienſem, ad armatos egreditur, hortaturque ad pacem, ſucceſſu adeo felici, ut quod optabat perſuaſerit, anno nongenteſimo quinquageſimo quarto.

Anno ſequente Hungari exercitu innumerabili Germaniam inundant, & cunctas Danubii oras usque ad Silvam nigram devaſtant. Auguſtam obſidentibus, illa tempeſtate imis muris ſine turribus circumdatam, S. Epiſcopus cum præſidiariis propugnavit; nam ſatis multas ex Vaſallis ſuis collectas, & bello exercitatiſſimas cohortes, intus habebat. Quadam die erumpentes per unam portam civitatis hoſtes propulſarunt præſente Epiſcopo, qui ſola ſtola indutus non

non clypeo, non lorica aut galea munitus, jaculis & lapidibus circa eum volantibus, intactus tamen & illæsus evasit. Post conflictum, cum munitiones reparari jussisset, totum noctis spatium in oratione perseverans, congregatis religiosis mulieribus, præcepit, ut dividerentur, & una pars earum cum Crucibus ad Deum devote clamantes intra muros civitatis circumiret, altera in pavimento Ecclesiæ prostrata S. Dei Genitricis clementiam flagitaret. Infantulos quoque urbis universos, ab uberibus matrum raptos, juxta se coram Altaribus nuda terra jactari jussit, ut & ipsi suo vagitu Deum placarent. Sæculum X. A. C. 955.

Tum, postquam brevissimam requiem corpori indulsisset, irrumpente aurora, Salutaris Sacrificii hostiam Deo libavit, omnesque Sacro Viatico recreatos humili admonitione hortatus est, ut spem suam in solo Domino ponerent. Cum jubar solis tellurem irradiaret, Hungaris scalas muris admoventibus, nunciatur Regi eorum, Regem Ottonem imminere. Ergo civitate interim dimissa in eum convertitur, nullus dubitans, si Regem superasset, Augustanos victori resistere non ausuros. Tunc vero Udalricus Episcopus, Comes Tietbaldus ejus Frater, & complures alii, noctu e civitate excedentes in Regis Ottonis castra

Sæculum X. A. C. 955.

se conferunt, qui ut Cœli favorem sibi conciliaret, in terra coram Deo prostratus & maximum peccatorem se professus, votum edidit, Episcopatum Merseburgensem se erecturum, si Divinum Numen sibi victoriam concederet. Mox surgens Missæ interfuit, & de manu S. Episcopi, quem a Confessionibus habebat, Sacram Communionem accepit. Paulo post totum exercitum effudit in Barbaros, quos tanta strage, quanta ante ipsum nemo, profligavit. Hæc victoria in Festo S. Laurentii, decima Augusti, anno 955. reportata.

Ditmar. l. 2. p. 17. Frod. Chr. an. 955.

§. XLVI.

S. Udalrici vitæ Ratio.

Ab obitu Henrici Aucupis S. Udalricus Regiam non adibat, nec milites pro Regis arbitrio ad bellum procedentes ipse ducebat, hoc onere in Adalberonem nepotem suum translato. Unde totum se se operibus spiritualibus dabat; hanc potissimum vitæ rationem tenens. Quotidie officium Divinum cum Clericis Ecclesiæ suæ Cathedralis recitabat, tum officium Beatæ Virginis, Sanctæ Crucis, & tertium de omnibus Sanctis, præter plures alios Psalmos & Psalterium, quod, ubi per negotia licebat, singulis diebus totum orabat. Item singulis diebus

vit. c. 3. n. 13.

unam

unam, duas tresve Missas, ut tempus suppetebat, celebrare solebat. Sæculum X. A. C. 955.

Consuetudines Monasticas nunquam abjecit, in storea dormiens, lineo vestimento non utens, & a carnibus abstinens, licet eas abundanter pro convivis suis mensæ inferri juberet. Primi cibi, quos ministrabant famuli, maximam partem, ipso jubente, pauperibus distribuebantur. Præterea infirmos omnis generis solicite singulis diebus, se inspectante, nutriri curabat. Hospites advenientes omnes præsertim Clericos, Monachos, Sanctimoniales comiter & jucunde suscipiebat. Curam maximam gerebat, ut Clerici sui pie educarentur & instruerentur. Magna patientia Servorum provinciæ suæ querelas, quas sive contra Dominos suos, ipsius Episcopi Vasallos, sive contra conservos afferebant, audiebat, & quod justum videbatur, invincibili constantia decernebat. Nunquam S. Udalrico subrepsit otium, vel enim Canonicos & Scholam visitabat, vel familiæ annonam providebat, vel reparabat, decorabatque Ecclesiam suam, vel civitatem adversus continuos incursus Hungarorum muniebat.

Auctor vitæ S. Udalrici scribens ea, quæ suis oculis vidit, morem, quem per Quadragesimam servabat, prolixe commemorat, mihique sequentia notatu di- c. 4.

Sæculum X. A. C. 955.

gna videntur. Singulis diebus in quadrageſima decantatis Veſperis antequam ad menſam pranſurus conſideret, duodecim pauperum pedes lavabat. Tribus primis diebus Hebdomadæ Majoris primum Synodale Colloquium habere conſuevit, quod quarta Dominica poſt Paſcha celebrandum fuiſſet; nam Canones bis in anno Epiſcoporum Concilia haberi præcipiebant, primum poſt Paſcha, & alterum decima quinta Octobris. In Cœna Domini, in Paraſceve, & Sabbato Sancto omnis populus com-

n. 23. municabat, & Corpus Domini Noſtri in ſyndone, lapide ſuperimpoſito, (*) in alia Eccleſia ſervabatur, unde in die Paſchæ ſolemni pompa ad Eccleſiam Ca-

S. Udalricus. thedralem referebatur. In Paraſceve Epiſcopo menſa non ſternebatur, ſed ho-

n. 21. ra veſpertina in ſuo cubiculo pane & cereviſia recreabatur, quod etiam illis, qui cum ipſo erant, præberi jubebat. Balneo ter tantum in Quadrageſima, Sabbato primo, in media Quadrageſima & Sabbato Sancto utebatur; quo die poſt Benedi-

(*) Quo JEſu Chriſti Sepulchrum ſignificabatur. Ex his cognoſcere deberent Domini Proteſtantes Auguſtani, quam antiquam fidem & conſuetudines veneratione dignas circa Sanctiſſimum JEſu Chriſti Corpus a Novatoribus decepti abjecerint.

nedictionem fontium tres pueros baptizabat, & peractis Solemniis mensa apposita ad refectionem cum magna multitudine considebat. In Festo Resurrectionis post Benedictionem mensæ omnibus dispensabat carnes agni, & particulas lardi, inter Missarum Solemnia benedicti, secundum formulam, quæ adhuc dum in antiquis Sacramentariis legitur. Soluto prandio cantabantur tria Responsoria & lætanter porrigebantur pocula; quod *charitatem bibere* dicebatur. *V. Cang. Gloss.*

Sæculum X. A. C. 955.

Ceterum statutis temporibus S. Udalricus Diœcesim suam (*) visitabat, iter faciens

(*) In vita S. Udalrici Sæc. V. Ben. istud legitur: *Finita Paschali Solemnitate, cum alicujus rei necessitas poposciſſet, ut ad alia loca vel ad monasteria pertinentia ad Episcopatum legitime pergere debuiſſet Wthinuvanc, Staphense, Fauces, Wiſſinteſteiga, Heuvibach, quæ nunquam in Beneficium Laicorum conceſſit, niſi de exterioribus locis ad eadem monasteria pertinentibus alicui de iſto pago, in quo monasterium ſitum eſt, conceſſiſſet, ut ibi Advocatum monasterii habere potuiſſet, ut Eccleſiaſticæ ab eo res defenderentur &c.* Fauces, sine dubio indicant Monasterium S. Magni, quod hodie floret, atque ad fauces Julias, vulgo Füssen dicitur. *Staphense* vero, quæ vox in eadem vita S. Udalrici N. 66. iterum recurrit: *Nuntius autem cum reverteretur, invenit Episcopum in loco, qui dicitur*

Sæculum X. A.C. 955.

faciens in vehiculo, bobus juncto, (*) non ideo, quod forsan infirmus, si equo veheretur, jactationem non ferret, sed ut

---

tur Staphense, hodie *Staphelsée*, tunc temporis Monasterium fuisse colligitur. In Historia Frisingensi, R. P. Caroli Meichelbeck Benedictoburani præclaro opere, hæc leguntur Parte I, p. 169. Edit Aug 1724. *Procubuere* (Hungaris grassantibus) *ex tantis calamitatibus præcipua Ordinis nostri per Bojariam monasteria Altacha utraque, inferior scilicet ac superior, Chiemense, Cochelseense .... Pollinganum, Scheftlariense, Schlechdorffense .... STAFFELSEENSE, Tegernseense .... Wessofontanum ac plura alia.* Et infra: *Interea ex supra enumeratis monasteriis quædam equidem posteris temporibus, piorum Fidelium Principum scilicet atque aliorum opera Instituto nostro Monastico fuere restituta, quædam vero in aliorum usus conversa; aliqua e ruinis suis nondum emersere. Decessere Ordini nostro ex ea Clade in hodiernum usque diem Monasteria Chiemense.... Pollinganum, Schefftlariense, Schlechdorffense .... &c. Extincta manent Cochelseense, STAFFELSEENSE, quæ tamen conversa fuere in Ecclesias Parochiales, quarum Cochelseensis .... Monasterio Benedictoburano, Staffelseensis Monasterio Ettalensi hodie subjectæ sunt.*

(*) Ipsa verba Scriptoris vitæ S. Udalrici sunt: *Sedebat itaque in Solio super carpentum compositu*

ut commodius soli Capellano colloqui, & Psalmos decantare posset. Proficiscentem vero semper comitabantur Presbyteri, aliique Clerici, Laici ex numero Vasallorum ipsius, servi ex ejus familia delecti, & pauperes, quibus S. Episcopus omnia necessaria largiter suppeditabat. Ipse ubique verbum Dei prædicabat, querelas afferentes audiebat, locorum Presbyteros examinabat, Confirmationem conferebat, quibus laboribus occupatus, non nunquam diem nocti jungebat, ne rebus infectis populum dimitteret. Hoc vitæ institutum S. Udalricus tenebat. Sæculum X. A. C. 955.

§. XLVII.

Ecclesia Hispaniæ.

In Hispania Ordognus III. Rex Legionensis anno nongentesimo quinquagesimo quinto e vita migravit, postquam annis quinque & septem mensibus regnasset. Is, dimissa uxore Uraca, Elviram duxerat, ex qua filium susceperat, nomine Bermundum; sed cum per ætatem *Sup. §. 10.* *Sampir. p. 68.* *p. 69.* *Sup. l. LIV. §. 54.*

posito de humerulis plaustri in ferro pendente & cum eo unus Clericus de Capellanis ejus, qui cum eo totos dies Psalmos decantasset. Non ideo quando in primis tali modo pergere cœpit, nisi (quod non) adhuc caballicare potuisset, sed ut a populis sequestraretur &c.

Sæculum X. A. C. 955.

ætatem defuncto patre regnare non posset, Sanctius crassus ejus patruus Rex salutatur, qui annis duodecim Solium tenuit. Velascum Episcopum Legionensem additis Legatis aliis Cordubam misit, ubi de pace ageret, & corpus S. Pelagii, anno 924. Martyrium passi, repeteret.

His Regibus in Hispania imperantibus, Dulquitus Abbas Alveldæ, quod Monasterium Sanctius Rex Navarræ anno nongentesimo vigesimo quarto prope civitatem Locronienſem fundaverat, in compluribus monasteriis Monachos plus quam ducentos regebat. Cumque Godescalcus Episcopus Anicienſis in Velaunis peregrinatione ad S. Jacobum in Galæcia suscepta ad monasterium Hildense, etiam Dulquiti curæ commissum, divertisset, ab eo exemplar Libri S. Ildephonsi Toletani de Virginitate Mariæ descriptum obtinuit, quod a quodam Presbytero Monasterii Gomesani exaratum, Godescalcus Episcopus Mense Januarii Æra 989. seu anno 951. secum abstulit.

Mabill. Sæc. 5. Act. p. 297.

to. 3. Act. B. p. 477.

Sup. lib. XXXIX. §. 40.

Dulquitus Successorem habuit Salvum seu Salvium Abbatem Alveldensem, virum doctum & facundum, qui Regulam Sanctimonialibus scripsit; unde videmus, ipsum feminis etiam præfuisse. Idem composuit Hymnos, Orationes, & Missas, stilo teneram devotionem inspirante.

rante. Parvus erat corpore & infirma valetudine, sed excitato ingenio, sibi conversantibus admodum jucundus, scientia clarus & virtutibus illustrior. Obiit regnante Garzia I. Rege Arragoniæ, & sedente Theodemiro Episcopo Najarensi, decima Febr. Æra millesima, seu anno Salutis nongentesimo sexagesimo secundo. Inter Salvi Abbatis Discipulos præ ceteris memorabiles occurrunt, quidam Episcopus nomine Velascus, & Vigila monachus, qui Volumen Concilia sexaginta & unum, Decretales centum, & quædam alia Opera complexum scripsit. Sæculum X. A. C. 955.

§. XLVIII.

Joannis Gorziensis Legatio.

Musulmannorum in Hispania Dominus Abderamus cognomento *Almounacer-Ledinilla*, illi genti annis quinquaginta, videlicet ab anno Hegiræ trecentesimo, JEsu Christi nongentesimo duodecimo, usque ad annum trecentesimum quinquagesimum, seu nongentesimum sexagesimum secundum, imperans, primos regni sui annos viginti bellum gerendo, & sequentes triginta in pace transegit. Cum anno nongentesimo quinquagesimo quinto ad Ottonem Regem Germaniæ Legationem adornasset, cujus princeps erat quidam Episcopus; is ma-

Roder. hist. Arab. c. 30. Vitic. vit. S. Joa. Gorz. n. 115. Sæc. 5. p. 404.

Sæculum X. A. C. 955.

is maximi honoris signis exceptus diuque detentus in Regia Ottonis mortem oppetiit. Tunc deliberari cœptum, quis pro defuncto in Hispaniam ad reddendas Abderamo Responsorias mittendus esset; nam etsi Barbarus in literis suis, cupere se Ottonis amicitia frui, professus fuisset, non nullas tamen voces Religioni Christianæ contumeliosas apposuerat. Unde statutum, ut viri sapientes mitterentur, qui talia, quæ literis Ottonis deesse viderentur, viva voce adjicerent, & si forte Deus viam aperiret, etiam Principem infidelem converterent.

Tunc temporis Adalbero Episcopus Metensis in Regia versabatur, & Brunoni Archiepiscopo Regis fratri, consiliorum omnium conscio visum, aptiorem Adalberone neminem fore, qui viros huic Legationi suscipiendæ pares daret. Episcopus Abbatem Gorziensem consuluit, isque duos ex numero monachorum suorum daturum se promisit; cum vero istorum alter mitti non potuisset, Joannes Vinderiensis (*) ausu generoso, abſentis vices subiturus, se ipsum obtulit, Rege propositum approbante. Cum Barcenonem perveniissent, cum sociis & famu-

Sup. §. 26.

(*) Scilicet, Vinderiensis dicebatur a patria, Gorziensis a suo monasterio, cui deinde, incertum quo anno, Abbas præfectus est.

famulis, per quatuordecim dies expectarunt, dum redirent, quos Tertosam, proximam Ditionis Musulmannorum urbem, ad indicandum adventum suum miserant. Illico urbis Præfectus renunciari jubet, celeriter venirent. Tumque benigne exceptis omnia quidem necessaria abunde contulit, sed per mensem integrum detinuit, donec Sultanus mandata misisset, ut proficiscentes ubique humanissime haberentur. Ubi Cordubam pervenerunt, Abderami Sedem, pro diversorio hospitibus datur domus, duobus millibus a Palatio Regio posita, ubi optime habiti, sed iterum multis diebus expectare jussi. Sæculum X. A. C. 955.

Quærentibus, cur tot moræ necterentur, qui ipsis ab obsequiis dati erant, responderunt; Legatos Abderami ad Ottonem tribus annis fuisse detentos, hinc ipsis plus duplo, id est, novem annis, jure merito esse expectandum, prius quam Abderami vultum viderent. Interim ex Palatio veniebant subornati, qui itineris eorum causam sciscitarentur. Sed quamcunque barbari adhiberent industriam, nihil responsi a Christianis elicere poterant, quam exposituros se Regi accepta mandata, quæ aliis aperire sibi non liceret. Dixerunt Arabes: *Explorata nobis sunt omnia. Epistolas affertis Religioni nostræ adversas. In summo*

Sæculum X. A. C. 955.

vitæ periculo versamini; nihil enim eorum, quæ continent, Regem latet. Et vera quidem indicabant Mahometani; quippe quidam Presbyter Episcopum Hispanum ab Abderamo in Germaniam missum comitatus, cum Francis deinde in Hispaniam rediens, improba solertia Ottonis Regis literas descripserat, tumque celeriter, priusquam Legati adveniret, Cordubam delatus, earum exemplar in Regia exhibuerat.

Audiebant Franci, apud Musulmannos Regem æque ac populum legibus subjectum esse; quarum prima vetabatur, ne quis eorum Religionem verbis lædere auderet. Si quis extraneus os in potestate non habuisset, protinus morte pœnas dare cogebatur. Si Rex audivisset, & blasphemum punire in alterum diem distulisset, ipse etiam morte afficiebatur. Ergo Abderamus rumore harum literarum, quarum materiam perbene noverat, increbrescente, sibi timens, misit ad Francorum Legatos Judæum, nomine *Hasdeu*, qui Joannem allocutus, huic enim mandata Regis sui commissa sciebant omnes, metum ponere rogavit, dicens, nihil adversi esse passuros, sed honorifice in patriam redeundi potestatem habituros. Complura monita adjecit, docens, quibus moribus Saraceni viverent, & qua potissimum ratione ipsorum animi

Legatio Ottonis ad Abderamum.

animi tractari deberent. Legati juvenes, quos in sua familia haberent, solicite in officio continerent, ne facto verbove quemquam lacesserent, cuncta enim protinus ad Regem deferri. Maxime vero a feminarum illecebris sibi caverent. Tandem nihil, ultra quam præscriptum fuisset, agerent. Joannes Legatus gratias egit pro monitis sibi bona fide datis, & Judæus quibusdam sermonibus interjectis sensim ad rei summam delapsus quæsivit, quæ Legationis causa esset. Joannes tandem, quid in epistola contineretur, summatim pandit. Respondet Judæus: *Hanc Regi tradere, res est plena periculo. Caute etiam illis responde, quos suo nomine ad te mittet, non enim puto te ignorare, quanto rigore Lex a Musulmannis servetur.* Sæculum X. A. C. 955.

Post aliquot menses Episcopus quidam Joannes ad eos missus est, qui mandatum Regis significavit, ut cum muneribus solummodo in conspectum ipsius venirent. *Quid ergo*, Joannes ait, *de Literis Domini mei fiet? nonne earum maxime causa missus sum, atque ad refutandas blasphemias, quas Rex vester in suis epistolis præmisit?* Episcopus: *Cedendum est tempori, & conditioni, quæ ob peccata nostra miserrima est. Resistere Potestatibus Apostoli verbis prohibemur, idque nobis superest solatii, quod in tantæ*

Sæculum X. A. C. 955.

calamitatis malo legibus propriis uti li-ceat. Quin Arabes magni faciunt illos Christianos, quos in fide Christi constantes vident, & nobiscum cibum sumere minime respuunt, qui Judæorum contubernium & mensam vehementer horrent. Regulam itaque servamus, ut si nulla Religionis sit jactura, cetera eis obsequamur. Unde satius tibi erit nunc epistolam illam premere, quam nulla instante necessitate tibi tuisque calamitatem concitare. Cui Joannes subiratus, *alium*, inquit, *quam te, qui videris Episcopus, cujus est Fidem docere & defendere, hæc proferre decuerat. Melius omnino est, hominem Christianum gravem famem pati, quam non sine aliorum scandalo Gentilium commensalem esse. Ceterum, audio, quod cunctifideles abominantur, vos ritu eorum circumcidi, atque in eorum gratiam cibis quibusdam abstinere contra præceptum Apostoli.* At ille, *necessitas*, inquit, *nos constringit. Nam alias copia non erit inter eos degendi; & ista a Majoribus nostris tradita accepimus. Nunquam*, reposuit Joannes, *mihi probabuntur, qui metu vel favore hominum impellente Apostolorum Constitutiones violant. Et quia fateris, me jam hujus legis necessitate non premi, statui, a mandatis Regis* (*) *Domini*

Gal. 5, 2. 1. Tim. 4, 3.

(*) Advertendum, quod in ipsa vita paulo supe-

mini mei nec latum unguem discedere. Itaque non subibo conspectum Regis vestri sine Epistola mei. Nec ex ea unum apicem delebo. Sed & si Abderamus in Fidem Catholicam convicia vomat, in faciem regeram; nec amore vitæ Religionem prodam. Sæculum X. A.C. 955.

§. XLIX.

Quæ in ea Legatione secuta sint.

Hæc Regi Abderamo clam nunciantur. Qui cum esset mortalium callidissimus, nihil non egit, quo Legati constantiam labefactaret. Cui non nisi diebus Dominicis & Festis præcipuis ad Ecclesiam, ædibus ejus proximam S. Martino Sacram, procedere licebat, duodecim custodibus deducentibus. Quadam vero Dominica in eam Ecclesiam pergenti porrigitur Regis epistola, in qua præter alias plurimas comminationes legebatur:

superius legatur: *Quid autem, Joannes ait, de Literis IMPERATORIIS.* Ubi Fleurius vertit: *De literis Domini mei.* Hic vero legitur: *Quod nullo terrore, allectione vel gratia ab his quæ Imperatoriis suscepi mandatis deflectar. Nam nec sine Epistola Imperatoria &c.* Itaque Otto a suis Legatis *Imperator* appellabatur, ut non æqualis modo, sed etiam Titulo, Potestate & Majestate Barbaro principe major dignosceretur.

Sæculum X. A. C. 955.

tur: *Si ad necem tibi inferendam me compellis, nullum in tota Hiſpania Chriſtianum vivere ſinam. Cogita igitur quot animarum interfectarum reus apud Deum futurus ſis, ſi tua contumacia perierint.* Reſpondit Joannes, *data epiſtola, fieri haud poſſe, ut quidquam ſe a fide Principi ſuo debita deducat. Quod ſi,* inquiebat, *membratim me concidi jubeas, atque hac die digitum, altera alium, tertia brachium, tum pedem, tum crus, & ita reliqua ſingulis diebus amputari, intrepide perferam. Si vero ceteros Chriſtianos in meam cauſam tractos interfeceris, non mihi, ſed tuæ ſævitiæ reatum tantæ ſtragis imputabit Deus, nobis autem meliorem vitam donabit.*

His ad Regem perlatis non modo non excanduit, ſed mitigatus etiam (non enim Ottonis potentia ipſum latebat, nec hoſtem formidandum ad iracundiam provocare audebat) Joanni ſignificari jubet; ipſe, quid facto opus eſſet, ediceret. Joannes: *Tandem ſapientiore conſilio rem tractatis. Si mox ab initio id quæſiviſſetis, quantum tædii nobis vobisque abſtuliſſetis? quanto tempori pepercisſetis? nunc facile eſt remedium. Mittat Rex veſter ad noſtrum*, qui interrogent, quid facere me jubeat. Sancte obediam.*

Abderami ingenium.

* ad Imperatorem noſtrum.

Condi-

Conditione accepta, quæri cœptum, quis longe profectionis laborem ſuſcipere incertamque fortunam experiri vellet, promiſitque Abderamus mercedem illi non modicam, qui negotium confeciſſet. Verſabatur in Regia Chriſtianus, nomine Recemundus, utriusque linguæ, Latinæ & Arabicæ gnarus, qui Libellos conquerentium vel poſtulantium Regi tradendos & Reſponſa concinnabat; nam omnia in Palatio ſcripto agebantur. Is igitur, cum ad obeundam hanc Legationem operam condiceret, & gratum id eſſet Regi, ad Joannem ſe conferens, Ottonis, totiusque Nationis ingenium moresque exquirebat. Eum Joannes ſolicitum eſſe vetuit, aut dubitare, quin ab illa gente peramice exciperetur, dixitque, literas ſe ei ad Abbatem ſuum deferendas commiſſurum. Tunc temporis vacabat in Hiſpania quædam Cathedralis Eccleſia, quam Recemundus præmii loco ſibi conferri petiit, & facile obtinuit. Unde ex Laico Epiſcopus ſubito evaſit. Sæculum X. A. C. 955.

Itaque Recemundus confecto duorum menſium & quatuordecim dierum itinere ad Abbatiam Gorzienſem perveniens, & cunctis lætitiam profitentibus exceptus, inde Metas commeavit, ubi eum Epiſcopus Adalbero humaniſſime habuit, dum ad Regis Ottonis alloquium

Sæculum X. A. C. 955.

admitti posset. Postquam vero Francofurti negotium sibi commissum Regi Ottoni exposuit, dilaudata Joannis Legati constantia, mittuntur ei literæ prioribus leniores cum mandatis, quibus epistolam primo sibi commissam dissimulare, & quacunque demum ratione posset, pacis & amicitiæ fœdera cum Abderamo pangere, quo Saracenorum latrocinia tandem reprimerentur, tum re confecta viam domum strenue repetere jubebatur. Cum Recemundus cum altero Ottonis Legato, cui nomen Dudo, Cordubam perveniisset, & in conspectum Abderami deduci petiisset, ille dixit, velle se antea prioris Legationis viros audire & Monachum illum pertinaciæ haud vulgaris hominem conspicere. Itaque post trium circiter annorum lapsum statutum, ut Joannes ad colloquium Abderami perveniret.

Urgebant Mauri, ut pro more illius gentis Joannes splendente vestitu ornatus Regium obtutum subiret, cumque ipse renueret, credidit Rex, pauperi monacho facultates deesse, quibus vestem pretiosam sibi compararet, ideoque ei decem libras nummorum misit. Hos Joannes quidem accepit (quos nempe pauperibus distribueret) gratias munificentiæ Regiæ agens, addidit vero responsum, Monacho dignum, se vestem aliam

Joannes coram Abderamo.

aliam præter quam monasticam indue- Sæculum X.
re non posse. Quo ad Regem delato, A. C. 955.
constantem animum cognosco, inquit, *veniat, vel sacco tectus, videbo, & eo amplius mihi placebit.* Die præstituta Franci magno apparatu ad Palatium deducuntur, ubi inter multas cæremonias excepti, cubiculum Regis intrant, qui solus pretiosis tapetibus insidens, dextram interne osculandam, quod in illa gente maximus honor habetur, Joanni porrexit. Tum innuit, ut in sella parata acquiesceret. Postquam deinde de causa tot morarum quædam Rex præmisisset, Joannes allata Domini sui dona tradit, & statim dimitti rogat. Admiratus Abderamus dixit; tam repente non debere separari, qui tanto temporis spatio se mutuo expectassent. Cum alia die in conspectum Abderami secundo fuisset introductus, ille multa de potentia & bellis Regis Ottonis quæsivit, dicens se maximi facere hunc Principem; illud vero sibi non probari, quod potestatem Regiam uni debitam cum Principibus divideret. (*) Hic abrumpitur unicum Exemplar, quod de vita S. Joan-

(*) Ecce præclaram regnandi Regulam Romanorum Imperatoribus a Barbaro traditam! verum etiam Regibus sæpe non quod volunt, sed quod possunt, arripiendum est.

Sæculum X. A. C. 956.

nis Gorzienſis ſupereſt, eodem tempore a Joanne Metis ad S. Arnulphum Abbate ejus Diſcipulo, viro judicio & prudentia prædito, ſcripta.

Mabill. Sæc. V. p. 364.

Ex aliis vero Scriptoribus accepimus, Joannem ab hac Legatione reverſum Gorzienſi Monaſterio Abbatem circa annum 960. fuiſſe præfectum, atque anno 973. profeſſionis Monaſticæ quadrageſimo e vivis abiiſſe.

§. L.

Agapiti II. obitus. Joannes XII. Papa.

Frod. Chro. 954. v. Bar. 955.

Agapito II. Papa, poſtquam annis prope decem ſediſſet, anno nongenteſimo quinquageſimo ſexto, ad Superos evocato, & Patricio Alberico jam anno nongenteſimo quinquageſimo quarto fatis functo, cui filius Octavianus, etſi eſſet Clericus, in Romano Principatu ſucceſſerat, Romani eundem, juvenem non plus octodecim annos natum, impulerunt, ut Papa eligi vellet. Is ſe Joannem XII. vocari præcepit, Pontificum primus, qui nomen mutavit. (*) Cum igitur

Baro. ex MS. an. 957.

(*) Cardinalis Baronius ad an. 955. *Hic autem revera primus inventus, qui mutavit ſibi nomen, ut qui ex Octaviano voluerit nominari*

igitur Joannes Romæ & Papa esset & Princeps, anno sequente nongentesimo quinquagesimo septimo tum suis tum auxiliaribus ex Ducatu Spoletano copiis collectis ad castra processit contra Pandulphum Principem Capuanum, qui Gisulphi Principis Salernitani viribus adjutus adversum Joanni Papæ exercitum opposuit, atque ad propria redire coegit. Missis deinde Legatis Papa pacem petiit, qua sancita, etiam de fœderibus arctioris amicitiæ conventum. Sæculum X. A. C. 956.

§. LI.

Theophylacti obitus. Polyeuctus Patriarcha Constantinopolitanus.

Constantinopoli Theophylactus Patriarcha decessit e vita vigesima septima Februarii, Indictione decima quarta, Anno ab Orbe condito 6464. JEsu Christi nongentesimo quinquagesimo *Cod. p. 638. Sup. n. 12.*

nari Joannes, pro mutata non exuta tyrannide: nam qui dictus est a patre ob temporale Urbis Dominium Octavianus, ob Spirituale nomine Joannes appellari idcirco voluit, vel quod eo nomine ejus patruus Joannes XI. Papa sit appellatus, vel ut in nomine saltem bene posset audire in adulatoriis acclamationibus, quibus male usurpatum proferri soleret sacrum illud Elogium: Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes. Jo. 1.

Sæculum X. A. C. 956.

mo sexto, Pontificatus sui vigesimo tertio, ætatis circiter quadragesimo; nam annos natus sexdecim in hujus Sedis possessionem missus fuerat. Quamdiu sub pædagogis fuit, gravis videbatur & moderatus, sed cum ad maturiorem perveniisset ætatem, & suo arbitrio vivere licuisset, nihil eorum, quæ turpissima sunt & vetita, prætermisit, venales proponens Ecclesiasticos Ordines, & consecrationem Episcoporum. Venatione immodice delectabatur, & cupidine equorum insaniebat, quorum supra duo millia sibi comparasse dicitur. Iis vero alendis non fœnum aut hordeum, sed pinorum fructus, amygdala, pystaceas, dactylos, caricas, uvas passas, ficusque odoratissimo vino & aromatibus mixtas apponebat. Aliquando in Cœna Domini Missam celebranti, qui stabulis præfectus erat, significat, insignem illam equam, qua præstantiorem nullam aliam Patriarcha censebat, peperisse. Ipse gaudium non premens Sacrificio utcunque peracto, ad stabulum celerrime se confert, conspectoque recens nato pullo tandem ad magnum templum reliqua Divini Officii persoluturus redit. Ipsius etiam opus fuit, mos, qui diu viguit, nimirum Diebus Solemnibus in Ecclesiis indecora cantica recitare, corpus absurde contorquere, effuse ridere, saltare. Tandem

dem cum quadam die temere equitat, muro illisus sanguinem expuit. Ex hoc casu in extremum conjectus mortis periculum, vires tamen utcunque iterum recepit, sed nihil de vitæ ratione emendavit, namque Episcopatus vendidit, equos impense deperiit, vitam mollem & Episcopo indignam duxit. Postquam sic annos duos languisset, accedente Hydrope consumptus est. Sæculum X. A. C. 956. *Post Theoph. p. 276. n. 12.*

Successorem habuit Polyeuctum, Evnuchum, Constantinopoli natum & educatum, qui a teneris unguiculis institutum Monasticum consectatus omni virtute sanaque doctrina excelluit. Unde viri Scientiam singularem, pietatem & paupertatis amorem remuneraturus Constantinus Imperator eum ad Dignitatem Patriarchalem evexit. Ordinatus est vero die tertia Aprilis eodem anno nongentesimo quinquagesimo sexto a Basilio Archiepiscopo Cæsarienſi in Cappadocia, quod Nicephorus Archipræsul Heracleenſis, quia in quadam re animum Imperatoris offendisset, ei manus imponere, ut mos ferebat, prohibitus est. Hanc rem populus Imperatori, Archiepiscopo Cæsarienſi, & ipsi Patriarchæ Polyeucto vitio vertit, quod se modo contra Canones pugnante ordinari passus esset. Nam Byzantium in principio Episcopatus erat Ecclesiæ Heracleenſi sub-

Sæculum X. A. C. 956.

subjectus; ideoque postquam illa Ecclesia in Sedem Patriarchalem erecta est, Archiepiscopus Heracleensis jus Ordinandi retinuit. At Sede Heracleensi vacante Metropolitæ Cæsarienſi utpote Protothrono, id est, primæ Sedis Episcopo, Patriarcham Constantinopolitanum ordinare competebat. Quippe qui Exarchi dicebantur, antequam Sedes Constantinopolitana Dignitate Patriarchali augeretur, postea Protothroni habebantur.

Ced. p.640. Polyeuctus Patriarcha in sordidam avaritiam quorumdam Propinquorum Romani Senioris Imperatoris libertate Sacerdotali invehebatur. Quin Constantinum Imperatorem in Sabbato Sancto Ecclesiam intrantem hortatus est, ut in reos judicio ageret; quam ipse admonitionem, utpote Romani gener, ægre tulit. Tum etiam Basilius Cubiculariis præfectus Romani filius ex stupri consuetudine cum ancilla genitus, opera Helenæ Imperatricis, sororis suæ, animum Imperatoris usque adeo exacerbavit, ut pœnitentia subiret, quod Polyeuctum Patriarcham delegisset, eumque deponendi prætextum quæreret. Præterea ad eum dejiciendum Constantinus a Theodoro Archiepiscopo Cyziceno excitabatur. Interim Polyeuctus anno primo Pontificatus nomen Euthymii

Sup. Lib. LIV. §.40.

Ante-

Anteceſſoris ſui, qui Imperatorem Leonem Philoſophum poſt quartas nuptias ad Communionem receperat, Diptychis inſeruit. Id quibusdam Epiſcopis non probabatur, & parum abfuit, quin Polyeucti Communionem abjicerent. Verum cum deinde Imperatoris voluntati promptiſſime morem gererent, virorum inconſtantium zelus riſu exceptus eſt. Sub idem tempus Antiochia Conſtantinopolim allata eſt manus S. Joannis Baptiſtæ, quam aliquis Diaconus, nomine Job, pio furto ſubtraxerat. Ubi illam deferentes Calcedonem pervenerunt, miſit Imperator triremem Prætoriam virosque de Senatu præcipuos. Polyeuctus quoque Patriarcha cum omnibus Clericis in occurſum provectus eſt, illata luminaria, (*) & thus crematum. Tumque Reliquiæ in Palatio depoſitæ. Sæculum X. A.C. 956.

§. LII.

S. Paulus Latrenſis.

Eodem anno nongenteſimo quinquageſimo ſexto S. Paulus Latrenſis, Anachoreta celebratiſſimus & ab Imperatore *MS. Bibl. Reg. n. 2450. fol. 204.*

(*) Ex his contra Proteſtantes conſenſus Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis in Cultu Sanctorum & Reliquiarum probatur. Quid hujusmodi exemplis & argumentis opponant?

Sæculum X. A. C. 956.

re Constantino magni æstimatus, beato fine quievit.

Sup. Lib. XLVIII. §. 2. 3.

Is patria fuit Elæa in Asia, civitate Pergamo vicina. Patre ipsius Antiocho, classiariis præfecto, in bello maritimo contra Musulmannos occiso, Eudocia mater in Bithyniam prope Marycatam, S. Joannicii patriam, se recepit, duos habens filios Basilium & Paulum, de quo paulo post agemus. Basilium paris conditionis virgini desponsavit; sed cum jam celebrandæ essent nuptiæ, ipse ad montem Olympum clam aufugiens, in Laura S. Eliæ monachum professus est, moxque, ut propinquorum amicorumque ad se invisentium tumultum declinaret, in Brachianos montes prope Latrum penetravit. Inde misit, qui quærerent fratrem suum, post obitum matris cum extrema paupertate luctantem, namque porcorum custos tenue stipendium merebatur. Eum ad montem Latrensem deductum tradidit Petro Abbati maximi Monasterii Coryensis, ab ipso fundati, qui cum egregiam indolem Pauli notasset, retinuit adolescentem sibi ab obsequiis futurum. Basilius ad montem Olympum reversus, Abbatis munere in Laura S. Eliæ functus obiit.

Paulus vero macerandi corporis studio excellens, somnum pærcipue vincere cupiebat. Nunquam ad dormien-

dum

dum cubans, sed vel arbore vel saxo nixus, visus est, nunquam verbum otiosum proferre auditus. In culina ministrans, sæpe ignis Inferni memor lacrymas fundebat. Sæpe Petrum Abbatem precibus fatigans, ut sibi liceret in eremum secedere, id obtinere non potuit, quod diceret senex, ipsum viribus & ætate sua majora tentare. Sæculum X. A. C. 956.

At defuncto Abbate Paulus, communicato cum Demetrio, amicorum optimo, consilio, eodem sequente in verticem montis Latri, haud procul a Laura Cellibarensium enixus est. Ibique apud specum, qui a Dei Matre nomen acceperat, substitit. Volebat Demetrius propius ad Lauram accedere, ut invenirent, unde vîverent. Sed Paulus, *neutiquam ulterius procedam*, inquit, *hic enim nobis manendum.* Et dicente Demetrio: *Quo autem hic nutriemur?* reposuit Paulus, *ex istarum arborum fructu*, simulque digito glandiferas quercus monstrat. *Ergo glandes manducabimus*, ait Demetrius, *quas ne quidem porci devorarent, hoc anni tempore necdum maturas?* Et Paulus: *Secundum prudentiam carnis loqueris.* Postquam vero per octiduum nihil comedissent, tandem glandes stomacho ingesserunt, unde ita ad vomitum incitati sunt, ut rejectas dapes etiam sanguis sequeretur. *Nunquid*

Sæculum X. A. C. 956.

prædixi pater mi! inquit Demetrius, cui Paulus: *Sile! malignis corporis humoribus sic expulsis, eo melius habebimus.*

Itaque Demetrius inediam non ferens, propius ad Lauram accessit, junxitque se Anachoretæ seni, nomine Matthæo, magnæ Sanctitatis viro, cui cum significasset, quid sibi & Paulo accidisset, relictumque esse socium omni ope humana destitutum, dixit Matthæus: *Mane hic, fili mi, &, quoties volet, partem annonæ, quam largitur nobis Dominus, ad eum defer.* Cum Demetrius hunc sermonem Paulo retulisset, lacrymas præ gaudio cadentibus dixit: *Ecquid intelligis, frater mi, Deum sperantes in se neutiquam deserere.* Paulus in hoc specu vigilans, jejunans, sæpissime genuflectens & vehementes Dæmonis tentationes vincens octo menses commoratus est.

Paulus & Demetrius deinde ad Monasterium suum Caryense ab Abbate revocati redierunt; sed post paucos dies Paulus impetrata abeundi licentia, ad montem Latrensem reversus, invenit Athanasium, qui olim cujusdam Monasterii Rector nunc in solitudine prope Lauram Salvatoris degebat. Is rogatus a Paulo, ut ipsi columnam non procul a Laura extrueret, ei columnam a natura ædifi-

ædificatam, id est petram eminentissimam, in cujus cacumine caverna erat, indicavit. In ea aliquando alius, nomine Athanasius, relicta Constantinopoli, ut Iconoclastarum persecutionem effugeret, annis viginti duobus perseveraverat. Eandem cum subiisset Paulus nullis illatis alimentis, quidam agricola, qui capras duas longius a grege sparsas quærebat, inventum fovere cœpit. Cibi aliquid afferebat adjuncta curta supellectile, videlicet lampade, silice, ex quo ignem eliceret, & modico oleo. Cum deinde tempore messis instante vir iste agrestis recessisset, & Paulus aliquot dies sine cibo durasset, tandem ægre spirans collectis tamen viribus oleum & aquam lampadis suæ bibit, unde utcunque refocillatus est. Exinde Athanasius discipuli sui memor attulit ei annonam necessariam, plus enim accipere recusabat. Demetrius quoque comperto, ubi degeret, ejus curam suscepit. Annis duodecim Paulus in hoc antro fuit, & annis tribus frequentissimis Dæmonis illusionibus vexatus est. Cum vehementer cuperet Sanctum Sacrificium in suo specu celebrari, Athanasius scalas præparavit, per quas Presbyter cum quibusdam aliis ascendit. Post elevatam Hostiam, cuncti Pauli honori dederunt, ut Communionem primus acciperet. Mox

Sæculum X. A. C. 956.

Sæculum X. A. C. 956.

terra tremore concussa, & commotis rupibus terrefacti sunt omnes; illis, qui infra ad radicem montis expectabant, nihil percipientibus. Paulus, cum aqua deficeret, ex solo arido in latere specus sui fontem fluere effecit, exinde perennem.

Tunc vero Paulus fama celebrari cœpit. Multis sub ejus Disciplina vivere cupientibus, in locis specui illi vicinis constructis hinc & inde cellulis Laura originem sumsit. Alii in præparatis tuguriis, alii in cavernis sedem fixerunt. Tumque etiam exiguum Oratorium in honorem S. Michaelis conditum. Ceterum Paulus, de proprii corporis alimentis nullatenus solicitus, Discipulorum suorum necessitati caute providebat, ut omnem prætextum quidquam de regula relaxandi tolleret. Illos qui in solitudine vivere possent, ab aliis, quibus in Congregatione perseverare expediebat, perite discernebat. Fratres Paulum Patrem suum Spiritualem nihil omnino celabant, sine ejus licentia non exibant, aut panem coquebant, aut quodcunque aliud faciebant nisi prius accepta ejus Benedictione; proprium nihil possidebant.

S. Pauli vita.

Postquam annis duodecim in hac rupe fuisset, Discipulorum suorum aliorumque ad se concurrentium frequentiam pero-

perosus, clam discedens in locum mon- Sæculum X.
tis ab hominibus desertum se contulit, A.C. 956.
ubi in ferarum societate calorem, frigus, omnes aëris intempestivi injurias patientissime tolerabat. Non nunquam ad Lauram veniens fratres ad constantiam hortabatur, illudque inprimis inculcabat, ne propriis viribus & virtuti fiderent. Qui ei serviebat, præstitutis diebus annonam adipsum deferebat. Demetrio quadam die apud Magistrum deflente, quod non amplius viri magni existerent, nec dona miraculorum, quæ præterita sæcula illustrassent, a Cœlo concederentur, Paulus subridens respondit: *Videris velle negare, Deum semper æque bonum esse.* Tum plura, quæ sibi prodigiose acciderant, narravit. Alius Discipulorum, nomine Simeon, interrogavit; cur jam hilaris, jam tristis appareret. Cui ille: *Quando me nihil a rerum Cælestium contemplatione abstrahit, jucundissima luce circumdor, cibi potusque & rerum omnium terrestrium immemor, sed quando loqui hominibus compellor, inde turbor & affligor.* Idcirco, quando cum Discipulis suis procedebat, eos multis passibus solus anteibat, quo liberius Laudes Divinas cantare, & meditationi vacare, posset. Præterea Angelum suum Tutelarem continuo sibi conspicuum habebat.

Sæculum X. A. C. 956.

Solitudinis amore ductus, Paulus in Insulam *Samon* trajicere constituit. Jam jam navem conscensurus, videns decem milites a fuga retractos in vinculis detineri, intrepide præsidii præfecto præcipit, ut liberos dimitteret. Ille conspecto exiguæ staturæ homine, & vili vestitu, credebat esse rusticum; constantia tamen & sapientia ex ejus vultu elucente movebatur. Addidit vir Sanctus: *Præposito tuo dices, hos a Paulo Monacho e potestate tua vi adhibita fuisse ereptos.* Hac solertia Paulus miseros liberavit. Ubi in *Samon* pervenit, in specum montis Cercis secessit, in quo olim Pythagoram Philosophum sedem suam fixisse ajebat. Cum Paulum in Insulam adveniisse brevi fama vulgasset, plurimi ad percipiendam ejus Doctrinam undique confluebant, atque ipso Auctore tres Lauræ, in illa Insula a Saracenis destructæ, reparatæ sunt. Interim monachi Latrenses ubique Paulum perquirentes, comperto, quod in Insula *Samo* degeret, missa per aliquem suorum epistola eum ad se revocarunt, qui cum nulla re ibi multum afficeretur, facile invitantem secutus est.

Anachoretæ in Asia.

Post reditum Paulus novo fervore ad altiorem perfectionis gradum contendit.

Cum

Cum Pauli fama in remotas provin- Sæculum X.
cias & Romam usque perveniſſet, Papa A.C. 956.
quemdam Monachum ſenem miſit, qui eum videret, colloqueretur, vitæ rationem ad examen vocaret, & ſibi omnia accurate referret. Petrus Bulgarorum Rex datis ſæpe ad Paulum literis ſe ipſum & Regnum ſuum ipſius precibus commendabat. Imperator quoque Conſtantinus Porphyrogenitus plures ad eum ſcripſit Epiſtolas, diu poſtea in illa Laura ſervatas. Nam Conſtantino exercitum navalem contra Saracenos in Cretam miſſuro, & S. Virum per literas conſulenti, ipſe reſpondit, Imperatorem rem Deo gratam nequaquam facturum. Nihilominus Imperator, ne ingentes ſumtus paratæ expeditionis perirent, executus eſt, quod conſtituerat, & facti poſtea ſero pœnituit, eo acerbius, quod idem ſæpius fruſtra tentaverit.

Quadam die Imperator Photium Patricium, præfectorum ſuorum præcipuum, ad S. Virum miſſum, juſſit ejusdem vultum & totum corporis habitum attente perluſtrare. Quoties vero Patricius oculos in ejus faciem figere conabatur, oris fulgorem non ferebat; quod etiam pluribus aliis Sanctum Virum intuentibus obvenit. Attamen lucem hanc prodigioſam ſolummodo paucis, quibus Deus concedebat, cernere

Sæculum X. A. C. 956.

licuit. Ceterum Paulus Patricium rogavit, ut Sacræ Imagini Edeſſenæ ſindonem ejusdem latitudinis admoveret, ſibique transmitteret; quæ poſtquam ad Paulum delata fuit, & explicata, in ea JEſu Chriſti effigiem prototypo ſimillimam & clariſſime expreſſam perſpexit, quam præter ipſum nemo videre potuit. Auctoritate, qua apud Imperatorem valebat, uſus obtinuit, ut Manichæorum præcipui & pernicioſiſſimi procul a civitatibus Cybirreote, & Mileto relegarentur.

Paulus in Dominica, die octava Paſchæ, convivium adornare, & multos invitare conſueverat. Quodam anno angebatur Lauræ Oeconomus, quod nec farina, nec vinum, nec legumina ſuppeterent. Cumque de hac penuria S. Virum monuiſſet, ille ſolicitum objurgavit, quod modicæ fidei Chriſtianus eſſet, Et ecce! ipſa die mane adſunt ante oſtium muli pane candido, vino, caſeo, ovis, & multis aliis alimentis onerati, a vicinis, inprimis Epiſcopo Amazonenſi & ipſius Clericis miſſi. Ex his dignoſcimus, quos cibos hi monachi hoſpitibus

S. Catharina.

ſuis appoſuerint. Feſtum nullum ritu magis ſolemni celebrabat Paulus, (*) quam

(*) Nemo ſanus dixerit, S. Paulum Latrenſem

quam S. Æcaterinæ Martyris, quæ eadem ac Catharina esse creditur. Nec de ejus Cultu argumentum antiquius occurrit. Ea vero charitate ardebat in pauperes, ut eis omnia sua, alimenta propriæ sustentationi necessaria, vestes denique quibus tegebatur, præberet. Quin semel se ipsum ut mancipium in ignota regione venumdare, & pretium in egenos erogare constituerat. Sæculum X. A. C. 956.

Cum vitæ suæ finem imminere auguraretur, vocato ad se Discipulo Regulas Monachis illius Lauræ dictavit. Tum in montem suum regressus, mansit ibi usque ad Festum S. Nicolai, sextam Decembris, qua ad Lauram reversus Missam solito maturius celebrari jussit. Mox lecto, quod nunquam ante consueverat, se imponens febri corripitur. Orare tamen cessavit nunquam, nec monachos suos hortari ad perseverandum.

sem hanc Sanctam Martyrem sibi ipsi finxisse, & primum omnium eam coluisse. Et de S. Catharina Fleurius plura habet Tom. II. pag. 845. ex Eusebio. Unde vel ex solo Eusebio, & hic etiam ex auctore vitæ S. Pauli viris ingenuis parum dignæ quorumdam Protestantium, dicentium, a Catholicis Sanctos coli, quos nescias an aliquando inter homines extiterint, calumniæ satis superque refelluntur, etiamsi singulæ circumstantiæ non essent exploratæ.

Sæculum X. A. C. 956.

Succeſſorem ſibi deſignare noluit, dicens, eligerent ipſi, quem meliorem judicarent. Ita obiit, anno Mundi ſexies milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quarto, Indictione decima quarta, nempe anno reparatæ Salutis nongenteſimo quinquageſimo ſexto, decima quinta Decembris, qua die Eccleſia Græca ejus memoriam colit. Erat Paulus corporis mole exiguus, calvus, barba curta, pallida facie, ſed amœna.

Cum ad ejus Sepulchrum monachorum aliquis a Dæmone inſidente fuiſſet liberatus, quidam monachus Simeon nomine, impatientiſſime ferens tumultum, quem iſtud prodigium in Eccleſia excitaverat, accedens ad S. Viri tumulum, eumque quaſi viventem affatus, *ane hoc ſit*, ait, *vanam hominum gloriam fugere? ubi ille tuus ſolitudinis & tranquillitatis amor? niſi ceſſas, turbarum apud nos nunquam erit finis. Brevi tempore venient viri, feminæ, infantes, omne hominum genus hunc locum implebit. Monachorum libertas, pax, quies, peribit. Si ſolitudinem noſtram miracula edendo amplius turbare vis, fac, ut cito ſciamus. De monte noſtro te dimittemus, & infra poſitus, quod lubebit, facies.* In hunc modum objurgatus S. Paulus nunquam amplius Diabolum ex aliquo energumeno publice ejecit, quamvis

vis ægrotos sanaret, alios homines se invocantes juvaret, & miracula, qualia vivus patraverat, mortuus etiam plurima ederet. Sæculum X. A. C. 959.

§. LIII.

Constantini Porphyrogeniti exitus.

Constantinus per annos adhuc quindecim, ex quo a Romani liberorumque ipsius insolentia liberatus fuerat, solus imperans, nihil proborum omnium expectatione dignum egit. Vinum immodice potabat, laborem fugiebat, & ubi iram conceperat, nulla ratione animum mitigari patiebatur, cum reos puniebat, nullum misericordiæ locum dabat. Desidiosus non pensatis suorum meritis officia & munera publica indignis conferebat; unde Imperatoris imbecillitate ad explendam avaritiam utentes Helena Imperatrix & Basilius ejus frater Cubicularius cuncta officia, accepta pecunia, in suos clientes dividebant. *Cedr. p. 635.*

Porro in Constantino illud tamen laude dignum invenitur, quod scientias artesque ab Antecessoribus suis neglectas amaverit, quas ut pristino splendori restitueret, viros excellentes undique conquisitos publice docere jussit. Scholæ Philosophicæ Constantinum Protospatarium & Mysticum, Rhetoricæ Alexan- *Post. Theo. p. 278. n. 14.*

Sæculum X. A. C. 959.

xandrum Metropolitam Nicenum, Geometriæ Nicephorum Patricium, Aſtronomiæ Gregorium, ſibi ab Epiſtolis, præfecit. Studioſos fovebat, familiariter colloquebatur, pecunias ſuppeditabat, quin & menſæ regiæ adhibebat. Unde brevi tempore omnes Scientiæ florere cœperunt. Sed nec artes ceteræ extra curam Imperatoris erant, quas, etſi non didiciſſet, perſpicaci ingenio usque adeo capiebat, ut pictoribus eximiis, Aurificibus, Fabris, Sectatoribus lapidariis, aliisque mechanica tractantibus, errores monſtraret. Erat etiam Conſtantinus, ſaltem ſpeciem externam ſpectando, admodum Religioſus, & quoties in Feſtis ſolemnibus Eccleſiam adibat, dona magnificentiæ Regiæ convenientia, vaſa aurea gemmis fulgentibus coruſcantia, & velamenta Altarium pretioſa offerebat.

p.280. m.22.

Cedr. p.635.

Conſtantinus anno nongenteſimo quadrageſimo nono Romanum filium ſuum coronari voluerat, qui elapſo exinde toto decennio, annum agens vigeſimum, & moræ immenſæ, ut regnandi avido videbatur, impatiens, patri medicinam ſumturo immixtum venenum porrigi juſſit, cujus cum partem ſolummodo hauſiſſet, morbus quidem, ſed necdum mors ſecuta eſt. Menſe autem Septembri anno a creatione Mundi 6468. JEſu Chriſti 959. Indictione tertia inchoa-

p. 641.

choata, Imperator ad montem Olympum in Natolia profectus, in speciem, ut se Eremicolarum oratione communiret, priusquam adversus Musulmannos moveret in Syriam, re vera ut cum Theodoro Cyziceno de prætextu Polyeuctum Patriarcham deponendi arcana agitaret consilia, ibi morbo iterum vexatur, atque doloribus ingravescentibus Constantinopolim revehitur, ubi nona Octobris, annos natus quinquaginta quatuor, postquam ab obitu Alexandri patrui sui regnasset annis quadraginta octo, occubuit. Successit patri Romanus filius, dictus Romanus junior, quo ab avo suo materno discerneretur. Sæculum X. A. C. 959.

§. LIV.

Attonis Vercellensis Epistolæ.

In Italia Berengarius filiusque ejus Adalbertus more tyrannorum imperantes, cum facile intelligerent, invidiosam populis esse suam potentiam, & seditionem timerent, ab Episcopis petierunt, ut datis obsidibus constantem fidem probarent. Atto Episcopus Vercellensis data ad Collegas suos Epistola rogavit, ut scripto suam sententiam aperirent, quoniam eos coram consulendi libertas non erat. *Quæro*, inquit, *an expetiti obsides dandi sint, an scire debeant, & consentire, quo pacto se se obligent. Quid nobis* *Atto. epist. II. to. 8. Spicil. p. 132*

Sæculum X. A. C. 959.

nobis vicissim petendum, ut nostra in tuto maneant. An conditiones scripto vel nudis verbis concipiendæ. An certum temporis spatium apponendum. Et si forsan Princeps calumniantibus nos faciles aures dedit, quid agendum, ut innocentiam nostram demonstremus. Confiteor meam ignorantiam; hucusque in Scriptoribus Ecclesiasticis nec auctoritatem, nec exempla, quæ ad explicandam hanc causam facerent, inveni. Si quis alius veritatem mihi monstrare potuerit, fideliter amplectar.

Ego vero omnino teneo, fidem Regibus, Dominis nostris, datam, sancte servandam; quam si frangamus, olim Deo ob perfidiam admissam, rationem esse reddendam. Attamen, me judice, serviendum est ipsis eo modo, quo Antecessores nostri servierunt. Non suscipiamus novam servitutem, nisi id maxima exigat utilitas, nisi Papæ (*) auctoritas, & sapientissimorum Episcoporum consilium accedat. Scriptura enim nos docet; anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris. Quomodo ergo obsides nostros mortis periculo objiciemus? nam si culpa est, nostra

Ezech. 18. 20

(*) Ex his dispicitur, quam Episcopi Italiæ de potestate Summi Pontificis opinionem habuerint.

Sæculum X. A C. 959.

Res Italiæ.

ſtra eſt. Qui eos acceperit, dicet: Quidquid mali huic homini intulero, ille, a quo obſidem accepi intuliſſe cenſendus eſt. Verum id quidem; ſed non ideo culpa vacas. Ambo noxii eſtis, ille quod obſidem male dederit, & tu quod male acceperis. Quid vero peccavit miſer obſes, ut moriatur? ſi urgente charitate & amore alterius, cujus libertatem redimere cupiebat, ſe ipſum tradidit, laude dignus eſt, ſi eum avaritia ad ſubeundum periculum impulit, tres homines unius peccati reos ſe faciunt. Præterea timeo, ne plura promittamus, quam exſolvere poſſimus. Timeo, inquam, ne, ut homines mutabiles ſumus, poſtquam innocentes tradiderimus, ſententiam contrariam arripiamus. Talia pacta impiis conveniunt, quos timor Dei non cohibet; nam vir prudens & Chriſtianus amore dati obſidis non faciet, quod amore Dei & ſalutis animæ ſuæ facturus non eſſet. Ego igitur exiſtimo, ejusmodi conditiones a cunctis Chriſtianis eſſe rejiciendas, præprimis vero ab Epiſcopis, quorum officium eſt, non alios, ſed ſe ipſos, pro ſalute aliorum periculo mortis offerre. Tandem ſi fides, quam Anteceſſores noſtri Regibus jurarunt, non ſufficit, ſequitur, noſtra ætate vel Reges, vel Epiſcopos deteriores factos. In fine, omnes hortatur, ut

Sæculum X. A. C. 959. ut pro Salute Principum & publica tranquillitate orent.

Luitpr. V. hist. c. 13. VI. c. 6. Att. ep. 1. Sub idem tempus scripsit Atto Waldoni, qui ex Beneficio Berengarii acceptо Episcopatu Comensi nihilominus omnium primus seditionem in eum commoverat. Hortatur Atto, ut Principi reconcilietur, adducens Scripturæ Sacræ Textus, quibus jubemur Dominis etiam Dyscolis obedire. His jungit S. Gregorii & Conciliorum Toletanorum auctoritatem. Waldonem memorem esse jubet fidei Regi juratæ, monet, ut Vasallos suos in Officio contineat, quod si facere contemnat, imminentem iram Dei comminatur, animas subditorum de manu ejus requisituri.

§. LV.

Epistolæ ad Disciplinam pertinentes.

Ep. 2. 3. Varias præterea Epistolas Attonis Vercellensis ad Disciplinam Ecclesiasticam pertinentes habemus. In iis prohibet Diœcesanis suis, ne Auguribus, Signis a Cælo petitis, aut vaticiniis quorumdam Sycophantarum, quos Prophetas appellabant, fidem adhibeant. Diem Veneris nemo sanctificet; erat enim superstitio, forsan a Musulmannorum Secta originem ducens. Dicit, filiationem *ep. 4. 5.* spiritualem e Sacro fonte levati impedimentum esse, ne filiam patrini sui ducere

re valeat, atque ad istam adoptionem spiritualem illa trahit, quæ Leges de Adoptione civili statuerunt. Quare Institutiones, Codicem, & Novellas citat. Ambrosio Presbytero Mediolanensi se consulenti, quid de vocibus *Presbyteræ* & *Diaconissæ*, in quibusdam Canonibus occurrentibus, sentiendum sit, Atto respondet; in Ecclesiæ primordiis ministerium mulierum fuisse necessarium, tum ut aliæ mulieres familiari instructione errores paganismi & perversæ philosophiæ facilius dedocerentur, tum ut etiam, cum baptizarentur feminæ, honesti pudoris decus servaretur. At Diaconissarum opera amplius opus non esse, postquam jam non nisi infantes baptizarentur. Subjungit, Presbyteras & Diaconissas fuisse appellatas mulieres, quas Presbyteri & Diaconi ante susceptos Ordines in matrimonium duxissent.

Sæculum X. A. C. 959.

ep. 8.

Duæ supersunt Epistolæ, quibus Atto Clericorum suorum incontinentiam reprehendit. *Aliqui*, inquit, *turpi vitio usque adeo laborant, ut pellices domi habeant, quibuscum cibum capiunt, & publice habitant. Illæ præsunt rei familiari, & Clericis defunctis quasi jure hæreditatis occupant res, de Bonis Ecclesiæ & Fidelium eleemosynis corrasas. Aliqui paupertate pressi amorem continentiæ fingunt, qui deinde ad*

ep. 9. 10.

Sæculum X. A. C. 959.

ministerium Ecclesiæ susceptí, meretrices alunt illis opibus, quæ ad juvandos pauperes destinatæ sunt. Præterea incontinentes Apparitoribus ansam præbent intrandi Clericorum domos ad has mulieres earumque liberos abstrahendos, trepidantibus Clericis, & omnia ad salvanda scorta prolemque spuriam, quidquid illi petunt, promittentibus. Nempe Canones hujusmodi concubinas servitute damnabant. Atto prosequitur in hunc modum: *Unde sæpe fit, ut nomen Domini blasphemetur, nam ubi in plateis inter has mulieres vel notbos earum & vicinos rixæ exoriuntur, advolant in auxilium Clerici, sicque vitæ suæ opprobrium produnt. Ut nihil dicam de eo, quod Clerici incontinentes, ut pudendam familiam non alant modo, sed etiam locupletent, sordidi, avari, raptores, usurarii, & deceptores fiant. Unde tepescente fidelium pietate decimis defraudant Ecclesiam, & parcius dona afferunt, atque ita Clerici ad eam paupertatem rediguntur, ut vix habeant, quo latrantem stomachum satient.*

Cont. Hisp. c. 3. Sup. Lib. XXXV. §. 11.

Incontinentes Clerici ab Episcopis correpti, resistunt violato fidei datæ sacramento, Potestatis Sæcularis præsidium quærunt, & sæpe ad Ecclesiæ inimicos convertuntur. Excusant se aliqui;

qui; quod vivere sine feminarum istarum subsidio non possent. Sed simulata hæc est necessitas, cum exploratum omnes habeant, feminas virorum auxilio indigere, iisque gravissimo impedimento & oneri esse. Etiamsi vero aliquod commodum ille sexus nobis afferret, nihilominus ob Ministerii nostri sanctitatem & Ecclesiæ præcepta relinquendus esset. Igitur, carissimi fratres, abjicite non crimen solum, sed etiam, quodcunque criminis occasio esse possit, formosæ mulieris speciem, cultum, dulce colloquium, paucis, omnis generis commercium, cavete. Sæculum X. A. C. 959.

Atto Capitularis alicujus generalis seu Documentorum quoque Auctor fuit, quæ in articulos centum divisa, & maximam partem ex Capitulari Theodulfi, atque ex Conciliis excerpta ad populum suum Clericosque direxit. Omnibus Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis præcipit, ut Fidem Catholicam, nempe, secundum modum loquendi illius ætatis, Symbolum, S. Athanasio adscriptum, e memoria recitare possint. Monet, servandas esse Calendas, id est Parochorum Clericorumque Collationes de Officiis suis, singulis Calendis haberi solitas. Quæ res non ante Sæculum superius initium sumsisse videtur. Id enim ex Statutis Synodalibus Riculfi *To. 8. Spic. p. 1.* *c. 4.* *c. 29.* *Sup. Lib. LIV. §. 4.*

Sæculum X. A. C. 959. 6.90.

Sueſſionenſis diſpicimus. Presbyteri Pœnitentiam injungendam conditioni Perſonarum, & gravitati peccatorum accommodent. (*) Si aliquod crimen publicum commiſſum fuerit, Parochus accurate inquirat, (**) & factum literis mandet. Reum moneat, & hortetur, ut ſe pœnitentiæ ſubmittat, & in hunc finem Epiſcopo ſe ſiſtat. Parochus vero in Die Cinerum ad Epiſcopum ſe conferre teneatur, habens commentarium a ſe ſcriptum. Si etiam Pœnitens adſit, ſcribat Parochus pœnitentiam ipſi injunctam, ejusdem curam gerat, & obſervet, an ſinceræ converſionis ſigna exhibeat. Si videat magno fervore pœnitentiam implentem, aut periclitantem, ad Epiſcopum, vel ipſo abſente ad Cardinales (id eſt ad illius Eccleſiæ Presbyteros) recurrat, & Abſolutionem obtinere ſatagat. Singulis annis in Cœna Domini cum pœnitentibus adſit Parochus, ut ea audiat & conſcribat, quæ Abſolutionem recipientibus præcipiuntur.

In

(*) Ex his contra Proteſtantes probatur uſus Pœnitentiæ ſecretæ.

(**) Hodie ab hoc labore Parochi plerumque liberati ſunt; nam ſi crimen ſit publicum, reus a miniſtris poteſtatis Sæcularis vinculis & carceri datur.

In ultimo Articulo hujus Capitularis Gelasii Papæ Decretum de Libris approbatis & genuinis, vel de Apocryphis ponitur. Sæculum X. A. C. 959. *Sup. Lib. XXX. §. 35.*

§. LVI.

Alia Attonis Scripta.

Aliud præterea Opus, Attone Auctore, habemus, de calamitatibus Ecclesiæ scriptum, & in tres partes divisum. *p. 44.*

In prima parte agit de Judiciis Episcoporum, ubi dicit, Episcoporum Accusatores aut contra ipsos testes non nisi viros omni exceptione majores esse oportere, Judices vero illos solummodo, quos ipsi sibi delegissent, & tandem ipsos a nemine nisi a Papa posse condemnari, quamvis Judicium in Synodo provinciali instrui possit. Verum Atto has conclusiones ex falsis Decretalibus deducit. (*)

Duos deinde abusus irrepsisse deflet, nempe duos se purgandi modos, quos Episcopi accusati, si argumenta deessent, experiri debebant, juramentum & duellum. Non enim ab ipsis solum contra

(*) Saltem ultima Attonis conclusio, jam illa ætate, præsertim in Italia, ex consuetudine firma erat; cum omnes Episcoporum Italorum causas ab ipso Summo Pontifice definitas fuisse ex Historia habeamus.

Sæculum X. A. C. 959.

præceptum Evangelii & Antiquitatis traditionem, sed etiam a magno Fratrum & Collegarum suorum numero juramentum exigebatur, quasi vero aliquis ideo reus haberi possit, quod alios non inveniat, qui juramento ipsius innocentiam demonstrare vellent, aut quasi non sufficeret regula, quod Actore non probante absolvendus sit reus. *Quod autem spectat ad Duellum*, inquit Atto, *quamvis Episcopi ad singulare certamen in arenam descendere ipsi non cogantur, sed ad pugilem sui vicarium substituendum, hæc tamen objectum crimen diluendi via culpa non vacat. Ita enim tentatur Deus, qui non semper tenetur miracula patrare, & bonam causam defendenti victoriam tribuere. Ita Episcopi contra Canones, qui eos in causa mortis participes judicii esse prohibent, effusi sanguinis humani rei efficiuntur, & ad verum crimen committendum compelluntur, ut falsam accusationem amoliantur. Attamen dices, ergo impunita remaneant Ecclesiasticorum crimina? minime gentium. Sed corripiendi sunt secundum Canones, & ministerio Episcoporum, quibus solis de eorum causis in judicio decernere competit. Laici non nisi ab Episcopis rogati operam conferant. Sed hodie, malum! Auctoritas Ecclesiæ a potesta-*

te

te sæculari sæpe opprimitur, & Judicum iniquitate fit, quod Episcopus crimini obnoxius sæpe Sacerdotium retineat, & tanta Dignitate ab accusatione securus non præstetur. Sæculum X. A. C. 959. p. 65.

In secunda hujus Tractatus parte de Ordinationibus Episcoporum differit. *Ordinatio Episcopi secundum Canones peracta, tanquam a Deo profecta haberi debet. At Principes parum Religiosi contemptis regulis ex solius voluntatis suæ præscripto rem peragi volunt, & succensent Clericis, si aliquis, etsi maximorum meritorum vir sit, quem ipsi non obtulerunt, eligatur, aut ille, quem ipsi præsentarunt, quantumcunque indignus sit, rejiciatur. Optimum ad Ecclesiam regendam quemque putant, qui vel ditissimus, vel ipsis sanguinis cognatione junctus, vel obsequiis exhibitis carissimus fuerit. Atque ex his tribus conditionibus una sufficit. Principes certe nostri vel Episcopatus venales habent, vel si emptor non sit, eam Dignitatem aut in propinquos aut in Clientes conferunt. Alii usque adeo in tanto negotio cæcutiunt, ut pueros ad Episcopatus culmen evebant, & populo tales Doctores dent, qui primis Doctrinæ Sacræ elementis imbuendi sunt. Laudantur & commendantur a castitate, cujus in infantibus necdum ullum* p. 75.

Sæculum X. A. C. 959.

est meritum. Compellitur populus ad testimonium bonæ vitæ dandum infanti, quem per ætatem Episcopatu indignum noverunt omnes. Plerique cum ordinantur rident, nempe aliqui pueriliter exultant, quod tanto honore afficiantur, aliqui utcunque infantes sint, ludum risu dignum adornari intelligunt. Interrogatur misellus de Fidei articulis, quos vel memoriæ impressit, vel quos e libello legit, tremens & magis virgarum, quam Episcopali Dignitate carendi metu pavidus. (*) *Qui puerum inter-*

(*) In nostro Sæculo vidimus Regiæ Domus Burbonicæ Principem Archiepiscopali & Cardinalitiæ Dignitati, puero sibi collatæ, in maturiore ætate renunciare, cum nempe Ludovicus Antonius Philippi V. Hispaniarum Regis filius anno 1727. natus, anno 1734. Archiepiscopus Toletanus nominatus, anno 1735. Cardinalis Diaconus, Tituli de St. Maria della Scala, a Clemente XII. creatus, anno 1741. Archiepiscopatu Hispalensi a Benedicto XIV. auctus, anno 1754. Purpuram in manus ejusdem Summi Pontificis deposuit. Necdum vero, solutis jam Sponsaliis spiritualibus, ad nuptias sæculares (quod futurum tunc fama ferebat) transiisse legitur.

Ceterum de hoc Sæculo X. Fleurius in præclaro Opusculo de Moribus Christian. §. LX. inquit: *Fides conservabatur integra, nemini in mentem venit de Religionis veritate dubitare, nulla Hæresis caput extulit; sed Barbaries & igno-*

interrogant, sciunt, ipsum, quæ respondet, non capere, nec ideo interrogant, ut ejus scientiam explorent, sed ut formam Canonicam servare videantur, & fraudem veritatis umbra contegant. Quid vero sæpissime inde sequitur? Nimirum hujusmodi Præsules male & contra regulas Ecclesiasticas ordinati, spreta ipsorum Dignitate accusantur, injuste opprimuntur, perfide ejiciuntur, & non nunquam crudeliter necantur.

Sæculum X. A. C. 959.

p. 86.

p. 90.

ignorantia dominabantur. Cardinalis vero Baronius miseram Joanne XII. Pontifice Ecclesiæ Romanæ conditionem deflet his verbis: *Abortivum istum* (Papam) *tunc parturiit Romæ Tyrannis vi pollens, armis omnia miscens, omnia audens atque subvertens, ut nullo pacto dicendus tunc fuerit legitimus iste Pontifex, in cujus electione lex nulla sit suffragata, sed omnia vis & metus impleverint: cum qui nec ætate Diaconus esse potuit, ostensus sit tanquam in scena mimus Pontificem agens. Attamen . . . hunc tolerandum utcunque perditissima illa tempora suaserunt magis, quam Ecclesiam Schismate scindere, cujus vitandi causa, utpote mali omnium pessimi, universa Catholica Ecclesia eum est venerata Pontificem &c.* Ad an. 955.

Scilicet servatum est cum Ecclesia Romana illud Ecclesiasticæ Communionis & unitatis vinculum, quo rupto, nulla unquam alicubi terrarum existens Ecclesia se orthodoxam probavit vel probare potuit.

Sæculum X. A.C. 959.

In tertia parte de abusibus ad Bona Ecclesiarum pertinentibus conqueritur Atto. *Silentio præterire non possumus*, inquit, *quod Episcopo vel vita functo, vel expulso Bona Ecclesiæ Sæcularibus in prædam cedant. Nihil interest, an Ecclesia Episcopo vivente vel mortuo spolietur. Quid juvet thesaurum Ecclesiæ custodire, dum horrea, cellæ, reliqua omnia diripiuntur? Fruges omnes in natura rei extantes dissipantur, fructus percipiendi, Episcopi futuri nomine, venumdantur, differtur Ordinatio, donec* p. 93. *omnia prius fuerint consumpta, & tandem Ecclesia plus offerenti conceditur. Unde nulli sæpius quam Ecclesiæ fundi vastantur & venduntur.* Hæc mihi in Scriptis Attonis Præsulis Vercellensis memoratu digna visa sunt.

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER LVI.

JOANNES XII. PAPA. OTTO M. IMPERAT. OCCID. ROMANUS IMPER. OR.

§. I.

Otto Imperator Occidentis.

Joannes XII. Papa Tyrannidem Berengarii & Adalberti filii ejus ultra non ferens, duobus Legatis Joanne Cardinali Diacono & Azone Scrinio præfecto anno 960. in Germaniam missis Ottonem rogat, ut veniret, & Italiam oppressam liberaret. Hos Legatos continuo secutus est Walbertus Archiepiscopus Mediolanensis, querelas afferens, quod Reges

Sæculum X. A. C. 960.

Suppl. Reg. Harm. &c. Luitp. VI. hist. c. 60.

Sæculum X. A. C. 960.

Reges Ecclesiam suam Manassi Archiepiscopo Arelatensi contra fas omne contuliſſent. Walberti vestigia pressit Waldo Episcopus Comensis simili causa ad conquerendum impulsus. Laici quoque iter in Germaniam susceperunt; quin vix quemquam in Italia Episcopum, vix quemquam Comitem reperire erat, qui non opem Ottonis vel per literas vel per Legatos imploraverit. (*) Ergo Rex Otto profectionem suscipere statuit. Refertur ejusdem juramentum, quo se, antequam iter ingrederetur, obstrinxit, promittens, se Joannis Papæ vitam, membra, honorem conservaturum, de re nulla, quæ ad Papam vel Romanos pertineret, sine ipsius consilio dispositurum, & quidquid de terra S. Petri in ipsius potestatem perveniſſet, redditurum. Tum anno nongentesimo sexagesimo primo Comi-

Dist. 63. c. 33.

(*) Sæpissime Romani, vel rixis civilibus divisi vel aliorum populorum armis oppressi nunc Græcos, nunc Francos, nunc Germanorum Imperatores in auxilium vocarunt. Sed Italorum versuta ingenia nec sibi ipsis consulebant, nec ab aliis consuli patiebantur. Hinc Rudolphus I. Hapsburgicæ Gentis Auctor, Germanorum Imperator invictus & potentissimus, ad profectionem Romanam invitatus sapientissime respondisse fertur; *vestigia terrent.* Quam gratiam Otto noster, alias maximus, ab Italis retulerit, quæ sequuntur, docebunt.

Comitiis Wormatiæ convocatis, filium suum Ottonem ex secundis nuptiis genitum, puerum septennem, Regem eligi curat. Ex prima uxore Otto duos susceperat filios, Ludolphum, anno nongentesimo quinquagesimo septimo defunctum, & Guilielmum, quem anno nongentesimo sexagesimo quarto, Friderico mortuo, Archiepiscopum Moguntinum ordinari (*) jusserat. Itaque Ottonem juvenem ab omnibus Regem salutatum sub Tutela Archiepiscoporum Colonienſis & Moguntini patrui fratrisque ipsius relinquens, in Italiam contendit, ubi nemine obsistente exceptus, Ticini hyemavit, Attone, Abbate Fuldensi, Romam præmisso, qui diversoria præparari curaret.

Sæculum X. A. C. 961.

Mar. Scot. Chr. an. 954.

Anno sequente nongentesimo sexagesimo secundo Regem ingenti apparatu, acclamantibus Clericis populoque, Romam ingressum, Joannes Papa Imperatorem coronavit, Sacro oleo unxit, & supra corpus S. Petri cum omnibus civibus & Optimatibus Sacramento se obstrinxit,

Frod. Chr. Supl. Regin. an. 962. Luitpr. VI. c. 6.

(*) Lector studiosus facile notaverit, jam illa ætate primas Sedes Cathedrales in Germania, Francia & Italia Summorum Principum propinquis fuisse collatas, atque paulatim viros, vulgares cunas nactos, fuisse ab Episcopali munere exclusos.

Sæculum X. A. C. 962.

strinxit, nunquam ipsius potestati se subtracturum, aut Berengarium & Adalbertum ope vel consilio adjuturum. Otto vero quæcunque Ecclesiæ Romanæ in tota Italia detracta fuerant, restituit, & Papæ magnam vim auri gemmarumque dono dedit. Tum datis literis publicis Donationes Caroli Magni & Pipini, quæ Urbem Romam, Ducatum cum suis ditionibus, plures civitates in Thuscia, Exarchatum Ravennensem, Pentapolim (*), plures alias urbes in Longobardia aliquas in Campania, Ducatum Spoletanum, & Beneventanum, Corsicam Insulam, & Patrimonium Siciliæ, complectebantur, confirmavit. De Sicilia, adjecit Imperator, si hanc Insulam Deus nostræ potestati subjecerit; namque, illa tempestate Saraceni in ea dominabantur. Hæc donatio prope de verbo ad verbum ex illo Decreto descripta est, quod Ludovicus Pius Ecclesiæ Romanæ tradiderat. Sed Rex Otto de Regno suo Longobardiæ Reatem, Amiternum & alias quinque civitates addidit. In fine, maximi momenti subjungitur Clausula: *Salva in omnibus nostra, Filii nostri, & posterorum nostrorum potestate.*

Lib. XLVI. §. 26. to. 7. Conc. p. 1515 to. 9. p. 643. ap. Bar. an. 962.

In iisdem deinde Actis modus eligendi Papam statuitur. Omnes Clerici, Proce-

(*) Urbs Hetruriæ excisa.

Proceresque Romani edito juramento promittant, se Papam Canonice electuros. Papa vero non ante consecretur, quam publice præsentibus Mandatariis Cæsareis promiserit, se omnium ordinum jura conservaturum. Nemo Electionem, sub pœna exilii, turbare audeat. Denique semper Papæ & Imperatoris Mandatarii Romæ sint, qui singulis annis referant, an ratione & æquitate Duces & Judices populis Jus dicant. Hi Delegati querelas ad se delatas primo Papæ indicent, qui, si visum fuerit, statim remedium ferat, vel a Mandatariis Imperatoris causam judicari patiatur. Ex hoc adjuncto satis dispicitur, Imperatorem sibi semper supremam potestatem & Jurisdictionem in Urbem & in omnes provincias in illa donatione contentas reservasse, quod etiam ea, quæ in ista Historia sequentur, ostendent. Ceterum in his Actis Otto Imperator suo & Regis filii sui nomine loquitur. Post ipsius nomen appositum, conspiciuntur nomina decem Episcoporum, videlicet, Adaldagi Archiepiscopi Hamburgensis, & septem Episcoporum Germaniæ, tam trium ex Longobardia. Hattonis deinde Abbatis Fuldensis, & alterius Abbatis Germani. Tandem etiam quinque Comitum, & quorumdam Procerum. Data sunt autem decima tertia Februarii, anno nongente-

Sæculum X. A. C. 962.

Sæculum X. A. C. 962.

genteſimo ſexageſimo ſecundo, Indictione quinta, Regni Ottonis vigeſimo ſeptimo. Atque primum Autographum literis aureis Romæ in Caſtello SS. Angelorum cuſtoditur.

Baron. an. 962.

§. II.

Magdeburgum. Eccleſia Metropolitica.

Sup. l. LIV. §. 20. Ditm. lib. 2. p. 19. Ap. Mabill. Sæc. 5. pag. 575.

Sub idem tempus obtinuit Imperator, ut Magdeburgum in Eccleſiam Metropoliticam erigeretur. Fundaverat ibi Monaſterium anno nongenteſimo quinquageſimo tertio, ut notavimus, tumque S. Mauritii corpus & quorumdam aliorum Sociorum ejus, anno nongenteſimo ſexageſimo primo, illuc transferri juſſerat. In Bulla, de hac cauſa edita, Joannes Papa XII. ſummatim dicit: *Otto Imperator ad nos detulit, quod devictos a ſe Sclavos ad Fidem Chriſtianam perduxerit, & rogavit, ne illos populos Paſtore deſtitutos, & periculo relabendi in ſervitutem dæmonis expoſitos relinqueremus. Quare decernimus, & præcipimus, ut Magdeburgum in Saxonia ad Albim poſitum, illis gentibus proximum, in Sedem erigatur Archiepiſcopalem, quæ totum gregem per Suffraganeos regere poſſit. Præterea volumus, Monaſterium Merſeburgenſe deinceps Sedem Epiſcopalem eſſe, Magdeburgenſi ſubjectam, cum unus paſtor*

pastor tot populis in fide erudiendis non sufficiat. Item volumus, ut census & decimæ omnium populorum, qui pia Imperatoris opera baptizati fuerunt, aut Successorum ipsius cura baptizabuntur, Ecclesiis Magdeburgensi & Merseburgensi, & cuicunque alteri, si e re Ecclesiæ visum fuerit, conferantur. Præcipimus Archiepiscopis Moguntino, Trevirensi, Colonienſi, Salisburgensi, & Hamburgensi, ut ad istarum Ecclesiarum fundationem omnibus viribus operam jungant. Si vero Deo adjuvante & potentia Imperatoris vel Successorum ipsius Sclavi in vicina regione habitantes ad Sacra Christiana perducti fuerint, Ecclesias Cathedrales in locis, ubi commodum fuerit visum, constituant, quarum Episcopi ab Archiepiscopo Magdeburgensi consecrentur, & sint ipsius Suffraganei. Hæc Bulla duodecima Febr. Indictione quinta, anno Pontificatus Joannis septimo, Ottonis Imperatoris primo, nempe anno Salutis nongentesimo sexagesimo secundo data est. At effectus non ante annum exinde sextum secutus est.

Sæculum X. A. C. 962.

§. III.

S. Dunstanus Archiepiscopus Cantuariensis.

Eodem ferme tempore S. Dunstanus, Archipræsulatum Cantuariensem

Sup. l. LV. §. 29.

Sæculum X. A. C. 962.

consecutus Romam venit, petens Pallium. Post mortem Regis Edmundi anno 946. a Sicariis occisi, Edredus ejus frater & Successor, piissimus Princeps, Dunstanum Abbatem magno in pretio habens, commissa ei Thesauri & Tabularii custodia, ejusdem consilio in pertractandis Regni negotiis utebatur. Cupiebat etiam, ut Episcopatum Vintoniensem, Elfego defuncto, Dunstanus susciperet, & Rege jubente Regina mater eundem ad subeundum Episcopale munus permovere omnibus viribus conata est; sed tunc S. Abbatis honorem recusantis constantia expugnari non potuit. Rex Edredus anno nongentesimo quinquaquagesimo quinto e vita decedens Successorem habuit Eduinum nepotem, Principem juvenem, necessaria prudentia destitutum, omnia cupiditatibus suis indulgentem, & juvenum sequentem consilia. Viros divites, præsertim si pii essent, bonis suis spoliabat, & e patria proscribebat. Ecclesias expilabat, Religionem vilipendebat, civitates exactionibus vexabat. Quin & sanguine sibi conjunctos ipsamque Reginam aviam suam pessime habebat, & effrenata licentia in libidinem ferebatur. S. Dunstanus in vitia ruentem sustinere conatus, ubi monita sua contemni cognovit, ad monasterium suum Glastoniense se recepit.

Vit. n. 21. 22. Sæc. V. Ben. n. 23. 25.

n. 26.

Nihilo-

Nihilominus interfuit Sacris, cum inungeretur Rex juvenis, qui ipsa die relictis Episcopis & Proceribus, quibuscum convivio assederat, derepente in conclave se proripuit, ut cum pellice, cui adsueverat, libidinaretur. Pudor & dolor subiit Præsules, quod usque adeo despicerentur, suasitque Odo Archiepiscopus Cantuariensis, mittendum esse ex viris Ecclesiasticis aliquem, qui Regem reduceret. Nec mora ad hanc legationem obeundam deligitur Dunstanus Abbas, comitante quodam Episcopo ejus propinquo. Ergo Dunstanus cubiculum intrat, vi adhibita e complexu nefandæ meretriculæ raptum Regem corona, quam deposuerat, iterum redimit, & in conspectum Odonis reducit. At femina amore insana & vindictæ cupiditate ardens quieti caput non dedit, prius quam Regem ad Dunstanum in exilium mittendum impulisset. Primo itaque Edictum edidit, quo omnibus monasteriis Bona auferebantur, misit deinde Glastoniam mandatarios, qui conscripto rerum omnium, ad istud Monasterium pertinentium, commentario, Dunstanum e medio monachorum, amicorum pauperumque misere ejulantium rapiunt. Ipse conscensa nave trajecit in Flandriam, ubi a Comite perbenigne exceptus, ad Monasterium S. Petri Gandavi tunc tempo-

Sæculum X. A. C. 962.

n. 27.

vit. Od.

n. 12.

S. Dunstanus exul.

Sæculum X. A.C. 962.

ris piorum virorum frequentia & literarum ſtudiis celebre ſe contulit.

vit. Odon. n. 13.

Interim Odo Archiepiſcopus, cum Rex juvenis increpationibus ejus non acquieſceret, armatis in Regiam immiſſis, mulierculam, quam præ ceteris Rex deperibat, abſtrahi juſſit, moxque in facie deturpatam ac candenti ferro notatam in Hiberniam devehi. Sed cum poſt aliquod temporis ſpatium in Angliam rurſus navigaſſet impudens ſcortum, & Gloceſtriam veniſſet, ab Archiepiſcopi hominibus comprehenditur, & acciſis poplitibus poſt poſt paucos dies miſere exanimatur. Tanta erat Archiepiſcopi potentia & ſeveritas.

vit. Dunſt. n. 28.

Ipſo Eduino Rege, cum tolerari non poſſet, expulſo, fratrem ejus Edgarum anno 957. omnes Regem proclamant. Is paucis exinde diebus, Comitiis totius Regni ſui convocatis leges injuſtas a fratre ſuo latas retractavit, & cuncta perperam acta emendavit. Dunſtano Abbati ab exilio honorifice revocato majores quam Anteceſſores ſui honores exhibuit, qui haud diu poſt vacante Eccleſia Vigornienſi ad ſubeundum onus Epiſcopale a Rege compulſus Cantuariam Ordinationem accepturus venit. Præſentem Odo Archiepiſcopus & amicum lætiſſimus conſecrat. Sed ecce, cum pro Ritu Eccleſiaſtico in precibus Dunſtanum, Epiſco-

Episcopum Vigornienſem, nominare debuiſſet, eum Archiepiſcopum Cantuarienſem appellabat, ac ſi ipſum in ſua Eccleſia Succeſſorem ordinaret. Putarunt circumſtantes id errore linguæ fieri, monueruntque Ordinantem, ipſum in nomine Eccleſiæ falli; quibus ille: *Scio, filii mei! ſcio quid Deus in me operetur. Nam iſte quidem me vivo Eccleſiam Vigornienſem reget, ſed me ad Patres translato toti Angliæ præerit.* Tum Epiſcopo Londinenſi mortuo Rex Edgarus, cives, primique illius civitatis vehementer inſtabant, ut & hujus Eccleſiæ Regimen acciperet, ipſoque auctoritatem Canonum objiciente prohibentium, ne duæ Eccleſiæ uni Paſtori committerentur, ad eum permovendum attulerunt, S. Joannem ſeptem Eccleſiis eorumque Epiſcopis præfuiſſe, & S. Paulum omnium Eccleſiarum curam geſſiſſe. Quibus rationibus victas manus dedit Dunſtanus; quaſi vero Miſſio Apoſtolorum prorſus ſingularis ad commune Regimen Eccleſiæ diſponendum in exemplum trahi deberet. Ergo ambas Eccleſias Londinenſem & Vigornienſem tanquam utriusque Epiſcopus rexit. Sæculum X. A. C. 962.

Cum Odo Archiepiſcopus anno nongenteſimo ſexageſimo primo, quarta Julii deceſſiſſet, poſtquam rexiſſet Eccleſiam Cantuarienſem annis viginti, Sancto- *vit. Od. n. 15. vit. Dunſt. n. 32.*

Sæculum X. A. C. 962.

rum numero postea adscriptus, rogavit Rex Dunstanum, ut defuncto se subrogari pateretur, sed persuadere non potuit. Ipso igitur Dignitatem recusante Elfinus Episcopus Vintonienſis Proceribus, virisque in palatio Edgari Regis auro dato corruptis obtinuit, ut sibi Dignitas, quam longo tempore ambierat, obtingeret. Sed itinere Romam suscepto, gravi inter Alpes frigore correptus interiit. Rex iterum Dunstanum urgere, ut Sedem Cantuarienſem conscenderet, eoque iterum renuente eligitur Berthelinus seu Birthelmus, Episcopus Dorsacenſium vir bonus, sed rebus gerendis impar; unde post pauculos dies a Rege ad Episcopatum suum non sine verecundia redire jussus est. Tumque Rex tertio ad Dunstanum convertitur, qui omnium Episcoporum Regisque precibus tandem superatus consensit, & abjecta omni mora Romam profectus est, ubi Joannes Papa Pallium cum epistola consueta, Episcopi officia continente, ei tradidit. Et Epistolam quidem sua manu Dunstano porrexit, Pallium vero in Altari S. Petri positum accipere jussit. (*)

S. Dunstanus Archiepiscopus.

Sæc. 5. Act. p. 658. tom. 9. Conc. p. 641.

§. IV.

(*) Aus dieſem und aus dem, was folget, erhellet, daß Joannes XII. für einen rechtmäßigen Pabſt überall gehalten worden. So ungesittet aber

Sæculum X.
A. C. 962.

§. IV.

Udalricus Archiepiscopus Remensis.

Sub idem ferme tempus Papa in Causa Sedis Remensis consulitur. Artaldo *Frod. Chr.* 961.

aber das Leben Joannis XII. und einiger andern Päbste im zehenten Jahrhunderte immer gewesen ist, so hat jedoch GOtt der Allmächtige nicht zugelassen, daß eine neue Irrlehre die Unordnung und das Aergerniß in seiner Kirche vergrössert; gleichwie solches, leyder! zur Bestrafung der Hirten und der Schaafe, zur Zeit Lutheri geschehen. Ich liese im Neuesten, Heumond 1760. im X. Stücke. Luther ist für einen Wechselbalg, einen Schüler des Teufels, einen Erzketzer, Rumorgeist, Trunkenbold, Meyneidigen, Weichling, Idioten, und Judas Ischarioth geschimpfet worden. Er soll sich erhenket, und die höllischen Poltergeister sollen über seinem Grabe schrecklich getobet haben. Das sind Katholische Blumen in den Kranz seiner Ehren. Andere Verläumdungen übergehen wir izo.

Daß sich Luther soll selbst erhenket haben, oder die Teufel über seinem Grabe sich lustig gemachet, das sind Possen. Was aber den Namen eines Erzketzers betrifft, solchen wird er wohl für seine Person von sich nicht ablehnen, bis er nicht, oder die Herren Protestanten eine zureichende Antwort werden gegeben haben auf die Frage: *In quo nomine fecistis hoc vos?* Act. IV. Nämlich wo hat Luther

Sæculum X. A. C. 962.

Id. 954.

Achiepiscopo ultima die Septembris anno nongentesimo sexagesimo primo rebus humanis erepto, Hugo filius Heberti Ver.

ther den Beruf und die Gewalt hergenommen, die Christglaubigen von der Gemeinschaft mit der Römischen Kirche, in welcher sie von der Zeit ihrer Bekehrung an allzeit gelebet hatten, abwendig zu machen, und die heilige Schrift anders als die Römische, das ist, die allgemeine Kirche auszulegen? Daher kömmt es auch, daß weder Luther noch seine Jünger ihres Glaubens wegen Rechenschaft haben geben können. Die Antwort eines Katholicken auf die Frage, warum er diese oder jene Stelle, welche einen Glaubens-Artickel betrifft, von der heiligen Schrift also versteht, ist gründlich und entscheidend; er saget: Ich glaube diesen Lehrsatz, weil er vernünftig ist, und solchen die allgemeine Kirche mir also vorträgt. Ein Lutheraner kann aber nichts anders antworten, als: es scheinet mir, daß diese Lehre aus der Schrift also zu verstehen sey, Doctor Luther hat sie also ausgeleget, und weil ich Lutherisch gebohren bin, so mag ich weiter nicht nachfragen. Also kann ein Protestant das Ansehen und die Auctorität der allgemeinen Kirche zur Bestättigung seiner Lehre nicht beybringen, sondern nur die Meinung eines Privatgeistes.

Uebrigens haben die Herren Verfasser des Neuesten nicht Ursache, sich über die Ausdrücke einiger Katholicken zu beklagen, denn sie machen es uns noch ärger. In der Beurtheilung des Memoire de la Necessité 1755. haben sie also schreiben dürfen:

Vermanduensis, fratrum suorum præsidio suffultus, in hanc Sedem postliminio redire conabatur, Lothario Rege quoque favente. Nam cum Rex Ludovicus Ultramarinus mortalitatem exuisset anno nongentesimo quinquagesimo quarto, decima quinta Octobris, Regni sui decimo octavo, vitæ trigesimo quinto, & filius defuncti Lotharius, tredecim annorum puer, successisset, Mater ejus Gerberga, anno nongentesimo sexagesimo secundo inchoato, communicato cum Brunone Archiepiscopo Colonienſi, cujus soror erat, consilio, ab ipso rogata est efficere, ne Hugo in possessionem Archiepiscopatus Remensis denuo mitteretur. Ad agitandam hanc causam in Diœcesi Meldensi Concilium celebratum, cui ex duabus provinciis Remensi & Senonensi, hoc

Sæculum X. A. C. 962.

Id. 962.

tom. 9. *Conc. p.* 647.

sen: Wenn sie (die gekrönten Katholischen Häupter) nur Verstand und Muth genug hätten, sich dieselben (Vortheile, durch Abschaffung der Klöster) zu verschaffen. Das ist nun eine Lutherische Blume in dem Ehrenkranz Katholischer Könige, welche nicht nur allein in der Nase der Katholicken, sondern auch vernünftiger Protestanten sehr übel riechet. Eine solche schöne Blume oder Verläumdung werden wir sehen in diesem Buch §. XXXV. Indessen ist ja freylich Luther ein grosser Mann. Arius war auch einer, und Mahomet noch gröſſer.

Sæculum X. A. C. 962.

posteriore Præsidente, Episcopi tredecim interfuerunt. Non nulli Hugoni favebant, sed ipsius Restitutioni maxime obsistebant Rorico Laudunensis, & Gibuinus Catalaunensis, affirmantes, Christianum hominem a tot Episcopis excommunicatum a minore numero absolvi non posse. Inter omnes conventum, consulendum esse Papam, qui eodem anno declaravit; Hugonem tam a se, quam a toto Concilio Romano, rursusque ab alio, Ticini celebrato, fuisse excommunicatum. Cum igitur Bruno Archiepiscopus Colonienſis Clericis Remensibus hoc Papæ Responsum indicasset, electus est Archiepiscopus Udalricus, Comitis nomine Hugonis filius, hanc Electionem Rege Lothario, Regina matre, & Archiepiscopo Brunone Regis patruo approbantibus. Quare Udalricus Remis ordinatus est a Guidone Episcopo Suessionensi, Roricone Laudunensi, Gibuino Catalaunensi, Hadulfo Noviodunensi, & Wicfredo Virdunensi. Is ordinatus fuerat in Concilio Meldensi, quamvis Berengarius Episcopus Virdunensis viveret, & possessione Ecclesiæ gauderet, quin etiam inconsulto Archiepiscopo Trevirensi, ipsius Metropolitano; quod hi Episcopi Berengarium, ipsorum Synodis interesse recusantem, pro hoste haberent.

Chro. Hug. Flavin. pag. 134.

§. V.

Sæculum X.
A. C. 962.

§. V.

Joannes XII. contra Imperatorem seditionem movet.

Joannes Papa XII. brevi immemor juramenti, quo se Ottoni Imperatori obligaverat, missis ad Adalbertum, Fraxineti apud Saracenos, tutores suos, versantem, Legatis, eidem consilium & opem contra Imperatorem addito juramento pollicetur. Imperator, qui Ticini commorabatur, vehementer admiratus, quod Papa amicitiam quæreret hominis, paulo ante tantopere inviſi, Romam aliquos de suis mittit, qui omnia accurate explorarent. His vero in Urbem pervenientibus uno ore Romani dixerunt: *Joannes Papa odit Imperatorem, qui ipsum a Tyrannide Adalberti liberavit, eique non alia ratione quam Diabolus Creatori suo adversatur. Imperator Deo placere, Ecclesiæ pacem, & Salutem Reipublicæ curare cupit. Joanni Papæ mens contraria est. Id testatum facit Reinerii ipsius militis vidua, quam cæco captus igne, multis præfectam urbibus, Sacrosanctis Beati Petri aureis crucibus atque calicibus donavit. Id testatur Stephana, in partu infantis, quem ex eo conceperat, modo defuncta. Quod si cuncti taceant, infamiam prodit Lateranense Palatium, Sanctorum quondam hospitium, nunc meretri-*

Luitpr. VI. c. 6. Supl. Regin. an. 963.

Sæculum X. A.C. 963.

retricum diversorium, in quo amicam suam, patris sui concubinæ sororem, alit. Nullæ mulieres peregrinæ SS. Apostolorum limina visere audent, quia audierunt, Joannem, ante dies paucos, non nullas conjugatas, viduas, virgines, vi oppressisse. Eximiæ vel vulgaris formæ sint mulieres, opulentæ vel pauperes, omnibus perinde abutitur. Basilicæ Apostolorum collabuntur, super Sacra Altaria imber decidit, ingredientes, tignis ruinam minantibus, de vita periclitantur. Hoc rei est, quod Papa Imperatorem pertimescat, & Adalbertum sibi Defensorem paret.

Hæc dum a redeuntibus nunciis Imperator audiisset, de Papa, *puer*, inquit, *est, bonorum virorum objurgatione & exemplo facile immutabitur.* Tum Imperator Montem Feretrum, in quod Adalbertus (*) confugerat, obsedit. Atque illuc Joannes Papa Leonem Ecclesiæ Romanæ Protoscriniarium & Demetrium, Optimatum Romanorum illustrissimum, misit, mandans, emendaturum se, quod juventutis igne devictus puerile gessisset, & conquerens, quod Imperator quemdam Leonem Episcopum, & Joannem Diaconum Cardinalem,

(*) In Cardinali Baronio ex Luitprando legitur: in quo Berengarius & Willa erant. Nempe & Pater & Filius ibi fuerint.

lem, fractæ fidei reos suscepisset, & quod promissionis suæ fidem violaret, dum eos, quos in devictis urbibus inveniret, non ipsi Papæ, sed sibi juramento adstringeret. Sæculum X. A. C. 963.

His Legatis Imperator: *Omnem terram S. Petri, quæ nostræ potestati subjecta est, Ecclesiæ promisimus reddere; ideoque Berengarium (*) ex hac munitione pellere laboramus. Quod spectat ad Leonem Episcopum, & Joannem Cardinalem, quos me suscepisse Papa accusat, capti sunt Capuæ (ut ad nos delatum est) cum Constantinopolim ad injuriam nostram a Domino Papa mitterentur. Cum iis præterea custodiæ traditi sunt quidam Salecus, natione Bulgarus, sed inter Hungaros educatus, Domini Papæ familiarissimus, item Zacharias, vir improbus, Divinarum atque humanarum literarum insçius, quem Dominus Papa nuper Episcopum consecratum ad Hungaros misit specie prædicandi Evangelii, re ipsa Barbaros, ut in Germaniam irruant, excitaturum. Hæc Dominum Papam feciſſe, quibuscunque narrantibus, minime crederemus, nisi fidem facerent literæ, quæ, plumbo signatæ, ipsius nomen exhibent.* Otto in Italia.

Quo

(*) In Cardinali Baronio additum est: *cum tota familia.*

Sæculum X. A. C. 963.

Quo responso dato, Imperator Landoardum Episcopum Mindensem (*) & Luitprandum Cremonensem cum iisdem Papæ nunciis Romam mittit, se apud Pontificem purgaturos, additis mandatis; si Papa eis fidem non haberet, amborum Episcoporum milites* Imperatoris innocentiam oblato duello demonstrarent. Episcopi in Papæ conspectum pervenientes, facile intellexerunt, quantum eos fastidiret. Non jurejurando, non duello satisfactionem recipere voluit; sed octiduo elapso Joannem Episcopum Narnienſem & Benedictum Cardinalem Diaconum subdole ad Imperatorem mittit, dum per nuncios alios Adalbertum ad reditum invitat. Qui Fraxineto profectus Centumcellas & inde Romam venit, a Papa honorifice susceptus.

* Vasalli.

Imperator tota æstate in obsidione Montis Feretri consumta Romam convertitur, quo eum plerique Proceres, S. Pauli Castro occupato, quin & obsidibus datis invitabant. Papa & Adalbertus aufugiunt, thesauro S. Petri magnam partem abstracto, Roma in partes divisa, quippe non nulli Papæ favebant. At omnibus dissimulantibus, & Imperatorem

(*) In Actis *Numendensem*. Fleurius reddidit: *Munster*. Sed melius *Minden*.

rem inter honoris convenientis signa suscipientibus, ipse cum omnibus suis Urbem intrat, fidem jurant cives, & promittunt, nunquam se Papam præter consensum Imperatoris aut Regis filii ejus electuros vel ordinaturos. Sæculum X. A. C. 963.

§. VI.

Concilium Romanum.

Post triduum, rogantibus tam Romanis Episcopis quam plebe, magnus in S. Petri Ecclesia conventus factus, sederuntque cum Imperatore quadraginta ferme Episcopi, videlicet, pro Angelfrido Aquilejensi Patriarcha, qui languore correptus post paucos dies extinctus est, quidam Diaconus, Walbertus Archiepiscopus Mediolanensis, Petrus Ravennensis, & Adaldagus Bremensis, Imperatorem in illa profectione secutus. Post tres Archiepiscopos, sedebant tres Episcopi Germani. Ceteri ex diversis Italiæ partibus erant. Aderant quoque Cardinales Presbyteri tredecim, Diaconi tres, complures alii Clerici Ecclesiæ Romanæ, quidam Proceres Laici cum tota Romanorum militia. Conticentibus omnibus Imperator dixit: *Omnino decuisset Joannem Papam huic venerabili interesse Concilio. Dicite nobis, cur venire refugiat?* Responderunt Episcopi: *Miramur, quod prudentia tua nos percontari velit, quod nec*

to. 9. Conc. p. 648.

Luitpr. VI. c. 7.

Sæculum X. A. C. 963.

nec Babylonicos, nec Ibericos, nec Indicos incolas latet. Ita aperte Diabolica pertractat negotia, ut nihil circuitionis utatur. (*) Ad hæc Imperator: *Justum est, ut accusationes speciatim proferantur.*

Tunc consurgens Petrus Cardinalis Presbyter testatus est, se vidisse illum Missam celebrasse, & non communicasse. Joannes Episcopus Narniensis & Joannes Cardinalis Diaconus dixerunt, se vidisse Joannem Papam extra tempora præscripta in equorum stabulo Diaconum ordinasse. Benedictus Cardinalis Diaconus Libellum omnium Presbyterorum & Diaconorum nomine legit, in quo accusabatur Joannes Papa, quod accepto pretio Episcopos ordinaret, & quod puerum decennem Tudertinæ civitati Episcopum consecrasset. Dixerunt, quod certissime scirent, ipsum Rainerii viduæ, Stephanæ patris concubinæ, (**) & Annæ viduæ neptisque ejus corporibus sacrilega libidine illusisse. Sacrum Palatium in Lupanar convertisse. Publice venatum exivisse. Benedictum, Spiritualem patrem suum, oculis privasse, qui ex illa sævitia mox mortuus esset. Joannem Cardinalem

(*) Sunt ipsa verba Actorum.

(**) Hic dicitur Patris Concubina, quæ superius Concubinæ soror dicta.

nalem Subdiaconum, virilibus amputatis, occidisse. Quasdam ædes incendi jussisse, & ense accinctum, galeaque & lorica indutum fuisse conspectum. Omnes tam Clerici, quam Laici acclamarunt, quod in amorem Diaboli vinum bibisset, quod in ludo aleæ Veneris, Jovis cæterorumque Dæmonum auxilium popposciisset, quod nec horas matutinas, nec Canonicas recitasset, nec signo Crucis se muniisset. Sæculum X. A. C. 963.

Quia vero Romani linguæ Saxonicæ, qua utebatur Imperator, ignari erant, Luitprandum Episcopum Cremonensem iis suo nomine latino sermone hæc dicere jussit; *Persæpe fit, quod experti loquimur, viros in Dignitate constitutos invidorum calumniis maculari. Unde hanc Accusationem, quam modo Benedictus Diaconus legit, suspectam habemus. Quare omnes obtestor per Deum, quem nemo fallere potest, per Sanctam ejus Genitricem, perque pretiosissimum corpus Principis Apostolorum, in cujus hæc recitantur Ecclesia, ut nihil contra Dominum Papam proferatur, quod non sit ab ipso patratum, atque a viris probatissimis visum.* Tunc Episcopi, Clerici populusque Romanus uno ore dixerunt: *Si ea, quæ a Benedicto Diacono lecta sunt, bisque ampliora & turpiora facinora Joannes Papa non commisit, Apostolorum Princeps a vinculis* c. 8. Acta Concilii.

Sæculum X. A. C. 963.

peccatorum noſtrorum nos non abſolvat, anathematis vinculo innodati ſimus, atque in extremo Judicii die in parte ſiniſtra inter hædos inveniamur. Quod ſi fidem nobis non habes, toti exercitui tuo crede, cui ante quinque dies enſe, clypeo, galea, lorica munitus occurrit. Et niſi interfluxiſſet Tiberis, ita ornatus captus fuiſſet. Imperator dixit: *Tot ſunt hujus rei teſtes, quot ſunt in exercitu meo commilitones.*

Itaque Imperatoris nomine epiſtola
c. 9. ad Papam miſſa, quæ ſic ſe habet: *Romam ob ſervitium Dei venientes, cum cauſam abſentiæ veſtræ ex Epiſcopis & Cardinalibus quæſiviſſemus, tam obſcena de vobis protulerunt, ut ſi de hiſtrionibus narrarentur, nobis verecundiam ingererent. Tam Clerici, quam Laici vos homicidii, perjurii, ſacrilegii, inceſtus crimine cum cognata & duabus ſororibus accuſarunt. Dicunt & aliud auditu horridum, vos in amicitiæ fœdus vinum Diabolo propinatum ſacrumque potaſſe, aleis ludentes Jovis, Veneris ceterorumque Deorum opem invocaſſe. Quare oramus vos enixe, ut veniatis, & hæc omnia diluere non diſſimuletis. Si forte vim temerariæ multitudinis formidetis, juramento vobis affirmamus, nihil præter Sacrorum Canonum Sanctionem agendum.* Hæc epiſtola ſexta Novembris data erat. Qua perlecta

lecta Papa datis literis ad Episcopos directis respondit: *Nos audivimus dicere*, (*) *quod vos vultis alium Papam facere, si hæc feceritis: excommunico vos de Deo Omnipotenti, ut non habeatis licentiam ullum ordinare, & Missam celebrare.* Sæculum X. A.C. 963. c. 10.

Hoc Papæ Responsum lectum est in secunda Concilii Sessione post quindecim dies, nempe vigesima secunda Novembris celebrata, cui supervenientes Henricus Archiepiscopus Trevirensis, & Episcopi, Mutinensis, Dertonensis & Placentinus interfuerunt. Ipsorum etiam consilio requisito Papæ rescriptum est in hunc ferme modum: *Ad epistolam nostram nihil, quod rationi consentaneum esset, respondistis, nec Nuncios misistis, ut decebat, qui causam vestram egissent. Si ad Synodum venire & objecta purgare non differtis, auctoritati vestræ procul dubio obediemus, sed si venire & crimina diluere dissimulatis, cum vos nec corporis ægritudo, nec longum iter retineat, spreta vestra excommunicatione, eam in vos ipsos retorquebimus. Judas cum ceteris Apostolis prius ligandi atque solvendi potestatem acceperat, sed postquam JEsum Magistrum suum prodidit, quem ligare potuit, nisi se ipsum?* Si

(*) Sunt ipsa verba ex Actis.

Sæculum X. A. C. 963.

Episcopi dicere volebant, Papam patratis criminibus Potestatem clavium amisisse, error fuit manifestus. (*) Hoc Rescriptum per Hadrianum Cardinalem Presbyterum, & Benedictum Cardinalem Diaconum Papæ missum; qui cum ad Tiberim perveniissent, eum non invenerunt, quippe pharetratus in campestria jam abierat. Nec quisquam, ubi esset, indicare poterat.

§. VII.

Joannes deponitur. Leo VIII. Papa.

Itaque Cardinales cum eodem Rescripto ad S. Synodum, quæ tunc tertio est habita, reversi sunt. Secundum Canones tertio etiam vocandus fuisset Papa; sed forsan crediderunt Episcopi, fore cæremoniam inutilem, cum nescirent, quo mittendi essent, qui eum vocarent. Ut ut autem id se habeat, Imperator locutus est in hunc modum: *Expectavimus adventum Papæ, ut ipso præsente querelas*

(*) Fleurius abrupte admodum tot Episcopos errare suspicatur. Nam Episcopi hic procul dubio loquuntur de usu potestatis clavium, & de Excommunicatione sibi ipsis a Joanne Papa intentata, quæ ut valida esset, non solum potestas clavium, sed etiam justa causa requirebatur.

relas proferremus. Verum, quoniam cum non venturum certo scimus, ut, quam perfide nobiscum egerit, cognoscatis, etiam atque etiam rogamus. Namque Joannes Papa oppressus a Berengario atque Adalberto, in nos rebellibus, misit in Saxoniam nuntios, rogans, ut pro amore (*) Dei in Italiam veniremus, atque Ecclesiam S. Petri & ipsum ex faucibus eorum liberaremus. Quantum, adjuvante Deo, effecerimus, videtis. Nihilominus juramenti, & fidei supra corpus Sancti Petri mihi datæ, oblitus eundem Adalbertum, Romam vocatum, contra me defendit, seditionem commovit, & videntibus meis militibus Dux belli factus lorica & galea armatus apparuit. Edicat Sacra Synodus, quid de hac re decernat. Sæculum X. A. C. 963.

Ad hæc Sacra Synodus dixit: *Inauditum vulnus inaudito cauterio est exurendum. Si corruptis moribus sibi soli & non cunctis noceret, quoquo modo tolerandus esset, sed quot probi ipsius exemplo perversi sunt? petimus itaque a Majestate tua, ut istud monstrum e Sancta Romana Ecclesia pellatur, & alius sufficiatur, qui sibi prodesse & nobis exemplo præesse valeat.* Tunc Imperator: *Placet*, inquit,

(*) Ex his confirmantur dicta in Nota I. Maxima illis temporibus certe fuit Romanorum levitas & inconstantia.

Sæculum X. A. C. 963.

quit, *quod dicitis. Nihilque gratius nobis accidat, quam virum invenire, qui huic Sanctæ & universali Sedi præsit.* Omnes una voce ter repetita dixerunt: *Leonem virum venerabilem, Ecclesiæ Romanæ Protoscriniarium, optime de Ecclesia meritum, Pastorem eligimus.* Imperatore consentiente, Leo ad Lateranense Palatium de more cum Cardinalibus deducitur, die convenienti in Ecclesia S. Petri, mense Decembri, Papa ordinatur, eique a Fidelibus fides juratur.

c. 11.

Hic est Leo VIII. qui Sacram Sedem uno anno & quatuor mensibus obtinuit, patria Romanus, Joannis Protoscriniarii filius. Ordinatione facta eodem mense Decembri, anno nongentesimo sexagesimo tertio, Presbyteros septem, Diaconos duos creavit. Ceterum ipsa Acta Concilii, in quo electus fuit Leo, non habemus, sed solummodo narratio, quæ occurrit in fine Historiæ Luitprandi, nobis supersest. (*)

vit. Joann. XII. ap. Papebr.

§. VIII.

Romani Obitus. Nicephorus Phocas Imperator.

Cedr. p. 645. *p.* 642.

In Oriente Romanus junior, Imperator, mortuus est decima quinta Martii eodem

(*) Hic Leo Romanorum Pontificum Catalogo

dem anno nongenteſimo ſexageſimo tertio, mundi 6471. Indictione ſexta, poſtquam imperaſſet annis tribus & menſibus quatuor, cum viveret cupiditatum ſuarum mancip um, aliorum magis quam ſuo arbitrio ducebatur. Quemdam Clericum, Evnuchum, nomine Joannem, a Conſtantino Imperatore, parente ſuo, ob crimina pudenda probroſe ejectum, & Monachorum habitum indutum revocavit, eumque iterum in numero Clericorum eſſe juſſit. Cum id Polyeucto Patriarchæ non probaretur, vehementer inſtabat apud Romanum Imperatorem, ut monachum Apoſtatam e Palatio ejiceret. Sed Joannes omnibus viribus affirmare; ſe ſolummodo Conſtantini Imperatoris metu compulſum, monachum ſimulaſſe, nec unquam ab aliquo Presbytero Benedictionem accepiſſe. Ita Patriarchæ induſtria deluſa more Sæcularium usque ad obitum Romani vixit, tumque iterum monachi habitum, ſed non mores aſſumpſit.

Sæculum X. A. C. 963.

p. 642.

Romanus, inſtigante uxore, ex Palatio expulit Helenam Imperatricem, matrem

go non inſeritur; ſed Joannes XII. pro Legitimo Paſtore Eccleſiæ habetur, quamvis conſenſu Eccleſiæ alius Joanni XII. ſuffici potuiſſe videatur, ſicut olim S. Eugenius in Sæc. VII. S. Martino, innocenti, & viventi, ſuffectus eſt.

Sæculum X. A. C. 963.

trem ſuam, ſororesque ſuas, quas a matre abſtractas, ritu Monialium, tonderi juſſit. Hæc res Helenam ita afflixit, ut inde moreretur. At Romano fatis functo Sorores ipſius abjecto habitu monaſtico carnem comederunt, dicentes, nunquam ſe ſincere Moniales fuiſſe. Deceſſit vero Romanus anno ætatis vigeſimo quarto, vel veneno ipſi clam propinato, vel immodicæ Veneris uſu conſumptus. Duos reliquit filios Baſilium & Conſtantinum, qui ob imparem ætatem non niſi poſt magnum temporis ſpatium ad Imperium pervenerunt. Tunc Imperator proclamatus eſt Nicephorus Phocas, vir plus una clade Saracenis illata clariſſimus, in magna Eccleſia Conſtantinopolitana, Die Dominica, decima ſexta Auguſti, eodem anno nongenteſimo ſexageſimo tertio, Indictione ſexta a Polyeucto Patriarcha coronatus. Vigeſima Septembris Theophaniam Romani viduam Conjugem accepit, quam ſe procul dimiſſuram ſimulaverat, & iterum carnibus veſci cœpit, a quibus ex tempore mortis Bardæ filii ſui, ex primo matrimonio ſuſcepti, abſtinuerat; eum enim funeſto caſu peremptum amiſerat. Nuptiæ ſecundæ in Eccleſia nova Palatii celebratæ; at vero in Sanctuarium pedem inferre volentem, manu prehenſum, Polyeuctus Patriarcha prope cancellos retinens,

p. 648.

nens, ait, non passurum se, ipsum ultra progredi, nisi ob secundas nuptias initas pœnitentiam recepisset. Quæ res Nicephorum maximopere offendit, ideoque Patriarcham, quoad vixit, aversatus est. Præterea fama vulgatum, Nicephorum Theophaniæ prolem e Sacro fonte levasse. His auditis præcepit Polyeuctus, ut vel eam dimitteret, vel Ecclesiam non intraret. Maluit Nicephorus ab Ecclesia excludi, quam a dilecta Theophania avelli. Collectis autem Episcopis, tunc Constantinopoli versantibus, & Senatorum præcipuis hanc causam examini subjecit. Illi dicunt, hanc legem a Constantino Copronymo fuisse conditam, quæ non deberet observari, atque Nicephorum datis literis absolvunt. Polyeucto adhucdum recusante cum Imperatore communicare, Bardas Cæsar, Imperatoris parens, palam edixit, Nicephorum filium suum nunquam prolem ex Theophania antea natam e fonte Sacro levasse, & Stylianus, Palatii Protopapa, id est, Presbyterorum primus, qui sparsi rumoris auctor dicebatur, addito juramento affirmavit, se nunquam vidisse, vel audivisse, vel Bardam, vel Nicephorum cum Theophania Conpatrem fuisse. Tunc tandem Polyeuctus, etsi sciret, Stylianum pejerasse, hanc affinitatem Spiritualem dissimulavit. Ce-

Sæculum X. A. C. 963.

Sæculum X. A. C. 964.

terum, haud facile quis divinaverit, quo pacto illi Episcopi antiquam Disciplinæ Ecclesiasticæ Constitutionem Coprony-mi legem esse dixerint.

§. IX.

Joannes XII. Leonem deponit.

Suppl. Reg. Luitpr. VI. c. 11.

Otto Imperator Natalis Domini Solemniis anno 963. Romæ celebratis, majorem exercitus partem, ne Romanis oneri esset, dimiserat; hi vero instigante Joanne Papa in Ottonem conjurant, & vitæ ejus insidiantur. Qui, pessimorum mancipiorum consilio detecto, Romanorum haud paucos tertia Januarii anno 964. ultimo supplicio addixit. Tum reliqui cives novo sacramento fidem promittunt, & Imperator elapso octiduo Roma excedens, Spoletum petiturus, Romanorum obsides, rogante Leone Papa, libertati restituit. Ipsi Joannem Papam revocant, quo Urbem intrante, Leoni vix licuit effugere & ad Imperatorem pervenire. Joannes Papa Joanni Cardinali Diacono dextram amputari, & Azonem Protoscriniarium lingua, naribus & duobus digitis mulctari jussit.

tom. 9. Conc. p. 653.

Paucis post reditum suum diebus Joannes Papa, vigesima sexta Februarii, anno nongentesimo sexagesimo quarto, Indictione septima, Concilium in Ecclesia S. Petri, præsentibus Episcopis sexdecim, omni-

omnibus patria Italis, & ex Patrimonio Ecclesiæ, & duodecim Presbyteris Cardinalibus, celebravit. Quorum plerique Concilio ante trimestre habito, in quo depositus fuerat, intererant. Isti vero Papa initium dedit, dicens: *Scitis, dilectissimi Fratres, me ex propria Sede per duos menses Imperatoris vi fuisse expulsum; quapropter interrogo vos, an canonica Synodus dici possit, illa, quæ in Ecclesia mea me absente, quarta Decembris, ab Ottone Imperatore suisque Archiepiscopis atque Episcopis habita est?* Concilium respondit: *Prostibulum fuit, favens Leoni adultero, alienæ Sponsæ invasori.* Papa: *Ergo a nobis damnanda est?* Concilium: *Auctoritate SS. Patrum damnanda est.* Tum sententia pronunciata, amplius Papa dixit: *An Episcopi, a nobis ordinati, in nostra Patriarchali domo ordinationem facere potuerunt?* Concilium respondit: *Non potuerunt.* Tum Papa: *Quid censetis de Sicone, Episcopo a nobis dudum consecrato, qui in nostro Palatio Leonem Curialem & Neophytum in nos perjurum, Ostiarium, Lectorem, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum, atque subito Presbyterum ordinavit, eumque sine præcedente examine contra omnia SS. Patrum statuta in nostra Apostolica Sede consecrare ausus est?* Concilium: *Deponendi sunt & qui ordinavit & qui ordinatus est.*

Papa:

Sæculum X. A. C. 964.

Papa: *Nescitur, ubi lateat.* Concilium: *Requiratur diligenter usque ad tertium Conventum. Si non repertus fuerit, canonica sententia feriatur.*

Tunc iterum Papa: *Quid igitur, Reverendissimi Fratres, sancitis de istis duobus Episcopis a nobis ordinatis, Benedicto scilicet Portuensi & Gregorio Albanensi, qui super Usurpatorem preces pronunciarunt?* Concilium: *Simili pœna mulctentur. Sed vestræ interim relinquantur potestati usque ad tertium Conventum.* Papa: *Quid ergo de usurpatore nostræ Sedis faciendum censetis?* Concilium: *Omnino damnetur; ne ullus deinceps Curialium, aut Neophytorum, aut Judicum, aut publice pœnitentium ad Summum Ecclesiæ gradum aspirare præsumat.* Tunc vero Joannes Papa Sententiam contra Leonem tulit, omni honore Sacerdotali, & omni potestate privavit, addita comminatione perpetui anathematis, si aliquid de Sacro Ministerio Sacerdotii peragere, aut in Apostolico Throno residere tentasset. Iisdem vinculis omnes ejus socios & fautores innodavit. Subjunxit: *Quid sentitis de iis, qui ab ipso ordinati sunt?* Concilium: *deponantur!* mox Papa præcepit, eos in Concilium ingredi, Planetis & Stolis indutos, & singulos manu propria in pagina hæc verba scribere: *Pater meus nihil*

Acta Concilii.

nihil sibi habuit, nihil mihi dedit. (*) Sic eos in pristinum gradum detrusit. Sæculum X. A. C. 964.

In secunda Sessione, altera die habita, cum Papa dixisset, Siconem diligenter quæsitum inveniri non potuisse, Concilium statuit, ut ejus damnatio usque in tertiam Sessionem suspenderetur. Papa deinde duos Episcopos, qui Leonem ordinaverant, scilicet Benedictum Portuensem & Gregorium Albanensem ad se vocat, & utrumque in charta hæc verba legere jubet: *Ego Benedictus Episcopus S. Portuensis Ecclesiæ, Ego Gregorius Episcopus S. Albanensis Ecclesiæ, vivente Patre meo consecravi in loco ejus Leonem Curialem Neophytum & perjurum* (**) *contra Statuta SS. Patrum.* Tum sententia in tertiam Sessionem dilata, Papa dixit: *Quid, dilectissimi Fratres, de illis agendum censetis, qui Neophyto pecunias mutuas dederunt ad coemendam Spiritus S. gratiam, quæ nullo pretio venumdari potest?* Concilium respondit: *Si Episcopus est, Presbyter aut Diaconus de gradu suo dejiciatur, si monachus aut laicus anathemate percutiatur.* Abbates vero in ditione Pontificis existentes, qui præcedenti Concilio interfuerant, ipsius judicio

(*) Hic, nomine Patris, ordinans accipitur.

(**) Leo ante Pontificatum erat Laicus, ut Sigebertus scribit.

Sæculum X. A. C. 964.

cio relicti sunt. Dixit Papa: *Hoc etiam statuite, ne unquam minor possit gradum suum majori tollere, & si fecerit Communione privetur, simili modo monachi in illis locis, in quibus Sæculo renunciarunt, maneant.* Concilium: *Id a nobis statutum sit & confirmatum.*

In Sessione tertia Papa sententiam protulit in contumacem Siconem Episcopum Ostiensem, qui cum Collegis Leoni manus imposuerat, & omni spe Restitutionis sublata, a Sacerdotio deposuit. Illos, quos Leo ordinaverat, in pristinum gradum dejecit, quod nempe ab ipso nihil accepissent, ea quæ Stephanus Papa egerat contra Clericos a Constantino ordinatos in exemplum adducens. Tandem statuitur, ne Laicus, cum Missæ Solemnia celebrantur, Altari proximus aut intra Sanctuarium consistat. Hæc sunt Acta hujus Concilii, quod magis quam superius in Canones peccare videtur. In quo Leo, absens, in prima Sessione, nunquam vocatus, sine Actore, sine testibus condemnatur. Illud vero notatu digniſſimum, quod in hac Synodo, sicut in omnibus aliis, Auctoritas Canonum & SS. Patrum producuntur. (*)

Sup. lib. XLIII. §. 58.

§. X.

(*) Leo in hoc Concilio canonice depositus dici vix posset, nisi alia obsisterent.

Sæculum X.
A. C. 964.

§. X.

Joannis XII. mors. Benedictus V. Papa.

Hoc Concilio celebrato, Joannes XII. Papa tres non totos menſes ſuperſtes fuit. Namque cum quadam nocte extra Urbem cum femina nupta libidinaretur, in temporibus percuſſus, poſt exactum octiduum non accepto Sacro Viatico animam exhalavit. (*) Sublatus eſt decima quarta Maji, poſtquam S. Sedem, ſi totum tempus ab ejus electione cenſeatur, annis octo & prope duobus menſibus tenuiſſet. Tunc vero Romani, Ottonis Imperatoris iram pertimeſcentes,

Luitpr. VI. hiſt. c. XI. Supl. Regin. an. 964.

(*) Merito hic notandum, quod ſcribit Natalis Alexander tom. XI. p. m. 249. *Joannem XII. Auctor Appendicis ad Luitprandum, nocte quadam, dum fœdis amoribus indulgeret, in temporibus a Diabolo percuſſum (alii a mulieris qua abutebatur marito) eoque ex vulnere infra octo dies mortuum ſcribunt. Ottonis Imperatoris partibus, quem Sanctiſſimum ſemper vocat, penitus devotum extitiſſe, & Leoni VIII. addictum Auctorem illum, certum eſt. Ut non immerito veniant in ſuſpicionem plurima quæ de Joanne XII. & infauſto ejus obitu memorat.*

Fuit Luitprandus Epiſcopus Cremonenſis.

Sæculum X. A. C. 964.

scentes, & fidei, quam eidem & Leoni Papæ juraverant, immemores, Benedictum Cardinalem Diaconum Ecclesiæ Romanæ eligunt, & ordinant, promittentes & Sacramento se obstringentes, nunquam se ab ipso defecturos, & contra Imperatorem defensuros. Is Benedictus V. dicitur.

His compertis Otto, collecto exercitu, Romam obsidet, cuncti qui fuga se se proripere conabantur, aliquo corporis membro mutilantur. Animum ad propugnandam civitatem addidit Benedictus Papa, murosque conscendit, Imperatori militibusque ejus excommunicationem comminatus. Sed Imperatore obsidionem strenue urgente Romani dira fame pressi in Vigilia S. Joannis Præcursoris, vigesima tertia Junii anno 964. portis apertis victorem recipiunt. Tunc vero Benedictum Ottoni tradunt, & Leonem VIII. a Joanne depositum, Papam venerantur.

tom. 9. Conc. p. 659. ex Luitpr.

Concilium deinde in Ecclesia Lateranensi celebratur, Leone Papa præsidente, Ottone Imperatore Episcopisque Romanis, Italis, Lotharingis, Saxonibus, Clericis populoque Romano, præsentibus. Benedictus Papa vestibus Pontificiis ornatus, illorum, qui ipsum elegerant, manibus introducitur, ad quem Benedictus, Archidiaconus Cardinalis:

Qua

Qua auctoritate, quo jure, Usurpator, has vestes Pontificias invasisti, superstite Venerabili Papa Leone, hic præsente, quem nobiscum, rejecto Joanne, elegisti? num inficiari potes, te præsenti Domino Imperatori juramento promisisse, nunquam te cum ceteris Romanis Papam electurum, aut ordinaturum, absque illius, filiique sui Regis Ottonis consensu? Benedictus respondit: *Si quid peccavi, miseremini mei.* Ad hæc Imperator, effusis lacrymis, Episcopos rogavit, ne quodquam præjudicium Benedicto inferretur, si vellet & posset ad interrogata responderet, & si culpam fateretur, pro Dei timore ei veniam concederent. Quo audito Benedictus ad pedes Leonis Papæ & Imperatoris provolutus clamabat, se peccasse, & Sacræ Sedis invasorem esse. (*) Tum Pallium sibi ipsi detraxit, quod cum ferula, seu baculo Pastorali, quem manu gestabat, Leoni reddidit. Leo ferulam minutim confractam populo ostendit. Mox sedere jubet Benedictum, & Casula Stolaque ei ablatis ad Episcopos dixit: *Benedictum Apostolicæ Sedis invasorem omni Pontificatus & Presbyteratus honore privamus; ob misericordiam vero Domi-*

Sæculum X. A. C. 964.

(*) Majore plane constantia Dignitatem suam tueri Summum Pontificem decuisset.

Sæculum X. A. C. 964.

Domini Imperatoris, qui nos Sedi noſtræ reſtituit, eum Diaconatus Ordinem habere permittimus, ea conditione, ſi non Romæ maneat, ſed in exilium migret.

Iv. Pann. lib. VIII. 136. *Grat. diſt.* 63. *c.* 23.

Occurrit hic Concilii iſtius Decretum, in quo Leo Papa cum toto Clero, populoque Romano, Ottoni ejusque Succeſſoribus concedit, confirmatque facultatem, deligendi ſibi Succeſſorem in Regno Italiæ, Papam conſtituendi, Epiſcopos inveſtiendi; ita ut nec Patricius, nec Papa, nec Epiſcopus absque ejus conſenſu eligi poſſit, addita Excommunicationis, perpetui exilii & ultimi ſupplicii pœna. Nempe in hoc Concilio Poteſtas Sæcularis juncta erat Spirituali, Populo Romano æque ac Clero præſente. In eodem Decreto dicitur, id fieri ad exemplum Hadriani Papæ, qui Carolo Magno unacum Dignitate Patricii Ordinationem Sacræ Sedis & inveſtituram Epiſcoporum conceſſiſſet. (*) Sed in Scripto-

(*) De hac Synodo & Conſtitutione pag. qua ſupra Natalis Alex. *Hancce Conſtitutionem, quam refert Gratianus Diſt. LXIII. Cap. in Synodo. Doctiſſimus Cardinalis Baronius ſuppoſititiam eſſe probat. Reclamat vir pariter doctiſſimus Petrus Marca Lib. VIII. de concordia Sacerdotii & Imperii Cap. XII. ſed Baronii argumentis non reſpondet, petitis* 1. *a falſitate ſimilis*

Scriptoribus illius temporis hujus rei mentio non fit, quamvis aliunde conſtet, poſt tempora Caroli Magni æque ac antea ad ordinandum Pontificem Imperatorum conſenſum fuiſſe neceſſarium. Sæculum X. A. C. 965. *V. Marca VIII. Conc. c. 12. &c. c. 19. n. 6.*

Otto Imperator Feſtis S. Joannis, & SS. Petri & Pauli Romæ celebratis, inde cum exercitu excedens, in Italia tamen reliquo anni tempore moratus eſt, ubi dira peſtis Germanos invaſit, quæ præter alios Proceres Henricum quoque Archiepiſcopum Trevirenſem ſuſtulit. Henrico ſucceſſit Theodoricus Trevirenſis Eccleſiæ Diaconus. Tandem Imperator, Feſto Nativitatis Domini Ticini celebrato, in Germaniam rediit, & in Franconia toto Quadrageſimæ tempore anno nongenteſimo ſexageſimo quinto verſatus, Ingelheimii Feſta Reſurrectionis Dominicæ transegit. Inde reverſus in Saxoniam, Benedictum Papam, haud diu abhinc depoſitum, ſecum deducens, eundem Adaldagi Archiepiſcopi Bremenſis *Suppl. Reg. an. 964.* *ibid. an. 965. 22.*

ſimilis conceſſionis. quam ab Hadriano I. Carolo M. factam ait .... 2. Quod abſurdum ſit, Leonem VIII. conceſſiſſe Ottoni jam Imperatori, ut eſſet Patricius & Rex, quod in ea Conſtitutione habetur. 3. Quod hujus Conſtitutionis violatoribus non modo excommunicatio, ſed ultimum etiam ſupplicium irrogetur: quod a Stylo Pontificiarum Conſtitutionum alienum &c.

Sæculum X. A. C. 965.

Hamburgenſis cuſtodiæ commiſit. Adaldagus, Imperatorem in Italiam proficiſcentem ab initio ſecutus, complures Reliquias Roma allatas in varias ſuæ Diœceſis Eccleſias diſtribuit; Benedictum Papam vero Hamburgi cuſtodivit, magno honore eum proſecutus, utpote virum eruditum, virtutibus inſignem, & ſi in ipſius electione contra Canones peccatum non fuiſſet, Papatu dignum. (*) Quippe bono vitæ exemplo & doctrina Saxones in Fide confirmavit. Jamque Imperator, Benedictum Romanis, eum depoſcentibus, remittere cogitabat, cum Hamburgi, quinta Julii, anno nongentesimo ſexageſimo quinto, e vivis abiit. Hodieque hujus Papæ ſepulchrum ibidem in Eccleſia Cathedrali, ſed demum poſt aliquot ſæcula extructum, viſitur.

ap. Papebr. conat.

§. XI.

Joannes XIII. Papa.

Leone VIII. ſub initium menſis Aprilis, poſtquam ſediſſet anno uno & menſibus quatuor, fatis functo, Romani adornata Legatione Azonem Protoſcriniarium & Marinum Epiſcopum Sutrienſem

(*) Fleurius Leonem, potius quam Benedictum, legitimum Pontificem fuiſſe exiſtimare videtur. Sed contra torrentem graditur.

sem ad Ottonem Imperatorem in Saxo- Sæculum X.
niam mittunt, ut, quem vellet, Pontifi- A. C. 965.
cem constitueret. Imperator honorifice exceptos remisit in Italiam, additis comitibus Ogerio Episcopo Spirensi & Linzone Episcopo Cremonensi; quibus Romam pervenientibus communi consensu electus est Joannes, Episcopus Narniensis (*), & Sanctæ Cathedræ impositus, qui dictus Joannes XIII. annis prope septem sedit. Is, patria Romanus, cujusdam Episcopi, cui etiam Joannes nomen erat, filius, cum sub ipsa Pontificatus auspicia elatiore quam par esset animo Romanorum præcipuos regeret, cunctorum odium in se concitavit. Quare Rofredus Comes Campaniæ & Petrus Præfectus Romæ, operam jungentibus populi Tribunis, comprehensum Pontificem primo in Castrum SS. Angelorum conjiciunt, & in Campaniam deinde deduci jubent, ubi mensibus undecim permanere coactus est. *M. S. ap. Papebr.*

(*) Notandum, quod Joanni XIII. ob translationem ab una Sede ad aliam, nempe Romanam, nemo amplius litem moverit; quæ res olim Formoso Papæ tanquam ingens crimen objiciebatur.

Sæculum X.
A. C. 965.

§. XII.

S. Brunonis Archiepiſcopi Colonienſis obitus.

Sup. §. 1. vit. Brun. c. 40. c. 25.

Rex Otto iter in Italiam ſuſcipiens, ut diximus, Germaniam & Ottonem filium ſuum adoleſcentem curæ Brunonis Fratris ſui, Archiepiſcopi Colonienſis & Lotharingiæ Ducis, id eſt, Regno Lotharii præfecti, commiſerat. Verum negotia hujus Sæculi nunquam impedimento fuerunt, quo minus ſe Bruno Religionis operibus dederet, præſertim piorum librorum lectioni, cui continuo vacabat, omnesque amicos ſuos ad idem ſtudium incitabat; deſidioſos vero averſabatur. Luxum oderat, atque illa oblectamenta, quibus Principes plerumque capiuntur, & ſi aliquando importunis ſuorum precibus aliquid dare compulſus fuiſſet, perditas horas multis lacrymis deflebat. Vitam præſentem cunctasque mundi illecebras faſtidiens vitæ futuræ beatitudinem anhelabat, ſæpe in lectulo ſuo decumbens delicias Cœleſtes ſuſpirare auditus. Non nunquam inter convivas menſæ aſſidebat jucundiſſimus, ſed nihil manducans. In medio Procerum & Vaſallorum ſuorum purpura & auro ſplendentium ipſe vulgari pæne veſtitu & ad Religioſam modeſtiam compoſito incedebat. Raro balneo utebatur, quamvis

vis a cunis molliter & delicate, ut Regia soboles solet, fuisset educatus. Sæculum X. A.C. 965.

Sacris Reliquiis diligenter conquisitis S. Bruno Diœcesim suam locupletavit. Permultas Ecclesias & Monasteria restauravit. In primis curis ei fuere Recluſi, quos certis Ecclesiis adscriptos esse volebat, iisque necessaria vitæ subsidia suppeditabat. Verbum Dei prædicabat, Sacras Scripturas prolixe & subtiliter explicans. In parte Occidentali Regni Lotharingiæ luridos mores exhibebant Clerici, invidi, refractarii, regendis populis impares; quare Bruno in illa regione Episcopos tanto muneri idoneos & virtute præstantes constituit. Regnum Lotharingiæ delinitis seditiosorum animis pacavit. Regem Franciæ Lotharium, nepotem suum, contra Procerum machinationes adjuvit. c. 26. 27. c. 32. c. 37. c. 38. p. 39.

Otto Imperator post reditum ex Italia, anno Imperii sui trigesimo, id est, Salutis nongentesimo sexagesimo quinto, Festum Pentecostes in societate Fratris sui Archiepiscopi Coloniæ celebravit; nec ullus conventus a multis annis vel amplior, vel illustrior fuit. Rebus compositis, cum mutuo valedicerent, copiosas lacrymas fuderunt Fratres, & Archiepiscopus Compendium contendit, inter nepotes suos dissidentes, Regem Lotharium & Hugonis Magni filios pacem con- c. 41.

Sæculum X. A. C. 965.

ciliaturus. Piissimo labori intentus morbo corripitur, seque Remos lectica vehi jubet, toto itinere lectioni vacans. Udalricus Archiepiscopus Remensis honorifice exceptum omnibus quibus potuit officiis languentem fovit. Bruno autem duos Episcopos, itineris illius socios, Theodoricum Metensem nepotem suum, Adalberonis, anno superiore defuncti, Successorem, & Wicfridum Virdunensem ad se vocatos, testamenti sui testes esse voluit, quo de omnibus suis rebus decernebat, illis reditibus in commentario separato adnotatis, quos ad sarta tecta Ecclesiarum conservanda designabat. Tum iisdem Episcopis devote confessus, cum, ipso petente, Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini Nostri afferretur, toto corpore, antequam illud sumeret, in terram se se projecit. (*) Tum Episcopos, Optimates, ceterosque circumstantes, lamentis maturam mortem prosequentes, blande consolatus, cum iis omnibus Vesperas, & provecta jam nocte

(*) Inde contra Protestantes probatur in Sæc. X. in Ecclesia morem fuisse S. Eucharistiam adorandi. Ut nihil dicamus de Cæremoniis per omnia Sæcula in Missæ Solemniis consuetis, quæ sine nefando Idololatriæ cultu adhiberi non poterant, nisi JEsus Christus in Eucharistia corporali præsentia existeret.

nocte Completorium recitavit. Tandem obiit, ingenti sui desiderio apud omnes probos relicto, undecima Octobris, anno ætatis quadragesimo, Pontificatus sui duodecimo. Ipsius corpus Coloniam delatum, atque, ut præceperat, in Monasterio S. Pantaleonis, quod fundaverat, sepultum est. Sæculum X. A. C. 965. *c.* 45. *&* 46.

In Archiepiscopali Dignitate ei successit Folcmarus Diaconus & ejusdem Ecclesiæ Oeconomus, qui defuncti vitam recenti adhucdum apud omnes memoria scribi jussit. *Prol.*

§. XIII.

Poloni convertuntur.

Ad hunc annum nongentesimum sexagesimum quintum conversio Miseconis, seu Mieceslai, Ducis Poloniæ, refertur. Is conjugem acceperat Boleslai Senioris, Ducis Bohemiæ sororem, nam utraque natio, Poloni, Bohemique, Sclavorum erant progenies. Cum vero piissima Princeps, cui *Dobrava*, id est, Bona, nomen erat, Christianis Sacris esset imbuta, omnes curas cogitationesque eo contulit, ut maritum Ducem a Gentilium superstitionibus ad fidem Christi traduceret. Prima, quæ initum matrimonium secuta est, Quadragesima ipsius precibus dedit, ut carnes comederet, Ducisque animum continuis obsequiis si- *Ditm. lib.* 4. *p.* 45.

Sæculum X. A.C. 966.

bi devinctum suis deinde exhortationibus permovit, ut Baptismum reciperet. Cum Principe conversi sunt complures Subditi; tumque Jordanus primus illius Gentis Episcopus cum Duce & Ducissa ad stabiliendam veram Religionem egregiam operam navavit. Filium suscepe-runt, dictum Boleslaum, qui Patri in Ducatu succeſſit. Sed Princeps juvenis, matre mortua, quamdam Sanctimonialem ex Gente Germanorum, Odam nomine, Theodorici Marchionis filiam, connubio sibi junxit. Non probabatur Episcopis damnata conjunctio, & minime Hilibarto Halberstadiensi, ex cujus Diœcesi puella fuerat evocata. Dissimulavit tamen facinus, ne pacem turbaret, aut populis noceret. Oda vero aliqua ratione culpam delevit, cum Religionis incrementum attulit, & plurimos captivos libertati restituit. Ceterum filios tres peperit ex Duce Marito, anno nongentesimo nonagesimo secundo fatis functo.

§. XIV.

Frodoardus. Scripta.

Elog. Sæc. V. Bened. p. 325.

In Francia Flodoardo seu Frodoardo anno nongentesimo sexagesimo sexto e vivis migrante Ecclesia Gallicana maximum hujus Sæculi decus amisit. Circa annum octingentesimum nonagesimum quar-

quartum Sparnaci ad Matronam natus, in Schola Remensi a Discipulis Remigii & Hubaldi, de quibus suo loco mentionem feci, eruditus, Canonicus Remensis & Parochus Culmisiacensis fuit. Romam circa annum nongentesimum trigesimum sextum profectus perbenigne & honorifice a Leone VII. Papa exceptus est. Cum vero Hugonem adolescentem in Sedem Remensem intrudi non approbaret, contumeliose habitus est; quin & aliquamdiu captivus inter Canonicos Remenses a Comite Heberto detentus. Econtra Artaldo Archiepiscopo constanter favens, cum ipso Concilio Virdunensi anno nongentesimo quadragesimo septimo, & Electioni Udalrici, anno nongentesimo sexagesimo secundo, interfuit. Ipse Frodoardus Episcopus Noviodunensis electus fuit; quam vero Dignitatem Fucherio S. Medardi Decano relinquere compulsus est. Id enim ex quadam Epistola Adaldagi Archiepiscopi Bremensis cognoscimus. Obiit Frodoardus anno ætatis septuagesimo tertio, reparatæ Salutis nongentesimo sexagesimo sexto, vigesima octava Martii, tam ob morum puritatem, quam ceteras virtutes atque excellentem doctrinam a cunctis in magno pretio habitus.

Sæculum X. A. C. 966.

Sup. Lib. LV. §. 4. §. 14

Frodoardi Scripta typis edita habemus, ipsius Historiam & Chronicum. Historia

Sæculum X. A. C. 966.

storia Ecclesiæ Remensis in quatuor libros divisa, atque ex Tabulariis, quorum ipse Custos erat, ex Actis Martyrum aliorumque Sanctorum, ex Actis Conciliorum, ex Epistolis Pontificum aliisque monumentis genuinis excerpta, ab illius Ecclesiæ origine usque ad Auctoris tempora deducitur, & cuidam Episcopo, quem Rudolphum Laudunensem esse credunt, inscripta est. Chronicum illa omnia complectitur in singulos annos digesta, quæ ipsius ætate in Francia & circumjacentibus Regionibus, memoratu digna, acta sunt. Initium ducebatur ab anno 917. usque ad annum 965. sed plus ad nos non pervenit, quam commentarius ab anno 919. ab alio usque ad annum 978. continuatus. Frodoardus etiam carmine concinnavit vitas Sanctorum, ex quibus non nullæ manu ejus scriptæ Acta Summorum Pontificum a Gregorio II. usque ad Leonem VII. continentes, ante annos non admodum multos, in lucem editæ sunt.

§. XV.

Joannes XIII. restitutus.

Supl. Reg. 956.

Otto Imperator anno nongentesimo sexagesimo sexto in autumno in Italiam profectus Sigulfum Episcopum Placentinum, & aliquot alios, Comites Italos, qui anno superiore ab Ottone ad Adalber-

albertum defecerant, captivos misit in Germaniam. Tunc vero Romani, male sibi conscii, & comperto Imperatoris adventu pavidi, Joannem XIII. Papam in Urbem revocant, & delicti veniam, ubi Imperator Romam intravit, supplices rogant. Ipse Natali Domini Romæ celebrato, duodecim Tribunorum præcipuos, quibus potissimum auctoribus Papa expulsus fuerat, suspendio necat, perduellium ducem Petrum Urbis præfectum Papæ tradit, qui, capillis equo Constantini alligatum, abraso mento, populo spectaculum dedit. (*) Nudatus deinde & asello conversa ad caudam facie impositus per ludibrium circumducitur. Ex aselli collo tintinnabulum unum, & duo

Sæculum X. A. C. 966.

(*) Hic iterum videmus, Romæ vitæ necisque arbitrium penes Imperatorem fuisse. Maximo certe rigore in seditiosos usus est Otto Imperator; sed hanc fortunam inexpugnabilis Romanorum obstinatio merebatur, quibus non prius quieta tempora obtigerunt, quam duras cervices leniſſimo Summorum Pontificum jugo ultimis tandem Sæculis in perpetuum submisissent. Satis acerbe etiam Joannes XIII. injuriam ultus est, cum Jurisdictionis partem Imperator Pontifici exercendam reliquit. Unde illa ætate de potestate civili Romæ illud Poetæ ferme repeti poterat: *Divisum Imperium cum Jove Petrus habet.*

Sæculum X. A.C. 967.

duo alia e coxis insidentis utrinque pendebant, qui in capite etiam tertium gestabat. In isto habitu virgis quoque cædebatur, & mille conviciis proscindebatur. Tum conjicitur in carcerem, in quo postquam diu fuisset, ultra montes e patria relegatur. Jubente Imperatore ossa Comitis Rofredi, qui in Papam manus injecerat, & Stephani Vestiario præpositi, effossa sunt.

MS. ap. Bar. & Papebr.

§. XVI.

Concilium Ravennatense.

to. 9. Conc. p. 674.

His peractis Otto Imperator cum Pontifice Ravennam se confert, ibique, Festis Paschalibus anno nongentesimo sexagesimo septimo celebratis, Concilium in Ecclesia S. Severi convocat, cui complures Episcopi Italiæ, Germaniæ & Galliæ interfuere. In eo multa ad utilitatem Ecclesiæ statuta. Imperator Papæ Ravennam, hujusque civitatis Ditiones reddidit, vel potius Restitutionem prius factam confirmavit. Duo hujus Concilii ad nos pervenerunt Decreta; primum ad Depositionem Heroldi† Archiepiscopi Salisburgensis pertinet, qui oculis ob patrata crimina privatus fuerat; quippe accusabatur, quod Ecclesiis spoliatis earum thesauros Gentilibus tradidisset, quibuscum in Christianorum necem & agendas prædas conspirasset; &

† seu Geroldi.

& quod contra Dominum Imperatorem rebellis extitiſſet. Quare Pontificis Anteceſſores perduellem depoſuerant, & ejus loco Fridericum ab omnibus Nobilibus Bavariæ, a Clericis & Laicis, poſtulatum ordinari juſſerant. Cum vero Heroldus lumine utroque orbatus & depoſitus nihilominus Miſſas Pallio indutus celebraret, Joannes Papa in hoc Concilio, ipſius Depoſitione & Friderici Electione confirmata, omnes Heroldi fautores & Sectatores excommunicat. (*) Hoc Decretum 25. Aprilis, Indictione decima, ſeu anno Salutis 967. datum eſt, cui ipſo Summo Pontifice adnumerato Epiſcopi quinquaginta ſeptem ſubſcripſerunt. Poſt Ponti-

Sæculum X. A. C. 967.

(*) In Hiſtoria Salisburgenſi Lib. III. Cap. XX. plura afferuntur argumenta, ſaltem probabilia, quibus Heroldus Archiepiſcopus defenditur. Primum, quod in Tomis Conciliorum apud Reginonem, apud Baronium & Spondanum nullibi illius Decreti mentio fiat, & unde Gevvoldus illud acceperit conjicere difficile ſit. Secundum, quod in monimentis quibusdam Heroldus illo anno jam mortuus tradatur. Tertium quod dubitari poſſit, an omnia illata crimina fuerint vera, & in Concilio Ravennæ abſens defenſione caruerit. Quartum, quod antiqua Monimenta Salisburgenſium de perfidia vel ſocietate cum rebellibus nihil meminerint, ſed excœcationis cauſam longe aliam prodant.

Sæculum X A. C. 967.

Pontificem Imperator signum apposuit. Tum legitur Rodoaldus Patriarcha Aquilejensis, Petrus Archiepiscopus Ravennas, Walpertus Mediolanensis, Lanwardus Episcopus Mindensis, Otkerus Spirensis. Reliqui omnes sunt Itali. Altero hujus Concilii Decreto Magdeburgum in Metropolim erigitur, vel verius ea, quæ Romæ anno nongentesimo sexagesimo secundo decreta fuerant, tunc opere impleta.

Sup. Lib. LV. §. 48.

§. XVII.

S. Adalbertus Archiepiscopus Magdeburgensis.

Mabill. Act. Sæc. V. p. 565. Sup. Lib. XLVII. §. 51.

Omnium primi Sclavos convertendi laborem in se susceperunt novæ Corbejæ Monachi, qui compluribus eorum provinciis peragratis usque ad Rügam Insulam penetrarunt, eaque tota ad fidem perducta Ecclesiæ S. Viti, eorum Patroni, fundamenta jecerunt. Hæc ætate Imperatoris † Ludovici Germanici gesta. At Sclavorum Apostolus nullus illustrior fuit S. Adalberto, primo Magdeburgensium Archiepiscopo, qui etiam Fidem Christi Russis prædicavit. Quippe Olga, hujus Gentis Regina, tempore Constantini Porphyrogeniti Imperatoris Constantinopolim profecta, ibi Baptismum & Helenæ nomen acceperat, anno deinde nongentesimo quinquagesimo

† Regis.

mo nono cum Legatione ad Ottonem Regem adornata, Episcopum & Presbyteros expetiisset, ille bono nuncio lætus, genti huic Episcopum deligit Libutium monachum S. Albani Moguntiæ, quem anno altero nongentesimo sexagesimo Adaldagus Archiepiscopus Bremensis Episcopum Rugiorum (*) seu Russorum, utroque enim nomine appellantur, consecravit. Ecce vero profectione in annum sequentem dilata, Libutius decima quinta Februarii anno nongentesimo sexagesimo primo rebus humanis eximitur. Sæculum X. A. C. 967.

Libutio defuncto ad id muneris delectus est Adalbertus ad S. Maximinum Treviris Monachus. Nam Monasterium illud, tempore Regis Henrici Aucupis restauratum, diu celeberrimum Seminarium fuit, ex quo in hoc Sæculo viri eruditissimi, piissimi, & magni nominis Episcopi prodierunt. Ergo Adalberto, consilium hoc omnibus viribus approbante Guilielmo Archiepiscopo Trevirensi, qui forsan stimulante invidia virum eximium procul amovere cupiebat, inde evocato, Rex Otto omnia ad longum *Mabill. Sæc. V. Be. p. 342.*

(*) An Rugii & Russi gemino nomine iidem fuerint populi, Mabillonius Sæc. V. Ben. pag. 566. erudite disserit.

Sæculum X. A. C. 968.

gum iter neceſſaria regia munificentia ſuppeditavit. Tum ipſe Epiſcopus Rugiorum ordinatus, officium Prædicationis ſibi commiſſum ſubiturus, itineri ſe dedit. Cum vero cerneret nullum fructum ſequi, ſeque fruſtra fatigari, poſt brevem commorationem anno nongenteſimo ſexageſimo ſecundo in patriam remeavit. In reditu non nulli ex ipſius ſociis cæſi, ipſe inſidiantium manus ægre effugit. Unde conjicere eſt, Ruſſos haud ſincera mente Fidei Prædicatores expetiiſſe. Adalbertus revertens peramice exceptus eſt a Rege Ottone, & Archiepiſcopo Guilielmo ipſius filio, qui eum exinde ut fratrem coluit, haud dubie ut prioris temporis invidiam a ſe amoliretur.

Elapſo triennio, ſcilicet anno 966. defuncto Ercamberto Abbate Wicenburgenſi in Diœceſi Spirenſi, Otto Imperator, electione Monachorum, Adalbertum eidem Monaſterio præfecit, quod annis non plus duobus rexit; nam Imperator, ut, quod ſibi propoſuerat, Magdeburgum in Metropolim erigeret, Adalbertum primum Archiepiſcopum delegit, & Romam ad petendum Pallium miſit. Conceſſit id lubenter Papa Joannes XIII. anno nongenteſimo ſexageſimo octavo, in Feſto S. Lucæ, decima octava

ctava Octobris, addita Abbatiam Wi- Sæculum X.
cemburgensem retinendi licentia. A. C. 968.

Præterea Joannes Papa complura Privilegia novo Archiepiscopo Magdeburgensi concessit. Archiepiscoporum Germaniæ primum, (*) Metropolitis Galliarum, id est Archiepiscopis Coloniæ, Moguntiæ, & Trevirorum parem, Episcopis vero Cardinalibus Romanis æqualem esse jussit. Potestatem dedit, duodecim Presbyteros, septem Diaconos, & viginti quatuor Cardinales secundum Ecclesiæ Romanæ consuetudinem ordinandi. Metropolitam totius Sclavorum nationis ultra Albim & Salam fluvios constituit. Præcepit quoque Ecclesias Cathedrales fundari in illis urbibus, quarum cives Barbarorum superstitioni præ aliis fuissent addicti, nempe Cizæ, Misenæ, Merseburgi, Brandeburgi, Havelbergæ, & Poznami, earumque Episcopos novi Archiepiscopi esse Suffraganeos. His omnibus a Summo Pontifice Synodali Decreto statutis, Adalbertus Archiepiscopus cum duobus Legatis Romanæ Ecclesiæ,

Episcopatus in Germania.

(*) Prærogativa antiquitatis certe gaudebat Sedes Archiepiscopalis Salisburgensis. Sed forsan tum Episcoporum Laureacensium æmulatio, tum Geroldi Salisburgensis fortuna, causa fuit, ut nascens Ecclesia præponeretur. Sed nullus secutus est effectus.

Sæculum X. A.C. 968.

Guidone Episcopo S. Rufinæ & Ecclesiæ Romanæ Bibliothecario, & Benedicto Cardinali, qui Neo-electum, cum Hildiwardo Halberstadensi Episcopo, Archiepiscopali throno imponerent, remittitur.

Otto Imperator magno lætitiæ affectu exceptos datis literis commendatitiis Magdeburgum dimittit, ubi Episcopi, Marchiones & reliqui Saxoniæ Principes ex præcepto Imperatoris congregati, acclamatione & elevatione manuum quasi secundo advenientem eligentes in Cathedram Metropoliticam evehunt, omni sexu, omni ætate tripudiante. Tum Archiepiscopus Festo Nativitatis Domini celebrato, præsentibus Episcopis & Proceribus tres novos Episcopos, Bosonem Merseburgensem, Burchardum Misenensem, & Hugonem Cizensem, cujus Sedes posteriore tempore Naumburgum translata, ordinavit. Dudo quoque Havelbergensis & Dudelinus Brandeburgensis prius Archiepiscopo Moguntino subjecti, ipso consentiente, atque id exoptante Imperatore, Magdeburgensi Ecclesiæ & ejus Archiepiscopo Suffraganei dati sunt. Ita novus Archiepiscopus quinque Suffraganeos numerabat. Tradunt non nulli Jordanum Episcopum Poznamiensem quoque numero sextum fuisse adjunctum. Monachi vero Magdebur-

deburgenſes in ædes prope Eccleſiam S. Joannis extra civitatem poſitam migrare juſſi. Sæculum X. A. C. 968.

Boſo, primus Epiſcopus Merſeburgenſis, olim Monachus ad S. Emmeramum Ratisbonæ, inde ad Palatium Regis evocatus eſt. In fidei & obſequiorum præſtitorum præmium dedit ei Rex Eccleſiam Cizicenſem, prope quam ipſe Monaſterium extruxit; cumque Verbum Divinum indefeſſe prædicando, in regionibus Saxoniæ Orientem ſpectantibus magnam Infidelium multitudinem convertiſſet, & ſacro fonte abluiſſet, optione ſibi ab Imperatore oblata, cuinam ex tribus Eccleſiis Cathedralibus, quæ erigebantur, præeſſe vellet, elegit Merſeburgenſem, quam poſtquam anno non plus uno rexiſſet, prima Novembris anno nongenteſimo ſeptuageſimo e vita deceſſit. Ejus Succeſſor Giſiler ab Imperatore nominatus eſt, quem Anno Episcopus Wormatienſis eo faſtigio dignum affirmaverat. *Sæc. V. Ben. p.* 112.

§. XVIII.

Epiſcopatus Pragenſis.

Sub idem ferme tempus Epiſcopatus Pragenſis exoritur. Boleslaus crudelis Dux Bohemiæ, S. Wenceslai fratris ſui interfector, anno nongenteſimo ſexageſimo ſeptimo, e vita migrans, Succeſſo- *Chr. Saxon. ap. Mabill. Sæc. 5. p.* 809

Sæculum X. A. C. 968.

cessorem reliquit filium & ipsum Boleslaum nomine, ob insignem virtutem Bonum appellatum, sincera fide Christianum, magna in subditos charitate flagrantem, viduarum, orphanorum, Clericorum, & peregrinorum Defensorem. Is Ecclesiis non minus viginti a se fundatis omnia necessaria comparavit. Sororem habebat nomine Mladam, Virginem Deo Sacram & literatam, quam pia peregrinatione ad limina SS. Apostolorum pervenientem Joannes XIII. Papa perbenigne suscepit. Eam deinde, Romæ vitæ monasticæ disciplina imbutam, quo novæ Bohemorum Ecclesiæ faveret, ex consilio Cardinalium, Abbatissam solemni ritu benedixit, mutato nomine Mariam appellavit, ejusque manibus Regulam S. Benedicti, & Baculum pastoralem inseruit. Epistolam quoque fratri, Duci Boleslao, reddendam tradidit, in qua Pontifex dicit: *Soror tua inter alia nomine tuo consensum nostrum petiit, ad fundandum Episcopatum in Principatu tuo. Quod nos utique læto animo suscipientes Deo gratias retulimus, qui suam Ecclesiam in omnes nationes dilatat. Unde Apostolica auctoritate annuimus, ut in Ecclesia SS. Martyrum Viti & Wenceslai Episcopalis Cathedra erigatur, & apud Ecclesiam S. Georgii Congregatio Feminarum sub Regula*

Regula S. Benedicti & Regimine Filiæ nostræ, Mariæ, Sororis tuæ, constituatur. Verumtamen non sequaris ritum Bulgarorum aut Russorum, & non utaris lingua Sclavonica, sed Episcopum elige literis latinis apprime eruditum, qui Ecclesiæ novalia, ut par est, excolere possit. Vale. Nempe cavebat Papa, ne Bohemi in Sacris Officiis, more Bulgarorum & Russorum, Ritum Græcum adhiberent, sed uterentur Latino, qua in re Bohemos obsequentes habuit. Sæculum X. A. C. 968.

Igitur, ut in hac Bulla præceptum fuerat, primus Episcopus Pragensis deligitur monachus ex Saxonia, Ditmarus nomine, vir eloquens ac literatus, qui olim orationis causa Pragam veniens amicitiam Ducis adeptus fuerat, ceterum linguam etiam Sclavonicam callebat. Hunc virum ad se per Legatos vocatum Boleslaus, congregatis omnibus Clericis & Optimatibus, precibus & hortatu Episcopum eligi curat, moxque ad Ottonem Imperatorem mittit traditis literis, in quibus orabat, ut Episcopus (*) ordi-

(*) Primi in Bohemia Christiani certe non fuerunt Lutherani; his enim satis fuisset, Ditmarum a Laicis vocari, & non ab Episcopo, sed a quibusvis, quos ipsi ministros Ecclesiæ appellant,

Sæculum X. A. C. 968.

ordinaretur; id cum Imperator ex Principum & Præsulum consilio concessisset, Ditmarus ab Archiepiscopo Moguntino consecratus, Pragæ deinde populo Clericisque plaudentibus excipitur. Ipse, Episcopus creatus, multas Ecclesias a Fidelibus ædificatas consecravit, & magnam Gentilium multitudinem baptizavit.

§. XIX.

S. Mathildis Regina.

Sup. L. LV. Eodem anno nongentesimo sexagesimo octavo (*) Mathildis Regina, Ottonis Imperatoris mater, Sanctam animam Deo reddidit. Ea defuncto conjuge, Rege Henrico Aucupe, in Monasterio Quedlinburgensi, a se fundato, vitam Religiosam amplexa, omnes Regulæ apices servabat, concinna majestate rursusque ea modestia & verecundia actus & sermones temperans, ut pudica virgo credi potuisset, nisi Reges filii matrem prodidissent. Nunquam ad Altare manibus vacuis nec vivente Rege conjuge, nec eo defuncto procedebat. Singulis diebus

vit. n. 14. Mart. to. 7. p. 362. Mabill. Sæc. V. act. p. 348.

lant, Clericis ordinari, rejecto more Ecclesiæ ab Apostolis accepto, atque semper & ubique observato.

(*) Mabillonius anno 967. & sæpius dissentiunt.

bus Sacerdoti præsentabat oblationem suam panis & vini pro totius Ecclesiæ salute. Postquam autem marito orbata est, nunquam non S.Sacrificium pro peccatis Regis conjugis sui offerri curavit, qua in re illa ætate Mathilde viduarum nulla religiosior fuit. Quoad vixit, diem obitus defuncti Regis octavam, trigesimam, & anniversariam celebravit.

Sæculum X. A. C. 968.

Luitpr. IV. hist. c. 7.

Circa annum nongentesimum quadragesimum sextum multas ærumnas, propriis filiis matrem persequentibus, tulit. Nam, quia liberalissime fundebat eleemosynas piissima Princeps, delata est ad filios, quod immodicis largitionibus ærarium Reipublicæ exhausisset; adeo ut Rex Otto exploratores mitteret, qui ministros, jubente Regina eleemosynas distribuentes, intercipiebant, & auro spoliatos pessime habebant. Nempe compellere volebant optimam Reginam, ut relictis fundis, viduæ in solatium & subsidium vitæ concessis, velo Monastico se involveret. Nova afflictio addita est, cum Henricus Princeps, quem unice diligebat, ad partes Regis Ottonis transiit. Cum igitur in dies pejus haberetur, omnibus Bonis, sibi viduæ ab Henrico Rege testamento adscriptis, a se abdicatis, in Angriam, illius regionis, quæ hodie Westphalia dicitur, partem, se recepit. Verum post brevis temporis lapsum Rex

S. Mithildis in Ærumnis.

Sæculum X. A. C. 968.

Otto adversa in bello fortuna pressus, Regina Editha Conjuge sua, Episcopis, & Optimatibus auctoribus, Reginam matrem revocat, veniam rogat, & agros, quibus spoliata fuerat, restituit. Matri etiam Henricus Princeps reconciliatus, quem non minore quam prius amore prosecuta est.

Ipsa vero, pristina auctoritate utens, liberius quam unquam pauperes fovit, bonisque operibus se totam addixit. Adjuvante Rege filio suo complures extruxit Ecclesias, & Monasteria quinque, atque inter alia Monasterium Palidense, seu Poldense, in Ducatu Brunswicensi, quo tria monachorum millia congregavit. Rex Otto datis literis anno nongentesimo quinquagesimo quinto hanc donationem confirmavit.

Eodem anno obiit Henricus Dux Bavariæ, cujus mortem Mathildis mater perpetuo luctu deflevit; namque paucis, quæ de Reginæ cultu retinuerat, abjectis, postmodum unius coloris veste induta semper incessit. Neminem carmina sæcularia cantantem audire, vel ludentem conspicere voluit, sed solum Canticis ex S. Scriptura excerptis, aut vitas Sanctorum continentibus aures præbuit. Pauperibus bis in die refectionem parari jubebat, & præterea, cum ipsa cibum sumeret, aliquam prandii vel

cœnæ

cœnæ partem iisdem distribuebat. Iter faciens cereos secum vehi volebat, quos in Ecclesiis offerret, & alimenta pauperibus præbenda. Richburgam Sanctimonialem sibi ministrantem diligenter cavere jusserat, ne ullus egenorum nulla largitione recreatus præteriretur. In omnibus civitatibus, in quibus hyemem transigebat, magnum focum accendi præcipiebat, quo pauperes & peregrini calefierent. Iisdem non nunquam ancillæ more serviebat, quibus deinde in cubiculum receptis vel cibos, vel vestes pro diversa cujuscunque necessitate suppeditabat. Maxima cura erat, ut singulis diebus aliquod opus manuum ipsa perficeret. Sæculum X. A. C. 968.

Anno nongentesimo sexagesimo septimo, vigesima secunda Decembris Mathildis Regina Northuso in Thuringia, ubi Monasterium fundaverat, discedens, ad Monasterium Quedlinburgense pervenit. Ibi morbo correpta, & dissolutionis suæ diem haud procul abesse conjiciens, Richburgam tunc Abbatissam Monasterii Northusiensis ad se vocari præcepit, ejus ministerio in extremis usura. Permultis ægrotantem Reginam invisentibus, Guilielmus quoque Archiepiscopus Moguntinus, ipsius nepos, venit; ad quem lætitia exultans dixit: *Non dubito, quin Deus te huc miserit. Neminem te magis idoneum scio, qui matrem morientem* S. Mathildis Obitus.

Sæculum X. A. C. 968.

tem adjuvet, poſtquam filium meum Brunonem mors mihi rapuit. Nunc ergo audi me confitentem, abſolutionem pronuncia. Tum ad Eccleſiam te conferes & pro peccatis meis, pro anima Regis Henrici, Domini mei, & pro omnibus Fidelibus Miſſam celebrabis. (*)

Archiepiſcopus Miſſa celebrata ad Reginam aviam ſuam redit, ſecundo abſolvit, ſacro oleo ungit, & Viaticum præbet. Triduo deinde apud ipſam conſumto, cum ex colore & voce cognoſceret, non ſtatim morituram, licentiam redeundi petiit. Mathildis, cum omnia in pauperes ſparſiſſet, diſcedenti nihil dare potuit, niſi velamen mortuale, quod ad propriam ſepulturam ſibi ſervaverat, dicens, hoc prius ipſi quam ſibi fore neceſſarium, quod profectionem oppido difficilem ſuſciperet. Verum prædixiſſe

(*) Exemplum confeſſionis auricularis prorſus ſingulare, Aviæ confitentis nepoti Sacerdoti! item Miſſæ pro vivis & defunctis celebratæ.

Quid ad hæc Proteſtantes obſtinati? an ſola Mathildis Papiſta fuit, & Idololatriæ rea? ſi hoc dicant, facile mendacii convincuntur. An omnes Chriſtiani ita credebant? ſi iſtud affirment, profecto, erravit enormiter Lutherus, doctrinam omnium retro Chriſtianorum fidei adverſam afferens.

se Mathildem eventus docuit, quippe in itinere Guilielmus Archiepiscopus subita morte rebus humanis ereptus est. Sæculum X. A. C. 968.

Mathildis Regina duodecim diebus nepoti superstes Sabbato primæ septimanæ in Quadragesima summo mane convocatis Presbyteris & Monialibus, cum maxima utriusque sexus multitudo ad Reginam ultimo conspiciendam confluxisset, cunctos in cubiculum admitti jussit. Salutaria monita omnibus dedit, præsertim Mathildi Abbatissæ Quedlinburgensi Imperatoris filii sui filiæ, nepti suæ. Deinde Presbyteris & Sanctimonialibus proxime accedere jussis, petiit, ut confessionem suam audirent, & a Deo peccatorum suorum remissionem flagitarent. Tum præcepit Missam celebrari, sibique Domini Nostri corpus præberi. Adjuvantibus infirmam sororibus in pavimento deponitur, ipsa propriis manibus cinerem capiti imponit, atque ita eadem die, decima quarta Martii, qua Ecclesia ejus memoriam colit, anno nongentesimo sexagesimo octavo, animam Creatori reddidit, in Ecclesia S. Servasii Monasterii Quedlinburgensis sepulta. *Mart. Rom.* 14. *Mart.*

§. XX.

Luitprandus Constantinopolim Legatus.

Inter hæc Otto Imperator in Italia versabatur,

Sæculum X. A. C. 968.

batur, quo etiam Ottonem juniorem filium ſuum advocaverat, anno nongenteſimo ſexageſimo ſeptimo Romæ in Natali Domini a Joanne Papa XIII. coronatum. Anno ſequente miſit Conſtantinopolim Legatum Luitprandum Epiſcopum Cremonenſem cum mandatis, quibus Annam Imperatoris Romani junioris & Imperatricis Theophaniæ, quam viduam Nicephorus Phocas Imperator duxerat, filiam, Ottoni juniori nuptui tradendam, ab eodem Imperatore peteret. Luitprandus Legationis ſuæ eventus literis prodidit, atque in iis aliqua occurrunt digna, quorum memoria non pereat.

Cum quarta Junii anno nongenteſimo ſexageſimo octavo Conſtantinopolim perveniſſet, in quodam Palatio quaſi in carcere includitur, ab omnium conſortio ſeparatus. Septima ejusdem menſis, in quam incidebat Feſtum Pentecoſtes, primo in conſpectum Nicephori Imperatoris deducitur, quem nobis his ferme verbis ita depingit: *Homo eſt pigmæus, capite pingui, oculis parvis, colore Æthiops, barba lata & ſpiſſa, prolixis & denſis comis, ventre fœde prominente, curtis cruribus.* (*) Sedebant ad ſiniſtram,

(*) Addidit & aliud Luitprandus, quod honeſte vix referatur, cum verſu: Cui (*tu*) per mediam

stram, sed longe inferius, duo Principes juvenes Basilius & Constantinus ejus Privigni. Nicephorus vero ad Luitprandum: *Voluëramus te benigne magnificeque suscipere, nisi impietas Domini tui obstitisset, qui inimica invasione Romam* (*) *sibi vindicavit, Berengario & Adalberto contra jus fasque vitam abstulit, Romanorum alios gladio, alios suspendio interemit, oculis alios privavit, in exilium alios ejecit. Complures Imperii nostri civitates armis hostilibus sibi subjicere conatus est, cui facinori postquam fortuna defuit, nunc te, simulata pace, ad nos non Legatum sed exploratorem misit.* Sæculum X. A. C. 968.

Luitprandus Episcopus respondit: *Romanam Civitatem Dominus meus non vi, nec more tyrannorum invasit, sed a tyrannorum jugo liberavit. Nonne effeminati dominabantur ei, & quod gravius turpiusque, nonne meretrices? Dormiebat, ut puto, potestas Antecessorum tuorum, qui solo nomine non autem re ipsa Imperatores Romanorum dicuntur. Nonne Sanctissimorum Paparum alii relegati*

mediam nolis occurrere noctem. In Baron. & Palat.

(*) Ex his dispicimus Græcorum Imperatores adhuc dum illa ætate sibi quidquam juris in Urbem Romam competens somniasse.

Sæculum X. A. C. 968.

legati sunt? alii a vobis afflicti, ita ut ipsis necessarii sumtus, ne quidem eleemosynæ nomine, suppeterent. Nonne Adalbertus Romano & Constantino Imperatoribus, Antecessoribus tuis, literas contumelioſas scripsit? nonne SS. Apostolorum Ecclesias spoliavit? Quis ex vobis Imperatoribus, zelo Dei ductus, indignum facinus vindicare, & Sanctæ Ecclesiæ pristinum decorem reddere curavit? neglexistis vos, non neglexit Dominus meus, qui a finibus terræ Romam veniens, impios abstulit, Successoribus Apostolorum potestatem tradidit, & læsum honorem reparavit. Postmodum vero rebelles in se & in Papam, ut jurisjurandi violatores, sacrilegos Dominorum suorum Apostolicorum tortores, secundum Leges Justiniani, Valentiniani, Theodosii, ceterorumque Imperatorum cæcidit, jugulavit, suspendit. Quod si non feciſſet, ipse impius, crudelis & tyrannus esset. Palam est, quod Berengarius & Adalbertus Ottonis, Domini mei, milites & Vasalli effecti fuerint, cum Regnum Italiæ sceptro aureo e manu ipsius, præsentibus servis tuis, susceperunt.

Legatio Luitprandi.

Tunc Nicephorus conqueri, quod Otto Imperii sui terras in Italia, nempe Ditiones ad civitates Beneventanam & Capuanam pertinentes, bello aggressus esset;

esset; & postquam Luitprandus, quæ ex re erant, respondisset, mandatum aperuit, & nomine Domini sui petiit, ut Anna Princeps, juveni Ottoni, Imperatori Augusto, in conjugium (*) traderetur. Sæculum X. A. C. 968.

Distulit Nicephorus responsum dare, dicens, jam horam secundam transiisse, &

(*) Eadem Anna etiam Theophane & Theophania dicitur. Et hæc quidem Sponsalia Nicephoro Phoca tergiversante tunc locum non habuerunt. Sed ejus Successor Joannes Zimisces exoptatam Sponsam in Occidentem misit, Germanisque tradidit; atque ita maximi Orientis Occidentisque Principes celebratis nuptiis coierunt, quin tamen exinde inter Græcos & Romanos concordia nata sit. Hodie vero, Cælo auspice, Augustissimæ totius Orbis terrarum Domus, Austriaca & Burbonica, Josephi Archiducis Regnorum Hungariæ & Bohemiæ Hæredis, atque Isabellæ, Philippi Infantis Hispaniæ Ducis Parmensis, filiæ, Regis Christianissimis Ludovici XV. ex filia neptis, septima Sept. hujus anni anni 1760. Principe Lichtensteinio Sereniſſimi Sponsi Procuratorem agente, Parmæ desponsatæ, Connubio junguntur; quæ Sacrosancta fœdera, multis retro sæculis inter Gentem Burbonicam & Austriacam nunquam inita, ut nostra ætate ad Europæ pacem & Rei Catholicæ Defensionem Deus Optimus Maximus evenire faciat, merito Boni omnes precantur.

Sæculum X. A. C. 968.

& *Proceſſionem* ſolemnem eſſe celebrandam.

Pompam vero illam Græci duxerunt in hunc ferme modum; Negotiatorum multitudo, hominesque ignobiles a Palatio usque ad Eccleſiam S. Sophiæ utrinque viæ margines tenuerunt, ſpiculis & clypeolis armati, & maximam partem nudis pedibus. Optimates, qui Imperatorem comitabantur, tunicas, feſtivas ſcilicet, induerant adeo vetuſtas detritasque, ut decentius Luitprando judice in veſtitu quotidiano conſpiciendos ſe dediſſent. Nemo auro, nemo gemmis ornatus erat, niſi ſolus Nicephorus, quem Imperialia ornamenta majoris, quam ipſe erat, ſtaturæ viris aptata ridiculum faciebant. Nicephoro procedente, cantores in editiore loco ſtantes clamabant: *Ecce, ſtella matutina! ecce, aurora conſurgens! pallida Saracenorum mors! Princeps Nicephorus! Nicephoro Principi annos plurimos! populi, adorate Principem, hunc colite, huic ſervite, huic colla ſubmittite!* (*) Ceterum illa die Im-

(*) Addidit Luitprandus: *Quanto verius tecinisſent: Carbo extincte, veni, μελλε, anus inceſſu, Silvanus vultu, Ruſtice, Luſtrivage, capripes, cornute, bimenbris, ſetiger, indocilis, agreſtis, barbare, dure, villoſe, rebellis Cappadox,*

Imperator Legatum convivam adhibuit, cumque ſuper menſam dixiſſet quaſi ad contumeliam: *Vos non Romani, ſed Longobardi eſtis, nos vero,* inquit Epiſcopus, *Longobardi, Saxones, Franci,* (*) *quando adverſus obtrectantes commoti ſumus, non aliud contumeliæ genus ingerimus, quam ſi dicamus: Faceſſe Romane! nam apud nos Romanum compellari perinde habetur, ac ſi hominem infimæ fæcis, ignavum, avaritia ſordidum, impudicum, mendacem dixeris.* Sæculum X. A. C. 968. Supplicatio Græcorum publica.

Legato poſt hæc colloquium fuit cum Leone Curopalate, Imperatoris fratre, & quibusdam aliis præfectis, qui dicebant; ſi nuptias, quas exoptabat, Principi ſuo impetrare vellet, Nicephoro reſtituendam eſſe Ravennam, Romam, &

dox. Nempe Fleurius pro eximia ſua prudentia & moderatione, quæ ad affectus privatos Luitprandi prodendos magis, quam ad Hiſtoriæ integritatem faciebant, omiſit. At talia ſaltem ad depellendum Lectoris tœdium juvare poſſunt.

Hæc autem Luitprandus Epiſcopus Ottonibus Imperatoribus, Patri & filio, atque Adelheidi Imperatrici reſcribebat. Palat. in Aquila Saxonica.

(*) Præter hos Luitprandus addidit: *Lotharingi, Bajoarii, Suevi, Burgundiones.* Videlicet Fleurio ſuffecit Francos nominaſſe.

Sæculum X. A. C. 968.

reliquas, quæ Græciam ſpectant, Italiæ regiones. Si vero amicitiam absque nuptiarum fœdere firmari cuperet, Romam Otto priſtinæ libertati redderet, & Principes Capuanum atque Beneventanum rebelles contra Dominum ſuum non tueretur. Ad hæc Luitprandus, *Cui vero*, inquit, *Roma ſervit? cui tributa perſolvit? Conſtantinus Imperator Auguſtus, qui hanc veſtram condidit civitatem & de ſuo nomine appellavit, multa patrimonia non ſolum in Italia, ſed in Oriente & Occidente, in Græcia, in Judæa, in Perſide, in Meſopotamia, in Chaldæa, in Ægypto & in Lybia Eccleſiæ Romanæ contulit, quod Epiſtolæ hodieque extantes teſtatum faciunt. Quæ autem in Italia poſita ſunt, aut in Saxonia, in Bavaria, in omnibus Domini mei Regnis, ad Beatorum Apoſtolorum Eccleſiam pertinentia, cuncta Papæ reſtituit. Et ſi vel unicam civitatem, pagum, Vaſallos, vel ſervos ſibi retinet, Chriſtianus non ſim. At cur Imperator Dominus veſter eadem clementia Bona in Ditionibus ſuis exiſtentia Eccleſiæ Romanæ non reddit, atque ita magis liberam magisque opulentam non efficit?* Tum Baſilius ex Græcorum Mandatariis aliquis; *Faciet, cum a nutu ipſius Roma & Romana Eccleſia pendebit.*

Alia

Alia die Luitprando cum pluribus Episcopis & Patriarcha ad mensam vocato aliquas ex Sacra Scriptura quæstiones proposuit. Tum subito: quæ Concilia recipitis? respondente Luitprando: *Recipimus Concilium Nicenum, Calcedonense, Ephesinum, Antiochenum, Carthaginense, Ancyranum, Constantinopolitanum*, Imperator effuso risu, *Saxonicum*, inquit, *oblitus es commemorare, quod tam novum est, ut in nostros codices referri necdum potuerit.* Respondit Luitprandus: *Ibi applicandum fuit remedium, ubi ulcus natum erat. Hic Concilia fuere celebranda, quia hic ortæ sunt Hæreses. Rudis est & nova Saxonum fides, sed viva & operibus comprobata. Apud vos ea emori & ob vetustatem contemni videtur.* In alio convivio, Luitprando præsente, Homiliam S. Joannis Chrysostomi in Acta Apostolorum legi præcepit. Sæculum X. A. C. 968.

§. XXI.

Nuncii Pontificis Constantinopoli male habiti.

Die vigesima Julii, Græci Festum Eliæ Prophetæ videlicet raptum in Cælum, referente Luitprando, ludis Scenicis celebrarunt. Dicit incidisse hoc Festum in diem lunæ, quod annum non- *Menol.* 20. *Jul.*

Sæculum X. A. C. 968.

gentesimum sexagesimum octavum prodit. In Festo autem Assumptionis Beatæ Virginis Constantinopolim pervenerunt Nuncii Joannis Papæ cum Epistolis, quibus Nicephorus Imperator rogabatur, cum Ottone Imperatore fœdera inire, & nuptias propinquæ suæ cum Ottone Augusto juniore non rejicere. Illud vero Græci impatientissime tulerunt, quod Papa in suis literis Ottonem, Romanorum Imperatorem, & Nicephorum non nisi Græcorum appellaret. *Quæ insolentia*, ajebant, *hominis Romani, barbari! quomodo mare tantæ audaciæ codicillos vehere potuit? quomodo non cum ipso navigio in profundum rapti sunt? Sed quid faciemus Nunciis istis miserabilibus? mancipia sunt centonibus tecta, vilia mendicabula, indigna quorum sanguine manus nostras polluamus!* Ergo in carcerem mittuntur, dum Imperator, qui tunc aberat, rediret.

Interim Luitprandus adhuc dum Constantinopoli morari cogebatur, quamvis sub finem Julii missionem ei dedissent; vixque impetrare potuit, ut in Festo Exaltationis veram Crucem adorare sibi liceret. Tandem decima septima Septembris, cum ad colloquium Christophori Patricii Evnuchi fuisset vocatus, dixit ille: *Ne mali consulas, quod diutius te moremur. Nam Papa Romanus*

(si ta-

(*si tamen Papa est vocandus, qui cum Alberici filio*, † *Apostata, adultero, sacrilego communicavit*) *Papa, inquam, ad Imperatorem Epistolas dedit, Græcorum Imperatorem & non Romanorum vocans; quod Domini tui consilio actum, nullus dubitandi est locus. At Papa fatuus, insulsus ignorat, Constantinum, cum Imperium in hanc civitatem transtulit, totum Senatum, Romanosque Proceres & viros militares transvexisse, Romæ vero non nisi vilia mancipia, piscatores, cupediarios, & infimam plebem reliquisse.* Respondit Luitprandus: *Noluit Papa Imperatorem offendere, sed gratum se scripturum putavit. Cum enim linguam, mores, vestes Romanorum abjeciſtis, credidit, nomen quoque vobis displicuisse. Si quid erratum, in literis futuro tempore scribendis emendabit.* Græci molliore responso deliniti Luitprando duas tradiderunt Epistolas, unam Nicephori Imperatoris ad Ottonem Imperatorem, alteram Imperatoris fratris argento signatam ad eundem datam, dicentes: *Papam vestrum judicamus indignum, qui Epistolas ab Imperatore accipiat. Mittit autem illi Caropalates literas, quales meretur, easque non miseris Nunciis, sed tibi deferendas tradit, ut sciat, se nisi resipuerit esse perditissimum.*

Sæculum X. A. C. 968.

† *Joanne XII.*

Sæculum X.
A. C. 968.

§. XXII.

Luitprandus in Reditu.

Luitprandus ea referens, quæ sibi in reditu acciderunt, conqueritur, iter facienti parum auxilii in Episcopis Græcis fuisse. *In tota Græcia non reperi*, inquit, *hospitales Episcopos. Plerique Evnuchi sunt, divites aureis, quos in arca custodiunt, pauperes parco victu, cui adsueverunt. Soli assident mensulæ nudæ. Pane nautico & paucis lacticis reficiuntur, ex vasis vitreis permodicis calidam aquam sorbillantes. Ipsi vendunt, ipsi emunt, ostia ipsi aperiunt, ipsi claudunt, ipsi sui Dapiferi, & agasones. Hosque ideo puto ita vivere, quod Ecclesiæ ipsorum sint tributariæ; nam Leucatensis Episcopus jurejurando mihi affirmavit, Ecclesiam suam quotannis Nicephoro aureos centum, & pariter Ecclesias ceteras plus minusve pro viribus suis persolvere.*

Ceterum, Luitprandus, qui hac Legatione functus est, ante susceptum Episcopatum Ecclesiæ Ticinensis Diaconus fuit; id enim ipse de se testatur in Historia, quam a Raymundo Episcopo Illiberitano in Hispania rogatus scripsit. Illa vero narrat, quæ sua ætate & ipso spectante præsertim in Italia evenerunt, & incipiens ab expugnatione Fraxineti, quod

quod Saraceni anno octingenteſimo nonageſimo primo in ſuam poteſtatem redegerant, geſta omnia usque ad Concilium Romanum, in quo Joannes Papa XII. anno nongenteſimo ſexageſimo tertio depoſitus, proſequitur. Stilus & ſcribendi ratio plus ingenii & eruditionis, quam maturi judicii produnt. Se linguæ Græcæ gnarum fuiſſe pueriliter oſtentat. Proſa ſcribens, non nunquam ipſius contextus verba in carmen concinnat. Ubique immodicus alios cavillatur, aliis favet & aſſentatur. Sæpe non facetus modo eſt, ſed etiam poſtpoſito pudore ſcurra, ut cum querelas mulieris Græcæ adverſus Theobaldum Marchionem Spoletanum, & Willam Boſonis uxorem captam refert. Modeſtius plane Diaconum Hiſtoriam texentem Epiſcopo dedicatam ſcribere oportuiſſet. In Libello de Legatione ſua eodem utitur Stilo; atque de duobus ſolum hiſce Scriptis ſatis conſtat, quod ex Luitprandi calamo fluxerint.

Sæculum X. A. C. 968.

Sup. l. IV. §. 16.

n. 7.

Lib. IV. hiſt. c. 4. & 5.

§. XXIII.

Nicephorus in bello felix.

Nicephorus Imperator poſt Luitprandi Legationem non plus menſibus circiter octodecim ſuperſtes fuit, qui Diſciplina militari exercitatus Muſulmannorum vires jam ipſe militans, jam miſſis

Poſt. Theo. p. 30. Cedd. p. 643.

Sæculum X. A. C. 968.

in hostes Ducibus suis sæpe acciderat. Priusquam ad Imperium eveheretur, regnante Romano Juniore, Cretam Insulam, & Candiam civitatem, quam Infideles illius regni Caput esse voluerant, felicibus armis denuo sibi vindicavit. Anno Regni sui secundo, mense Julio, Indictione septima, seu anno nongentesimo sexagesimo quarto, in Ciliciam cum exercitu profectus, Anazarbe, Rossa, & Adana, rursusque Mopsuestia & Tarso, expugnatis, devictarum urbium portas Constantinopolim in triumphum attulit. Cruces quoque superiore tempore Romanis prœlio profligatis ablatas retulit, iisque Ecclesiam S. Sophiæ decoravit. Eodem anno nongentesimo sexagesimo quarto Romani * Cypro Insula, Duce Niceta Patricio, depulsis Saracenis potiti sunt. Anno sequente nongentesimo sexagesimo quinto, Regni sui tertio, Nicephorus Imperator ducto in Syriam exercitu, cum urbem Antiochiam facili negotio ad deditionem compellere posset, noluit, quod nescio quis vaticinium in populum sparsisset, instare ultima Imperatoris fata, si Antiochiam caperet. Vulgare enim Græcorum vitium erat, hujusmodi næniis fidem superstitiose adhibere. Permultis tamen regionibus in Syria & Phœnicia sibi subjectis, pervadens usque ad montem Libanum,

* Græci.

banum, Laodiceam & Aleppum ſubegit, atque Tripolim & Damaſum tributa comportare coegit. Tum præſidio, in monte Tauro relicto, Patricium Michalem Burzenum præfecit, cum mandatis; Antiochiam laxius milite cingeret, ſed muros non aggrederetur. At non impetravit a ſemetipſo Patricius, ut occaſionem ſe ſe opportuniſſime offerentem e manibus elabi pateretur, urbemque Antiochenam occupavit. Saraceni tot cladibus in furorem acti Chriſtophorum Patriarcham Antiochenum perimunt, Joannem Patriarcham Jeroſolymitanum vivum concremant, quod crederent, ipſo auctore Nicephorum in eos bellum moviſſe. Magnificæ Eccleſiæ S. Sepulchri quoque ignem ſubjecerunt. Sæculum X. A. C. 968.

At Nicephorus Imperator, cum Michaeli Patricio, capta Antiochia, gratias referre debuiſſet, contumelioſe habitum, & munere militari privatum, domi ſuæ ſedere juſſit; quæ injuria viro de Republica bene merito illata Græcorum animos ad ſeditionem excitavit. Erant vero plures odii publici cauſæ, ſed illas ſolum memorabo, quæ ad inſtituti mei rationem pertinent. Penſiones ab Imperatoribus Eccleſiis & hoſpitiis conceſſas Nicephorus denegavit, & legem edidit, qua Bona immobilia impoſterum acquirere prohibebantur, obtendens, Epiſcopos *Cedr. p. 661.*

pos

Sæculum X. A. C. 968.

pos patrimonium pauperum dissipare, & fundos & alendum militem deesse. Multo magis animos jam ante commotos accendit lex lata, cui non nulli Episcopi, ut Imperatori adularentur, subscripserant, ne ullus Episcopus absque Nicephori mandato eligeretur, vel ordinaretur. Quocunque Episcopo defuncto Imperator mittebat Mandatarium, qui expensis pro curando funere constitutis, reliqua in Principis ærarium conferebat. Milites in bello occisos, lege edita, martyres proclamari volebat, atque Episcopos & Patriarcham ad consentiendum compellere parabat; verum obstitit quorumdam Episcoporum constantia, S. Basilii Canonem afferentium, quo suadetur militibus, hostium suorum in bello interfectoribus, annis tribus a Sacra Communione abstinere.

Basil. ad Amphil. c. 13. Sup. l. XVII. §. 14.

§. XXIV.

Nicephorus interficitur. Joannes Zimisces Imperator.

Tandem cum Theophania Imperatrix invisum conjugem diutius ferre non posset, Joannem Zimiscem virum bello clarum, qui olim præfectus Palatio Saracenos pluribus pugnis profligaverat, advocat. Ei Nicephorus, quod fidem fortissimi Ducis suspectam crederet, illa dignitate exuto proprias ditiones pro carcere

carcere dederat districte præcipiens, ne pedem efferret. Obtinuit tamen Imperatrix literas, quibus Joanni potestas fiebat exeundi, & quamvis jussisset Imperator, ut Calcedone mandata sibi mittenda præstolaretur, nihilominus noctu undecima Decembris, Indictione decima tertia, anno ab orbe condito sexies millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo, Reparatæ Salutis nongentesimo sexagesimo nono, invitante muliere Constantinopolim ipse & socii haud plus quinque appelluntur. In portum Cæsareo Palatio subjectum invecti, & demissa a fenestris corbe in altum sublati, Nicephoro tunc in somnum lapso caput amputant, quod amicis ad auxilium Principi suo celeriter præstandum procurrentibus ostendunt. Hic exitus fuit Nicephori Phocæ Imperatoris, postquam annis sex, mensibus tribus, & diebus viginti sex Orientis solium occupasset. Sæculum X. A. C. 969.

Illico Joannes Zimisces cum duobus Principibus Basilio & Constantino adolescentulis, Romani junioris filiis Imperator proclamatur, qui deinde præter alios a Nicephoro relegatos etiam illos Episcopos revocavit, qui Legi, in Ecclesiæ probrum editæ, subscribere noluerant. Eadem vero nocte, qua interemptus Nicephorus, Joannes Zimisces paucis comitantibus ad magnam Ecclesiam processit,

Sæculum X. A.C. 969.

cessit, petens ut sibi corona Polyeucti Patriarchæ manibus imponeretur. At Patriarcha, Zimiscem indignum esse pronunciavit, qui Ecclesiam Dei intraret, cruentis a cæde propinqui sui manibus. Pœnitentiam profiteretur, quo in Templum Domini suo tempore admitti posset. Zimisces objurgantem se Episcopum patienti animo ferens, dixit, facturum se, quæ Sacerdotes præscriberent. Adjecit vero, neutiquam se violentas manus Nicephoro intulisse, sed ab aliis (porro singulos nominabat) compellente Imperatrice fuisse interfectum. Nec mora, jubente Patriarcha, Imperatrix e Palatio ejecta, in quamdam Insulam deportatur, Nicephori percussores in exilium mittuntur, Lex a Nicephoro in Ecclesiæ contemptum lata abrogatur. Quibus omnibus peractis promisit Zimisces, se omnia Bona, quæ ut privatus possideret, ut pro peccatis suis satisfaceret, collaturum in pauperes. Itaque in Natali Domini coronatur.

Die exinde trigesimo quinto Polyeuctus Patriarcha animam Creatori reddidit, successitque Basilius *Scamandrinus* monachus, quem ad summum virtutis apicem perveniisse cuncti affirmabant. Sede Antiochena quoque vacante, Imperator Zimisces Patriarcham nominavit Monachum spectatæ pietatis, nomine

ne Theodorum, qui ipsum Imperatorem futurum prædixerat, rogans, ut Imperium aliquando consecutus, Manichæos pernicioſissima peſte & ſuperſtitione, quam omnes boni abominantur, totum Orientem inficientes, in Occidentem & loca deſerta transferret. Fecit poſtea, quod a monacho rogatus fuerat, Imperator, & exitioſum hominum genus in Thraciam prope Philippopolim migrare compulit, maximo Occidentis malo. Sæculum X. A. C. 969.

§. XXV.

S. Niconis Armeni initia.

Creta Inſula a Saracenorum jugo liberata, nata eſt occaſio Religionem Chriſtianam poſtliminio reducendi; quod etiam perfectum eſt labore piiſſimo potiſſimum S. Niconis, cognomento *Metanoitis*, quod ſemper in ore haberet hanc vocem, quæ Græce ſignificat: *Pœnitentiam agite.* S. Nicon in Ponto ortus parentibus honeſtiſſimis, iisdem inſciis, ubi adolevit, fugam arripiens ad Monaſterium aureæ petræ dictum in finibus Ponti & Paphlagoniæ ſitum ſe contulit, ibique ſub ejus monaſterii, in quo Diſciplina religioſe ſervabatur, Abbate ad duodecimum annum, eximie profecit. Tum autem Abbas ejus Divinitus monitus, ipſum ad converſionem plurimarum gentium vocari, e monaſterio dimiſſum *vit. ap. Baro. a.* 961.

Sæculum X. A. C. 969.

missum in regionibus ad Orientem positis Apostolatus sui munus implere jussit; qui illas provincias peragrans, præprimis Armenos ab innumeris, quibus detinebantur, erroribus revocavit.

Exinde Nicon ad Cretam Insulam navigandum sibi esse intellexit, quo Divino quodam nutu vocabatur. Quippe illa nuper quidem a Saracenorum jugo liberata adhucdum plena erat fœdis vestigiis superstitionis, quæ per annos centum & triginta, quibus rerum potiebantur Mahometani, profundas radices egerat. Ut igitur eo delatus Solenne illud suum, *Pœnitentiam agite,* inclamare cœpit, attoniti peregrino & inaudito prædicandi genere Insulani animisque incensi manus importuno Monitori inferre cogitabant; quare missa insolita prædicandi ratione, seorsum aliquibus, quos sapientiores & magis dociles cognoscebat, collocutus blandis verbis ferociam fregit, tumque cœpit occulta cujusque facta vitæque flagitia redarguere. Tunc vero posita ira Sanctum virum venerati sunt, & tanquam Apostolum a Deo missum habuerunt. Totam Insulam Niconis fama complevit, confluxere ad eum universi, & fidem, quam prædicabat, amplexi Sacri Baptismatis lavacro abluti sunt. Ubique reparatæ Ecclesiæ, constituti Presbyteri, Diaconi & Ostiarii, præscriptæ

Sup. lib. XLVII. §. 16.

scriptæ in Opere Divino Cæremoniæ. S. Nicon plus duobus annis in Creta commoratus conscensa navi in Epidaurum vela fecit. Sæculum X. A. C. 969.

§. XXVI.

Novi Archiepiscopatus in Italia.

Nicephorus Imperator, Latinis infensissimus, invidia impellente Polyeucto Patriarchæ præcepit, ut Ecclesiam Hydruntinam Metropoliticam deinceps esse constitueret, & neutiquam pateretur, Divina Mysteria in Apulia & Calabria latina lingua celebrari, sed solum Græca, adjiciens, hac tempestate Papas turpi quæstu, communi mercatoribus vitio, & Simonia esse infames. Igitur Polyeuctus missis ad Episcopum Hydruntinum literis eum Archiepiscopum creavit, concessa etiam potestate Episcopos in Civitatibus *Acirentola*, *Turcico*, *Gravina*, *Maceria*, & *Tricario* consecrandi. *Luitpr. Legat.*

Joannes Papa XIII. quoque in illa parte Italiæ, qua meridiem spectat, duos Archiepiscopatus creavit, antea Ecclesias, nullam nisi Romam Metropolim habentes. Nam Joannes, Roma pulsus, Capuam se receperat; deinde autem Pandulphi illius Civitatis Principis precibus dederat, ut Sedes antea Episcopalis deinceps Archiepiscopalis esset, & primum Archiepiscopum Joannem ejusdem Prin- *Chro. Cass. l. II. c. 9.*

Sæculum X. A. C. 969.

cipis fratrem anno nongenteſimo ſexageſimo octavo conſecraverat. Anno ſequente in Concilio Romæ celebrato, Ottone Imperatore præſente, Joannes Papa Beneventum quoque antea Sedem Epiſcopalem ad Eccleſiarum Metropoliticarum ordinem, rogatus a Pandulpho hujus etiam civitatis Domino, evexit. Præterea S. Bartholomæi, cujus corpus ibi quieſcebat, memoriam honorare cupiebat. Itaque Papa conceſſit Landulfo Beneventanæ Eccleſiæ Epiſcopo Pallium, & poteſtatem Suffraganeos numero decem, videlicet Epiſcopos, Sanctæ Agathæ, Abellini, Quintodecimi, alio nomine, Eclanæ, Ariani, Aſculi, Bibini, Vulturariæ, Larini, Theleſiæ, & Alifæ conſecrandi, ea vero conditione, ut ipſe Epiſcopus Beneventanus ad recipiendam Conſecrationem & Pallium Romam veniret. Huic Bullæ, vigeſima ſexta Maji anno nongenteſimo ſexageſimo nono Indictione duodecima Anno Pontificatus Joannis XIII. quarto datæ, Papa, Imperator & Epiſcopi viginti tres ſubſcripſerunt.

tom. 9. Conc. p. 1238.

Ital. Sacr. tom. 8. p. 92.

Eodem tempore Procerum ſuorum aliquem, ſibi cariſſimum, præſenti magna hominum multitudine a Dæmone correptum & proprios artus dentibus dilaniantem, Otto Imperator ad Papam deduci juſſit, ejusque collum catenæ S. Petri

Chr. Saxon. an. 968.

Sigeb. ann. 969.

Petri inseri. Verum quidam Clerici alia & profana catena, pio hominis affectu decepto, eum bis ligarunt, nullo consequente beneficio; dum tandem allatis vinculis, S. Apostoli contactu olim consecratis, & furentis collo injectis, spumans & ejulans a malo Spiritu liberatus est. Tunc vero Theodoricus Episcopus Metensis inter alios præsens catenam apprehendens dixit, nunquam se eam dimissurum, nisi simul dextra sibi amputaretur. Post longam deinde contentionem pronunciavit Imperator sententiam; fibulam unam a ceteris vinculis avellendam & Theodorico esse tradendam. Hic Episcopus, Imperatori affinitate junctus, & præ ceteris omnibus dilectus, eundem annis tribus in Italia bella gerentem fidelis commilito secutus est; in patriam deinde rediens, e diversis locis complura Sanctorum corpora retulit, quibus suam Diœcesim, præprimis Abbatiam S. Vincentii a se fundatam, locupletavit.

Sæculum X. A. C. 969.

§. XXVII.

S. Dunstani constantia.

In Anglia, ex quo S. Dunstanus super candelabrum Ecclesiæ Cantuariensis positus fuerat, omnes Regni civitates, nec non & alias regiones Anglis subditas visitans, fidem illis, qui eam nondum

Sup. §. 3. vit. n. 34. Sæc. V. Ben. p. 679.

Sæculum X. A. C. 969.

noverant, si qui essent, prædicabat, & Fideles Apostolica traditione ad omnia boni Christiani officia instruebat. Facile autem Auditorum animis, quod volebat, persuadebat vir tanta sapientia & dicendi facultate præditus. Ubi paulisper quiescere dabatur, orationi vacabat aut lectioni S. Scripturæ, quarum codices emendabat. Nemo unquam Dunstanum cessantem vidit. Jam de litigantium causis cognoscebat, vel commotos furiosorum animos demulcebat, Hæreticorum errores refutabat, illegitima dissolvebat conjugia, hic neglecta ædificia renovabat, illic nova construebat, Ecclesiæ reditus juvandis viduis, orphanis, peregrinis impendebat. Comes quidam præpotens cognatam suam illicito matrimonio sibi junxerat, & a Dunstano secundo & tertio monitus, incestum fugere nolebat. Quare cum eum S. Episcopus ab Ecclesiæ liminibus excluisset, Regem adit & Episcopum immoderatæ severitatis accusat. Rex Dunstano mandat, ne pacem Comitis &. uxoris ejus turbaret, sed Sacris restitüeret. Miratus Dunstanus, piissimum Regem mendacis hominis fraudibus patuisse, Comitem acrius increpare, & ad pœnitentiam excitare, postquam priora delicta peccato calumniæ cumulasset; sed videns virum multo magis furere, Excommunica-

Alia vi. n. 31. p. 702.

tionis

tionis fulmine contumacem ferit, usque dum satisfaceret. Ille ira concitatus de suis aliquos Romam mittit, atque Romanis auro corruptis a Pontifice literas obtinet, quibus eum Archiepiscopus Ecclesiæ reconciliare districte jubebatur. Respondit S. Dunstanus: *Cum Comitem pœnitentem videro, præceptis Domini Papæ lubens parebo; sed id nolit Deus, ut ipse in peccato suo perseverans ab Ecclesiæ censura & disciplina eximatur, nobisque insultet. Illud quoque avertat optimum Numen, ut cujuscunque Mortalis amore vel metu ductus Legem Divinam postponam.* Sæculum X. A. C. 969.

Comes jam certissime sciens Dunstanum esse inflexibilem, pudorem non ferens, & perterritus ob pericula, quibus excommunicati subjacent, abdicato illicito conjugio, cultum pœnitentium assumpsit. Tum S. Dunstano Synodum totius Regni celebrante, intrat amplissimum Conventum Comes, nudis pedibus, laneo indumento tectus, virgas manu tenens. Mox ad pedes Archiepiscopi gemebundus procumbit, præsentibus omnibus & inprimis Dunstano vehementer commiseratione commotis. Dissimulabat tamen Archiepiscopus, vultumque ad Disciplinæ rigorem componebat. Postea autem totius Concilii precibus flexus erumpentes lacrymas ultra non

Sæculum X. A. C. 969.

cohibuit, pœnitenti veniam conceſſit, &, ſummam lætitiam profitentibus cunctis, excommunicationis cenſuram relaxavit.

Ceterum Edgarus Rex Dunſtanum Archiepiſcopum maximi faciens, ejusdem documenta tanquam oracula e Cœlo delapſa ſuſcipiebat. Namque ipſo hortante e Regno ſuo expulit latrones, fures, Sacrilegos, perjuros, veneficos, patriæ proditores, paricidas, mulieres, quæ auſu nefando maritos interfeciſſent, verbo, omnes impios, qui irato Deo viverent. Hujus S. Viri quoque conſilio uſus Clericos, qui ſpreto Sacro profeſſionis ſuæ miniſterio aut venandi ſtudio intenti, aut quæſtuoſis negotiis dediti aut incontinentiæ nota infames erant, niſi ſerio mores mutaſſent, ab Eccleſiis ſuis expellebat. Tantus in Sancto Epiſcopo Diſciplinæ amor & Regis ſeveritas Rei Eccleſiaſticæ in Anglia plurimum incrementi attulerunt; complures viri nobiles adſcribi Clericis petebant, quisque ſocium in ſemita virtutum vel ſuperare ignavum, vel eximium imitari omnibus viribus adlaborabat, hæc ſola patebat via, ſi quis ad Dignitates Eccleſiaſticas pervenire cuperet.

§. XXVIII.

Sæculum X.
A. C. 969.

§ XXVIII.
Regis Edgari Pœnitentia.

Alia vit. n. 38.

Nunquam, quantum Archiepiſcopus in Regem poſſet, magis apparuit, quam in ſequente caſu. Cum Edgarus ad Monaſterium mulierum Wiltonienſe divertiſſet, in amorem cujusdam nobilis eximia corporis ſpecie virginis, quæ inter moniales ſæculari habitu nutriebatur, ita effuſus eſt, ut eam ſibi ad ſecretius colloquium adduci juberet. Illa, cum miſſos a Rege ſequeretur, pertimeſcens, quod ſibi futurum erat, alterius Sanctimonialis monaſticum velum capiti proprio impoſuit, quod crederet, non auſurum Regem pudicitiæ ſuæ inſidiari, ſi more Virginum Deo Sacrarum velatam intueretur. At ille venientem conſpiciens, *quam ſubito*, inquit, *Monialis effecta es?* ſimul capitis velamen, puella fruſtra reluctante, detrahit, & tandem impudicis votis potitur. Hac laſcivia in vulgus ſparſa, eo majus ſcandalum fuit, quod Rex legitimam uxorem haberet. Sanctus vero Dunſtanus, cum factum turpe ingenti animi dolore percepiſſet, ad Regem ſe contulit, quo manum venienti, ut ſolebat, porrigente & in ſolium elevare volente, retracta dextra indignans ait: *Tu Pontificis manum audes contingere, qua in Altari filium*

Sæculum X. A C. 969.

Virginis immolat, tu, inquam, manum impuram extendis, poſtquam Sacram Virginem Deo rapuiſti. Creatoris Sponſam violaſti, & jam inani obſequio Sponſi Divini amicum mitigari poſſe putas. Nolo illius eſſe amicus, cui Chriſtus fuerit inimicus.

Rex ignorans, quod admiſſum flagitium ad aures Epiſcopi perveniſſet, his verbis quaſi tonitru perterritus pedibus Dunſtani proſternitur, ſcelus flebili voce fatetur, veniam ſupplex rogat. Quod ut vidit Pontifex expavit, perfuſumque lacrymis Regem, & ipſe fletu madens e terra levavit. Deinde cum leniore vultu illius peccati magnitudinem expoſuiſſet, & paratum ad ſuſcipiendam pœnitentiam reddidiſſet, ſeptennalem injunxit; quo toto tempore coronam Regiam in capite non geſtaret, bis in qualibet ſeptimana jejunaret, eleemoſynas largiſſime daret. Præterea præcepit, ut Rex Monaſterium virginum fundaret, quo pro una Deo erepta plures alias reſtitueret. Clericos peſſimæ vitæ ex Eccleſiis pelleret, & Monachos introduceret. Leges Reipublicæ utiles & Deo acceptas ederet, ad quas ſervandas Subditos in toto regno ſuo ſevere compelleret. Omnia ſibi injuncta accurate peregit Rex, cumque ſeptennium fuiſſet elapſum, & completum pœnitentiæ tem-

pus

pus, Episcopos omnes, Proceres, Abbates regni sui convocavit, cunctisque & populo præsentibus & hilariter plaudentibus S. Dunstanus coronam Principis capiti rursus imposuit. Tunc vero annus Salutis nongentesimus septuagesimus tertius agebatur. Sæculum X. A. C. 969. *Roger. p.* 416.

§. XXIX.

Leges a Rege Edgaro editæ.

Plures Leges a Rege Edgaro editas habemus, ad Rem Ecclesiasticam pertinentes, quæ ad consummandam memoratam pœnitentiam promulgatæ videntur. Complectuntur vero inter alia Canones seu Regulas, animarum Pastoribus datas, numero sexaginta septem, in quibus sequentia notatu digna sunt. Parvuli post nativitatem suam intra noctes triginta septem baptizentur. Omnia Idololatriæ vestigia deleantur, Necromantia divinationes, carmina magica, cultus Divinus hominibus exhibitus. Nullus Sacerdos Missam sæpius in uno die quam ter ad summum celebret. Nullus Christianus cujuscunque generis sanguinem comedat. Presbyteri, cum populi eleemosynas in pauperes distribuunt, Psalmos decantent. Sequuntur Regulæ de Confessione tam Confessariis quam Pœnitentibus traditæ. Tum Formula confessionis generalis, & Canones

tom. 9. Conc. p. 186.

n. 15.

n. 16.

n. 37.

n. 53.

n. 56.

p. 687.

Sæculum X. A. C. 969.

pœnitentiales. Si quis hominem ſine juſta cauſa occiderit, ſeptem annis je-

n. 6. 20. junet, annis nempe tribus pane & aqua, tum reliquis quatuor, ut Confeſſarius præſcripſerit. His ſubjungitur: *Peracta vero illa ſeptennali pœnitentia, ſcelus tamen ſuum ſemper lugeat omni qua poterit induſtria, quia hominem latet, an Deus receperit ejus pœnitentiam.* Si

p. 694. quis alium occidere voluit & non po-

n. 10. 11. tuit, tribus annis, & primo, pane & aqua, jejunet. Profundam pœnitentiam agere dicitur aliquis Laicus, ſi abjectis armis longe lateque nudis pedibus peregrinetur, in uno loco bis non pernoctet, nec crines, nec ungues ferro tangat, nec balneum calidum, nec molle cubile intret, carnes non comedat, nec bibat, quod ebrietatis cauſa eſſe poteſt, omnia loca pia inviſat, ad oſtium ſtans in Eccleſias ipſas pedem non inferat, & contrito corde ferventer oret.

Deinde docetur, qua ratione ægro-

n. 17. tus præſcriptum ſibi jejunium redimere poſſit. Quisque poterit unius diei jejunium uno denario redimere. Conjicere eſt, uno denario, ſecundum valorem illius temporis, unum pauperem nutriri potuiſſe. Item unius diei jejunium redimi poteſt ducentis & viginti Pſalmis, aut ſexaginta genuflexionibus & ſexagies recitando *Pater Noſter*. Unica etiam

Sæculum X. A. C. 969.

iam Missa potest quis absolvere duodecim dierum jejunium. Itaque pœnitentiam commutandi & redimendi initium hic videmus. Porro de pœnitentia Magnatum in his Regulis legitur; virum potentem ope aliorum leniorem reddere suam pœnitentiam posse, si pro ipso tribus diebus tantus virorum numerus jejunaret, quantus ad implendum septem annorum jejunium unius requireretur. De cetero tali pœnitenti complura alia opera difficilia & permultæ eleemosynæ injunguntur.

§. XXX.

Synodus in Anglia.

Anno nongentesimo sexagesimo nono, cum Dunstanus Archiepiscopus auctoritate Summi Pontificis Concilium in Anglia universale celebraret, Rex Edgarus orationem ad Episcopos de Clericorum vitiis habuit in hunc ferme modum: *Ut nihil dicam de tonsura, cujus forma tam exigua est, ut non satis appareat, vestitus levis, gestus sæculares, sermones obsceni satis produnt, quod intus mentem depravatam gerant. Quanta vero eorum est, cum Divina officia celebrant, socordia! vix interesse Vigiliis dignantur, & ad Missam venire diceres, non ut eo tempore cantent, sed ut rideant & jocentur. Dicam libere, quod improbis*

Reg. Hoved. p. 426. tom. 9. Conc. p. 696.

Sæculum X. A. C. 969.

bis risum elicit, & Boni omnes amaris lacrymis deflent, Clerici nostri epularum & cubilium deliciis maculantur. Virorum Ecclesiasticorum ædes, pro pudor! ganeis & Mimorum tabernis a populo comparantur, nec immerito, in iis enim luditur, saltatur, cantatur, & in mediam noctem, tumultu toti viciniæ gravi, compotatur. Ita isti opes Regum, & privatorum Christianorum olim pauperibus sublevandis destinatas in ventrem mergunt.

Ut deinde Episcopos ad tollendos hos abusus excitet, subjungit Rex: *Mihi Constantini, vobis S. Petri gladius in manibus est. Utramque potestatem viresque ad purgandum Sanctuarium jungamus!* tum sermonem ad solum Dunstanum dirigit, & finem dicendi facit his verbis: *Habes Ethelwoldum Episcopum Vintonienſem, habes etiam Osualdum Episcopum Vigornienſem; vobis tribus tantum committo negotium. Jungite Regiæ potestati auctoritatem & vigorem Sacerdotalem, ejicite ex Ecclesiis Presbyteros, qui eas pudenda vita deboneſtant, & viros Dei Servitio dignos sufficite.* In hoc itaque Concilio S. Dunstanus edito solemni Decreto præcepit, ut Canonici, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi vel continentiam servarent, vel Ecclesias suas dimitterent. Quod ut effectui daret, duorum Episcoporum a Rege nomi-

vit. S Osual. n. 7. Sæc. 5. Act. SS. Ben. p. 730.

nato-

natorum opera usus est. Unde ambo cum Archiepiscopo Disciplinæ Ecclesiasticæ Reparatores in Anglia habentur. Sæculum X. A. C. 969.

§. XXXI.

S. Ethelwoldus Wintonienſis.

Ethelwoldus Wintoniæ parentibus Christianis & pietate illustribus, Eduardo Rege Seniore imperante, natus, & in Palatio Regis Edelstani educatus, postmodum S. Elfego, Episcopo Wintonienſi traditus est, qui, cum eum post elapsos aliquot annos cum cum S. Dunstano Ordine Presbyteratus insigniret, utrique non Episcopatum modo, sed etiam quam Sedem quilibet consecuturus esset, diserte vaticinatus est. Sanctus Ethelwoldus Glastoniam sub Disciplinam S. Dunstani concessit, ab eoque Habitum monasticum accepit. Ibidem primum Grammaticæ & deinde S. Scripturæ atque SS. Patribus operam dans, cunctos Regulæ apices tanto fervore observabat, ut Dunstanus Abbas dignum censeret, qui Decani munus obiret. *vit. Sæc. 5. SS. Ben. p. 609.* *Sup. l. LV. §. 28.*

Edredo in Anglia regnante S. Ethelwoldus animo constituit, mare trajicere, nempe in Franciam navigare, ubi in scientia Scripturarum, & Monasticæ Disciplinæ perficeretur; at Regina Hedwige Regis matre obsistente & filio suggerente, ne tantorum meritorum virum e Regno

Sæculum X. A. C. 969.

gno abire pateretur, se ei potius locum, qui *Abendon* dicebatur, ubi parvum erat egenum & pene collapsum monasterium, concederet, Ethelwoldus consentiente Dunstano anno circiter nongentesimo quadragesimo quarto Abbas ibidem præficitur. Ipse e Corbeja, Franciæ Monasterio, viros Monastici Instituti Disciplina instructissimos in Angliam advocavit, tumque Osgarum Monachum, qui se Glastoniam euntem secutus fuerat, in Franciam misit, ut in Abbatia Floriacensi ad Ligerim Regulares consuetudines pie exploraret, eamque deinde Disciplinam ad monasterium Abendonense afferret. Tandem Sede Wintonienſi vacante, ad eam occupandam Rex Edgarus Ethelwoldum Abbatem delegit, quem Dunstanus Archiepiscopus prima Dominica Adventus vigesima octava Novembris anno nongentesimo sexagesimo tertio consecravit.

n. 11. *vi.den.*

Suscepto Episcopatu Ethelwoldus corruptissimos Canonicorum mores deprehendit, quos superbia, insolentia, luxuria fœde notabat. Non enim solum uxores contra Leges Ecclesiasticas accipere audebant, sed etiam, prioribus dimissis, alias ad sacrilegam libidinem explendam vocabant, semper ingestis epulis turgentes & nimio vino marcescentes. Inde igitur faciendum esse initium, ne Decretum Con-

Concilii & Regis mandatum effectu careret, ratus S. Episcopus, sæpius dissolutos admonuit, vehementer hortatus est, ut vitam emendarent, cumque ipsi meliora quidem promitterent, sed fidem fallerent, Monachos Abendonienses, quos in eorum locum subrogaret, advocavit. Ubi ad ostium Ecclesiæ pervenerunt jam jam ingressuri, ad finem prope deducta erat Missa, atque ad communionem illa verba Psalmi secundi cantabantur: *Servite Domino in timore*, & quæ sequuntur; erat enim Sabbatum ante Dominicam primam Quadragesimæ, in quo hodieque illa Communio recitatur. Omen itaque captabant Abendoniani ex illis præcipue verbis: *Apprehendite Disciplinam . . . ne pereatis de via justa.* Credebantque ipso Cœlo invitante se adveniſſe. Miserat vero Rex cum Episcopo Palatii Præfectum, qui Canonicos ibi stantes deliberare jussit, an vellent Ecclesiam Monachis relinquere, vel ipsi vitam monasticam mora omni abrupta amplecti. Illi pavidi, & ad nomen *Monachi* cohorrescentes, illico discesserunt. Tres tamen eorum postea redierunt, & Institutum Monasticum sunt professi. Ceterum illa tempestate nullibi in Anglia, nisi in duobus Monasteriis Glastonienſi & Abendonienſi, justus Regulæ rigor servabatur.

Sæculum X. A. C. 969.

Ecclesia Wintonienſis.

At

Sæculum X. A. C. 969.

At Monasterium Ecclesiæ Cathedralis Wintonienſis augebatur numero multorum, quos bonum exemplum Abendonienſium trahebat. Unde Clerici, ex illa Eccleſia pulſi, ringentes Ethelwoldo Epiſcopo cum Hoſpitibus menſæ aſſidenti per ſubornatum hominem potionem veneno mixtam præbent. Senſit ille, & nullatenus dubitans, mortem ſe bibiſſe, in lectum ſe projecit. Mox animum colligens ait: *Ubi eſt fides tua? nempe immemor es verborum JEſu Chriſti, de illis, qui in ipſum crediturі eſſent, dicentis: ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit?* Illico viſcerum dolor remiſit, ſanatus eſt, & animo generoſo veniam venefico dedit.

§. XXXII.

S. Oſualdus Vigornienſis.

vit. Sæc. 5. Act. SS. Ben. p. 728.

Sanctus Oſualdus nobiliſſima proſapia editus, S. Odonis Archiepiſcopi Cantuarienſis ex fratre nepos, eidem a parentibus primis literis & pietate imbuendus traditus, ab ipſo Eccleſiæ Vigornienſis Canonicis adſcriptus eſt. Haud diu poſt, Decani munus obire juſſus, cum intelligeret, ſe in corrigendis Canonicorum moribus operam perdere, abdicata dignitate Mundo valedicere conſtituit. Tum in Franciam vela fecit, & Floriacum ad Ligerim pervenit, cum epiſtolis

&

& donis, quæ ipsi Archiepiscopus patruus, in illo monasterio notissimus, deferenda tradiderat. Nempe solebant illo tempore Angli, strictioris disciplinæ amatores, eam in Monasterio Floriacensi quærere, quod tanquam Doctrinæ Asceticæ fontem venerabantur. Ibi itaque Osualdus habitum monasticum indutus ad sublimem omnis generis virtutum gradum ascendit, inprimis orationi contemplativæ deditus. Quod ubi S. Odo ejus patruus comperit, maximas Deo gratias agens, ut etiam Abbati monachisque Floriacensibus gratum animum exhiberet, plurima dona misit. Nepoti autem suo per literas indicavit, ipsum videndi vehementi desiderio se teneri, tum quod senio gravis cognosceret, non procul abesse supremum diem, tum quod ipsius opera ad Anglos Disciplinam monasticam edocendos indigeret. Monachi Floriacenses dilectissimum sibi Osualdum prope inviti remiserunt. Ipse quoque datis sæpius ad patruum literis excusabat se, quod non promptissime obediret, cum non nisi brevi tempore sub Regula monastica fuisset exercitatus. Accepto autem nuncio, quod patruus gravi morbo decumberet, itineri se dedit. Ubi ad portum Dubrensem perveniisset, afferuntur literæ, quibus fato functum fuisse docebatur, statimque viam Floria-

Sæculum X. A. C. 969.

Sup. l. LV. §. 27.

Sæculum X. A. C. 969.

cum relegisset, nisi socii monuissent, inhumanum videri posse omnibus, si in isto rerum statu familiæ suæ solatium & subsidium denegaret. Ergo anno nongentesimo sexagesimo primo in Angliam redit.

Postquam S. Odoni Osualdus, ut par erat, parentasset, ad Osquetulum, Episcopum Durnovariensem, itidem propinquum suum, se recepit, qui ejusdem virtutibus captus, eum compluribus annis apud se detinuit. Verum Osquetulo deinde ad Archiepiscopatum Eboracensem translato S. Dunstanus Regi Edgaro indicium fecit, quam solidæ pietatis vir esset Osualdus; unde in amicorum numerum receptus ab eodem Rege Ecclesiæ Vigornienſi seu Worcestrienſi præficitur. S. Osualdus Episcopali Dignitate auctus primo monasterium duodecim virorum in loco *Wesbiri* instituit, quo & ipse sæpe secedere solebat, & postea etiam Ramesiense priori amplius, cujus Ecclesia anno nongentesimo septuagesimo quarto dedicata est. Talis fuit S. Osualdus, qui ut Decreta Concilii, in quo S. Dunstanus præfuerat, exequeretur, septem monasteriis in sua Diœcesi conditis, ejectis Clericis male viventibus, Monachos introduxit. Sed & extra suam Diœcesim Ecclesias S. Albani & Ælienſem reformavit, quas conſervandæ

vandæ disciplinæ intentus non raro invi- Sæculum X.
sebat. Tandem vigesima nona Februa- A.C. 972.
rii anno nongentesimo nonagesimo se-
cundo post susceptum Episcopatum tri-
gesimo sanctam animam efflavit. (*)

§. XXXIII.

S. Udalricus Regimine se abdicat.

Inter hæc S. Udalricus iter Romam ulti-
mo susceperat, quamvis vires paula-
tim deficere sentiret; unde paucis die- *vit. Sæc. V.*
bus vehiculo usus, sequentibus lecticæ *Ben. n. 31.*
impositus est, in qua jacens defereba- *p. 447.*
tur. Postquam Romæ SS. Apostolorum
limina visitasset, & peractis precibus In- *Sup. l. LV.*
dulgentias lucratus valedixisset Summo *§. 44.*
Pontifici, Ravennam venit, ubi Impe-
ratorem commorari compererat. Tum
præmissis, qui se advenire nunciarent,
non expectato responso, usque ad ostium
cubiculi, ubi Imperator versabatur, pe-
netrat. Otto venienti occurrit, ut for-
te erat, uno tantum pede calceato, &
Adelheidem Imperatricem vocari jubet.
Tum, cum suavissime loquendo horam
horæ jungerent, faventem occasionem
nactus S. Episcopus Imperatorem roga-
vit, ut quoad ipse viveret rem œcono-

 micam

(*) S. Osualdum postea etiam Ecclesiam Archiepiscopalem Eboracensem rexisse legimus in Act. SS. Ben. Sæc. V. in vita pag. 711.

Sæculum X. A. C. 972.

micam Episcopatus Augustani Adalberoni nepoti suo administrandam committeret, quo ipse liberius orationi & officiis suis spiritualibus vacare posset, & se rebus humanis erepto idem nepos & Titulum hujus Ecclesiæ acciperet & Cathedram Episcopalem conscenderet. Concessit Imperator (*), quod petebat, atque aliquot auri libris liberaliter adjectis, omnia quoque proficiscenti necessaria usque ad Provinciæ illius terminos

c. 22. dari præcepit. Adalbero Episcopum patruum suum in hoc itinere comitabatur; postquam vero Augustam pervenerunt, S. Udalrico præsente, convocatis omnibus Vasallis & Episcopi Servis, fidem juramento sibi præstari voluit. Ex

S. Udalricus Monachus. eo tempore S. Udalricus vestem similem Cucullo monachorum, quorum Regulam jam prius servabat, gessit, Adalbero autem ferulam seu Baculum pastoralem publice in manu tenebat, ut spes omnis hunc Episcopatum ambientibus præcideretur.

c. 23. Ottone Imperatore ex Italia reverso, celebratum est Concilium Ingelheimii, quo etiam S. Udalricus & Adalbero nepos

(*) Quæ sequuntur, docent, Imperatoris id concedentis mentem neutiquam fuisse, Episcoporum consensum excludere, iisque inconsultis nepotium Ecclesiasticum perficere.

nepos ejus vocati. Quippe indignabantur Episcopi, quod is Baculum Episcopalem publice jactaret. Dicebantque, ipsum, quia Insignia Episcopatus vivente Episcopo usurpasset, se Episcopali honore indignum, in omne tempus, effeciisse. His auditis Adalbero prima die Concilio interesse noluit; sed Udalrico præsente ejus causa ad examen vocata. Cumque tenuis ægrotantis vox exaudiri non posset, aliquis ex Clericis ipsius nomine Gerardus intrare, & quid ipsius Dominus Episcopus peteret, exponere jubetur. Respondit Clericus sermone Latino (nemo enim alia lingua, quamvis omnes essent Germani, in hac Synodo utebatur) in hunc ferme modum: *Domino meo Episcopo nihil aliud in votis est, quam deinceps æterna & cœlestia contemplari, & S. Benedicti Regulam servare, quod ex habitu, quem induit, cognoscere potuistis.* Plura adjecit, S. Udalrici mentem explicans (*), & tandem ad pedes Imperatoris & Episcoporum prostratus rogavit, ut quod petebat concederent. Non nulli Episcoporum Adalberonis causæ favebant, sed nihilominus, postquam diu tenuit contentio, omnibus placuit, eum a Dignitate Episcopali

Sæculum X. A. C. 972.

(*) Optima videlicet, quamquam contra Canones pugnaret, erat S. Udalrici intentio.

Sæculum X. A. C. 972.

excludi, nisi juramento affirmaret, se ignorasse, eum Hæresis peccatum admittere, qui arrepto contra fas Baculo Episcopalem potestatem invaderet. Manifestum Canonum contemptum Hæresim appellabant.

Altera die Adalbero Concilium cum Patruo intrat, & juramentum, quod exigebatur, pronunciat. Tum Gerardus Magistri sui nomine postulavit, ut responderent Episcopi, an consentirent, quod Udalricus vitam monasticam duceret, & ejus Nepos Episcopus ordinaretur. Quamvis autem hæc postulatio Episcopis non probaretur, eam tamen in publico conventu rejicere noluerunt; at ex omnium ceterorum consilio, eorum doctissimi Udalrico ad secretum colloquium vocato dixerunt: *Te vero virum Canonum scientia instructum, & vitæ anteactæ Sanctitate illustrem minime oportet nocentissimum abusum introducere, ut vivente Episcopo alius ordinetur. Quod ubi sperare licuerit, nemo optimorum Episcoporum cupiditatem nepotum, Clericorumve suorum satis coercere valebit. Expedit itaque, ut Episcopatum retineas; ceterum, fidem damus, ubi ex hac vita decesseris, nos nunquam alterum quam Adalberonem Episcopum Augustanum ordinaturos.* Moveri se passus est Udalricus Episcoporum hortatu, & consentientibus

bus cunctis Imperator Adalberoni man- Sæculum X.
davit, patrui Senis curam gereret, & sub A. C. 973.
ipso Episcopo rem domesticam Episcopatus Augustani curaret.

Hoc Concilium in autumno celebratum. Anno autem sequente nongentesimo septuagesimo tertio, post Festum Resurrectionis, quod in vigesimam tertiam Martii inciderat, S. Episcopus comitante Adalberone Dilingam profectus est ad Comitem Rivinum nepotem suum, ibi aliquot diebus familiariter diversaturus. Ecce autem, cum Adalbero ad sanguinem emittendum a chirurgo solvi sibi venam jussisset, & deinde cum Episcopo cœnasset, illa nocte subito extinctus est, ingenti luctu non solum patrui sui, sed etiam omnium Diœcesanorum, quem utique ob raras dotes, quippe vir erat eruditus, in officiis Divinis celebrandis assiduus, liberalis & beneficus, omnes amabant. c. 24.

§. XXXIV.

Ottonis I. Obitus. Otto II. Imperator.

Haud multo post tempore S. Udalrico nunciatur obitus Ottonis Imperatoris, qui diem Mercurii ante Pentecostem, septimam Maji, anno nongentesimo septuagesimo tertio, supremam habuerat. Illa die Matutinis & Missæ in-

Sæculum X. A. C. 973.

terfuerat, & eleemosynas, ut adsueverat, distribui jusserat. Sub vesperas vero, decantato *Magnificat*, defecit. Circumstantes proceres infirmum scamno imponunt, in quo sedens inclinato capite expirasse videbatur. Rediit tamen spiritus, tumque mentis compoti Corpus & Sanguis Domini Nostri præbetur, quo accepto animam placidissime reddidit. Otto annis triginta sex solium Rex Germaniæ, undecim vero Imperator Romanorum occupaverat, cui rerum gestarum gloria nomen Magni peperit. (*) Altera die mane, defuncti filius, Otto II. jam ante a Papa Imperator coronatus, novis acclamtionibus ab omni populo eligitur, eique Fidei perpetuæ sacramentum dicitur. Ipse parentis corpus Magdeburgum deferri, ibique tumulari jussit.

§. XXXV.

(*) Ex eo tempore usque in hanc diem Romani Imperatoris Dignitas Germaniæ vindicata est. Illa vero, quæ in Sæculis proximis sequentur, merito dubium injicient, an Corona Romana Germaniæ Reges, aliunde potentissimos, ornaverit vel oneraverit magis. Ceterum, non sine singulari Divini Numinis gratia factum, existimandum est, quod in Sæculo X. quo non nulli Papæ Summo Pontificatu indigni extiterunt, & Romæ omnia susque deque vertebantur, Reges, Imperatoresque Ottones & Henricos Pissimos, Sapientissimos, invictos Germania dederit.

Sæculum X.
A. C. 973.

§. XXXV.

S. Udalrici Obitus.

Duobus menſibus, quibus S. Udalricus Ottoni Imperatori ſuperſtes fuit, multum oravit, multas eleemoſynas pro anima defuncti Principis in pauperes ſparſit, & quamdiu per vires corporis licuit, quotidie Miſſam celebravit. Ubi vero ita debilitatus eſt, ut pedibus ſuis conſiſtere non valeret, ſingulis diebus in Eccleſiam, ubi Sacerdotem Miſſæ Sacrificium celebrantem audiret, deduci voluit. Tum Officio Divino peracto & recitato toto Pſalterio, in conclavi ſuo ſedens, Gerardum Eccleſiæ Auguſtanæ Præpoſitum juſſu ſuo Vitas Patrum, & S. Gregorii Dialogos ſibi prælegentem audiebat, de quibus deinde cum lectore diſſerebat. Quadam die e profundo ſomno evigilans & omnibus artubus contremiſcens exclamavit: *Heu, heu me! utinam nunquam vidiſſem Adalberonem nepotem meum! quia ejus voluntati conſenſi, nolunt me in ſuam recipere ſocietatem, niſi prius pœnas dem.* vit. c. 26.

In Feſto S. Joannis Baptiſtæ veſtibus ſuis indui voluit, & cultum Sacerdotalem ſuperaddi. Tum in Eccleſia duas Miſſas continuas celebravit; quod non ſine miraculo factum credidit. In vigilia S. Petri, die Dominica, priusquam in- c. 26.

Sæculum X. A.C. 973.

choarentur Vesperæ, lotus balneo, & vestibus, quas proprio funeri præparari jusserat, contectus mortem operiebatur, quæ tamen usque ad diem Veneris sequentem venire distulit. Hanc ubi proximam sensit, cineres in forma crucis sterni & aquam benedictam aspergi jussit; quibus impositus tandem expiravit. Obiit vero quarta Julii anno nongentesimo septuagesimo tertio, postquam inter vivos fuisset annis octoginta tribus, & Dignitate Episcopali eminuisset annis quinquaginta. Cum ad S. Afram sepeliretur, S. Wolfgangus Episcopus Ratisbonensis Exequiis præfuit. Compluribus deinde miraculis ad tumulum S. Episcopi patratis, Ecclesia ejusdem memoriam ipsa obitus die colere cœpit, sub Nomine *Saint Ulric* celeberrimi. (*)

Sup. t. LVI. §. 9. *Mart. Rom.* 4. *Jul.*

§. XXXVI.

(*) Der Heilige Udalricus ist der erste, von dessen Heiligsprechung ordentliche Urschriften vorhanden sind; gleichwie solches im folgenden Buch und XXXII. Abschnitt vorkommen wird. Nun haben wir oben in der Anmerkung zum III. Abschnitt gesehen, daß die Herren Protestanten empfindlich darüber sind, wenn man den Luther einen Ketzer schimpfet; Wir wollen aber itzt im Gegentheil sehen, wie liebreich diese Herren nicht nur einen einzigen Mann, sondern alle Katholicken überhaupt mit denen, welche der Vielgötterey zugethan sind, vergleichen. Die Verfasser des Neuesten im Heu-

Sæculum X.
A. C. 975.

§. XXXVI.

Joannis XIII. obitus. Benedictus VI. Benedictus VII.

Joannes XIII. Papa anno superiore nongentesimo septuagesimo secundo, sexta Septembris, postquam S. Sedem annis prope septem tenuisset, vita functus Successorem habuit Benedictum VI. patria Roma- *Epit. ap. Baro. Pagebr. in Ben. VI.*

Heumond 1760. beurtheilen das Werkgen eines Engländers: Histoire Naturelle de la Religion &c. und sagen pag. 533. Ferner meynet unser Verfasser, daß wenn der Mensch einmal von dem Daseyn eines göttlichen Wesens aus den Wundern der Natur überführet gewesen wäre, er solche nimmermehr würde haben fahren lassen. Nun kömmt die Hochgelehrte Erinnerung der Leipziger: Allein kann nicht eine einreissende Barbarey bey Kindern etwas ins Vergessen bringen, was die Vätter wohl gewußt? Sind nicht bey den Katholischen die Heiligen in Ansehen und Verehrung gekommen, die in der alten Kirche gar nicht bekannt gewesen?

Diese Beschuldigung, mit welcher einige Protestanten den Ehrenkranz der Katholicken zieren, ist eine so weltkündige und niederträchtige Unwahrheit, daß man billig bewundern muß, wie sich sonst gelehrte Leute damit schleppen mögen. Es scheinet auch allerdings, daß sie hier wider das Zeugniß ihres eigenen Gewissens geschrieben. Denn wie

Sæculum X. A. C. 975.

Romanum, Hildebrandi filium. Is Die Dominica, 22. Sept. anno 972. ordinatus creditur; Sacram autem Sedem mensibus octodecim occupavit. At, cum invisus

---

wie ist es möglich, daß sie nicht wissen, man habe in der alten Kirche die ersten Märtyrer also gleich verehret, und angerufen? Wissen sie nicht, daß auch diese Lehre in der heiligen Schrift ihren unwiderleglichen Grund habe? Euseb. Amort. gründliche Abhandlung ꝛc. 1755. Gesetzt aber auch, daß man den Namen und die Lebensumstände einiger alten heiligen Märtyrer nicht vollkommen weiß, was soll endlich daran gelegen seyn? Wenn aber die Katholicken einstens den Luther für einen Erzketzer gehalten haben, so haben sie nichts davor gekönnt, daß er von der Lehre und Gemeinschaft der Römischen Kirche sich getrennet, und eben darum die Anzahl derjenigen vermehret hat, welche in allen Jahrhunderten von der ganzen Kirche als Ketzer sind angesehen worden. Weit billiger muß man von den Herren Protestanten in Sachsen sagen, daß eine einreissende Barbarey (in den Glaubenslehren) bey den Kindern etwas ins Vergessen gebracht, was ihre Väter wohl gewußt, nämlich daß man sich von der Gemeinschaft mit der Römischen Kirche nicht absöndern könne, und dennoch den Namen eines rechtgläubigen Christens beybehalten.

Klüger würden es die Verfasser des Neuesten machen, wenn sie, ihrer Absicht gemäß, solche bey den Haaren herbey gezogene und den Katholicken sehr

sus esset Romanis, a Centio seu Crescentio Theodoræ famosæ feminæ & Joannis X. Papæ filio captus, in Castro SS. Angelorum includitur. Tum, ipso vivente, Franco Ferrutii filius & Ecclesiæ Romanæ Diaconus Papa ordinatur; Benedictus vero haud diu post in carcere strangulatur. Eo occiso Franco expulsus, qui nomen Bonifacii VII. sibi dederat, Constantinopolim aufugit. Tunc electus est Donnus II. quem aliqui ante (*) Benedictum VI. sedisse putant, alii e Romanorum Pontificum serie expungunt, nam obscurissima sunt illa tempora. Tandem 28. Dec. anno 975. in Sacram Sedem evehitur Benedictus VII. Episcopus Sutriensis, Alberici, Romæ Domini, propinquus, qui Petri Sedem annis octo & dimidio obtinuit.

Sæculum X. A. C. 975.

§. XXXVII.

sehr schimpfliche Gleichnissen, welche zu der Gottesgelehrtheit gehören, wegliessen, und an statt dessen ihnen zugefertigte Deutsche Oden schöner Dichterinnen im Vertrauen beurtheileten und verbesserten. Das wäre einmal viel anmuthiger. Diese freundliche Erinnerung kömmt ihnen aus Bayern, einem Katholischen Lande, in welchem, nach ihrer Meinung, die Barbarey auf den Thron sitzet. Sed, sic fata tulerunt.

(*) Cardinalis Baronius. Natalis Alexander.

Sæculum X. A. C. 975.

§. XXXVII.

Aimardi Abbatis Cluniacensis Obitus.

Sub turbida isthæc Ecclesiæ Romanæ tempora S. Majolus Abbas Cluniacensis Dignitatem Papalem, quam ut susciperet Otto II. Imperator & Adelheidis Imperatrix vehementer hortabantur, a se amolitus refertur. Superius memoravimus, Aimardum tertium Abbatem Cluniacensem caligantibus oculis Majolum sibi Adjutorem adlegisse, eumque propria Dignitate non abdicata fratribus Abbatem præfeciſſe. Haud diu postea Aimardus in cella infirmorum, ut privatus monachus, degens, quadam die misso, qui sibi ministrabat, caseum petiit. Cellerarius aliis rebus intentus negavit dare quod rogabatur, adjectis asperis verbis; quem denique labori suffecturum, si in uno monasterio pluribus Abbatibus & pluribus Dominis serviendum foret? Acriter pupugit Aimardi animum tantus contemptus; quare altero die mane ad Capitulum deduci se jubet, dicitque Majolo: *Frater mi! non ideo ego te supra me ipsum evexi, ut me sperneres, sed ut infirmitatem meam sublevares. Nonne monachus meus es?* Respondit Majolus: *Sum monachus tuus sicut semper ita & nunc obedientissimus. Si ita est,* reposuit Aimardus, *relinque Cathedram tuam,*

Sup. l. LV. §. 36. Sæc. 5. Ben. p. 324.

tuam, & descende ad locum inter fratres, in quo antea stabas. Illico obediit Majolus, & surgens rediit ad locum pristinum, quem olim privatus tenuerat. Tunc vero Aimardus in Abbatiali Cathedra sedens Cellerarium evocat, eique, cum se in terram prostravisset, acerbe objurgato pœnitentiam, ut videbatur, injungit. Mox relictam Sedem Majolum denuo occupare jubet, qui iterum morem gessit. Ex hoc facto Aimardi, qui vir simplex habebatur, vigor, & Majoli humilis obedientia elucent. Aimardus anno nongentesimo sexagesimo quinto mortem oppetiisse creditur.

Sæculum X. A.C. 975.

§. XXXVIII.

S. Majolus Abbas.

Majolus Aimardo defuncto solus Abbatiæ Cluniacensi annis prope triginta præfuit. Sacri libri unice ei in deliciis erant, quos iter faciens aut etiam equitans raro e manibus dimittebat. Philosophos tamen & Scriptores profanos non abjiciebat, sed colligebat, quæ utilia videbantur. In cognitione Disciplinæ monasticæ Canonum & Legum Majolo nemo perspicacior fuit. Doctrinæ solidæ magnam eloquentiæ vim jungebat, unde de morum emendatione sæpe sermonem faciens, auditorum animos movebat & delectabat. Cum ipse semper Virgi-

vit. per Syr. lib. III. c. 3.

Sæculum X. A. C. 975.

Virginitatem ſervaſſet, Monachos ſuos ad cuſtodiendam animi corporisque puritatem fervida oratione hortabatur. Delinquentes magno zelo corripiebat, deinde autem injunctam pœnam omni quo poterat modo relaxabat. Complures viri divites & potentes Majoli facundia capti, & vitam monaſticam amplexi numerum Fratrum Cluniacenſium non parum auxerunt, quin tamen nationum diverſitas concordiam ſolveret. Majolus Abbas ubique ſolitudinis amator etiam cum de uno loco ad alium proficiſceretur, contrito corde preces ad Deum fundebat, & non raro humus, quam orando preſſerat, lacrymis madere conſpecta eſt.

Dono miraculorum quoque claruit S. Abbas. Quadam die orationis cauſa ad Eccleſiam S. Virginis Mariæ in Velaunis proficiſcenti, inter alios pauperes ſtipem rogantes, obvium ſe intulit cœcus, dicens, a S. Petro ſibi fuiſſe revelatum, oculorum uſum ſe recepturum, ſi illam aquam, qua Vir Sanctus manus abluiſſet, oculis admoviſſet. Rejecit ſupplicem Abbas ſatis objurgatum, & quia eum non latebat, quod cœcus ille aquam ablutionis a familiaribus ſuis ſibi dari rogaſſet, ne darent, addita comminatione pœnæ prohibuit. Cœcus ille, ſæpius poſtea repulſus, necdum tamen ſpem abjecit;

jecit; sed Abbatem in via præstolatus, apprehenso equi fræno, juravit, se S. Virum neutiquam dimissurum, nisi voti compos fieret. Atque ne ullus excusationi locus esset, aquam in vasculo e collo suspenso portabat. S. Abbas commiseratione motus ex equo descendit, aquam juxta Ecclesiæ consuetudinem benedicit, Signum Crucis super cœci oculos format, & deinde flexis genibus cum omnibus præsentibus Sanctam Virginem inter obortas lacrymas invocat. Et ecce, priusquam se in pedes vir Sanctus erexisset, visum recepit cœcus. Syrus, qui S. Majoli vitam scripsit, se hoc miraculum a testibus facto præsentibus accepisse affirmat. In quodam prœdio Abbatiæ Cluniacensis cum vir agrestis aquam, qua Abbas manus laverat, clam sibi datam obtinuisset, ea oculos filii cœci abluit, qui illico lucem aspexit. Qua re comperta S. Majolus aquam, qua lavabatur, exinde se spectante in terram effundi jubebat. At nihilominus non nunquam furtive servata ægrotos sanitati restituebat. Plura alia de S. Majolo narrantur miracula.

Sæculum X. A. C. 975.

Cœcus sanatus.

Rem domesticam Cluniacensem plurimum auxit, ejusdemque Monasterii Disciplinam in plura alia, quæ sibi in Francia aliisque provinciis reformanda commissa fuerant, invexit. Otto *Magnus* Im-

Elog. Maj Sæc. 5. Ben n. 21. &c. p. 769.

Sæculum X. A.C. 975.

perator, cum S. Viri fama usque ad eum perveniſſet, magno ipſum videndi deſiderio tenebatur. Tot enim Reipublicæ curis obrutus, nihilominus ad Monaſteriorum emolumentum mentem ſæpe convertebat, & tenero affectu angebatur, quod Monachos Sæcularium moribus vivere cerneret. Heldricus vero, qui, ut ſuperius memoravimus, quondam in Italia vir ſpectatiſſimus, relictis omnibus, Cluniaci cucullo ſe abdiderat, Ottoni indicaverat, quam ſanctæ vitæ vir Majolus eſſet. Eum itaque Imperator ad ſe vocatum omnium Monaſteriorum in Italia & Germania ſibi ſubjectorum Regimine onerare cogitabat. Imperatrix S. Viro ancillæ more miniſtrare cupiebat, Proceres omnes Majolum venerabantur & amabant, quo chariorem Imperatori noverant neminem. Cuncti, quibus in Regia negotium erat, ejusdem favorem & præſidium quærebant. Sub illud tempus S. Majolus, nempe anno circiter nongenteſimo ſexageſimo ſexto, Cænobium Claſſenſe prope Ravennam S. Apollinari Sacrum reformavit, eique Abbatem præfecit. Rogatus ab Imperatrice Monaſterium S. Salvatoris prope Ticinum a Cælo aureo dictum, a Rege Luitprando conditum, & ob S. Auguſtini Reliquias celeberrimum, reſtauravit.

vit. per Syr. l. 2. c. 20.

Sup. l. LV. §. 38.

Sup. l. XLI. §. 40.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Sæculum X.
A.C. 975.

S. Majolus a Saracenis captus.

Sanctus Majolus altera profectione, anno nongenteſimo ſeptuageſimo tertio, Romam ſuſcepta, in reditu ſuis prædixit, Ottonem Imperatorem eodem anno e vivis abiturum. In Alpium anguſtiis a Saracenis Fraxinetum obtinentibus, cum plurimis itineris ſociis, qui ſub Sancti Viri præſidio tutos ſe credebant, captus eſt. Saraceni, quotquot comprehendere potuerunt, vinculis ferreis onerarunt; cumque S. Abbas Saracenum de rupis cacumine jaculum in quemdam familiarium ſuorum intorquentem conſpiceret, objecta dextra ictum excepit, & cicatricem, eximiæ charitatis monumentum, quoad vixit, circumtulit. Ipſe intrepido animo mortem non pertimeſcebat, ſed quia paterno affectu omnes complectebatur, dolebat, quod ſui cauſa tot amici in triſtem captivitatem incidiſſent. Illud vero ferventi oratione ad Deum impetravit, ut nullus ſuorum necaretur. Barbari, Abbatem ad ſua munimenta deducentes, alii & quidem Ducum præcipui, honorem exhibebant, alii ridebant, & Religionem Chriſtianam conviciis inſectabantnr.

Syr. lib. III. c. 10. ibid. c. 1.

Tunc autem S. Abbas Religionis noſtræ veritatem, & Superſtitionis Maho-

Sæculum X. A. C. 975.

metanæ impietatem clariſſimis argumentis demonſtrare cœpit, quod Barbaros usque adeo irritavit, ut pedibus vinculis ferreis conſtrictis Abbatem in antrum horrendum conjicerent. Ibi gratiam Martyrii a Deo enixe petenti oblatum eſt ſomnium, ex quo didicit, fore, ut ex hac captivitate liberaretur. Tum veſtem ſuam excutiens præter ſpem invenit Tractatum de Aſſumptione S. Virginis, opus jam illa ætate S. Hieronymo adſcriptum, quem librum Saraceni, cum ei ceteros omnes auferrent, non notaverant. Ipſe lætus, quot dies exinde usque ad Aſſumptionem ſupereſſent, numerat, & cognoſcit, reſtare dies viginti quatuor. Nempe agebatur vigeſima quarta Julii. Ergo Sanctam Virginem ferventius invocare cœpit, ut ipſa apud Filium ſuum intercedente futurum hoc Feſtum cum Chriſtianis celebrare ſibi concederetur. Ita prolixius oranti ſubrepſit ſomnus, ex quo evigilans miratur, vincula ſua, nemine manum admovente, diſſiliiſſe. Infideles quoque prodigio attoniti, & liberatum iterum ligare non auſi, virum venerari cœperunt. Quærunt, an in patria opes ſuppeterent, quibus ſe ſuosque redimeret. Quibus ille, nihil in hoc mundo ſibi proprium eſſe, reſpondit, ſed amicos habere & ſubditos, qui agros & pecunias poſſiderent.

S. Majolus inter Saracenos.

Sara-

Saraceni hortari, ut quemquam ſuorum mitteret, qui pretium recuperandæ libertatis afferret. Tum pretium pronunciant mille libras argenti; unde ſingulis eorum libra una obtingeret. Ergo Majolus Abbas quemdam monachorum ſuorum mittit cum Epiſtola manu ſua exarata, hæc pauca continente. *Dominis meis & Fratribus meis Cluniacenſibus Frater Majolus miſer & captivus. Torrentes iniquitatis conturbaverunt me, præoccupaverunt me laquei mortis. Igitur rogamini, ut me & eos, qui mecum ſunt, dato pretio redimatis.* Hæc Epiſtola Cluniacum delata non ſolum illius Cœnobii Fratres, ſed totius regionis incolas ſummo dolore affecit. Multa de pretioſa Eccleſiæ ſupellectile venumdata, & amicorum præcipui pecunias certatim comportarunt, quibus celeriter exacta a Saracenis ſumma impleta eſt.

Sæculum X. A. C. 975.

Pſal. 17. 5. 6.

Interim Barbari S. Abbatem in dies majore veneratione proſequebantur. Cum tempus prandii adveniſſet, S. Viro quoque, quæ habebant, videlicet carnem & panem prædurum apponunt. Tum ipſe: *Si eſuriero, paſcet me Dominus. Quæ vos datis mihi non conveniunt.* Moxque aliquis ex Saracenis commiſeratione tactus, replicatis manicis, manus & clypeum abluit, in quo farinæ maſſam præſente Abbate ſubegit, ſtatim furno

Sæculum X. A. C. 975.

immiſit, & coctum porrexit. Accepit Abbas, oravit, & gratias agens comedit. Saracenorum alius baculum decorticans pedem impoſuit Bibliæ, quam Majolus ſemper quocunque iret deferre adſueverat. Ingemuit Vir Sanctus, & aliqui ex Saracenis comilitonem vituperarunt dicentes, librum verba Prophetarum continentem usque adeo vilipendi non debere. Eadem die, exortis inter eundem barbarum & commilitones rixis, pedem ejus, quo Bibliam calcaverat, amputarunt. Tandem ubi libertatis pretium allatum eſt, S. Majolus omnesque cum ipſo capti dimittuntur; unde Feſtum Aſſumptionis apud Chriſtianos, ut exoptaverat, celebrare licuit.

Saraceni vero haud diu poſt ex Fraxineti ſtationibus a copiis Guilielmi Ducis Arelatenſis pulſi ſunt, quod plerique in pœnam ob captum S. Virum cœlitus immiſſum crediderunt.

Libri quoque, qui S. Abbatis fuerant, in ſarcinis Barbarorum inventi eidem remiſſi.

§. XL.

S. Majolus Dignitatem Papalem fugit.

Vit. per Syr. lib. 3. c. 8.

Haud longum poſt S. Majoli reditum effluxerat temporis ſpatium, cum ab Ottone II. Imperatore, & Adelheide Impe-

Imperatrice matre ejus vocatus roga- Sæculum X.
tur, ut Sedem Romanam tunc vacantem A. C. 975.
conſcenderet. Id poſt mortem Benedicti VI. & Donni factum creditur, quo factionis Franconi faventis homines eum reſtituere prohiberentur. Summam Dignitatem ſibi oblatam Majolus forti pectore repulit dicens, animo ſibi conſtitutum, pauperem vivere, & dilectum ſibi gregem nunquam derelinquere. Tum Principibus vehementer inſtantibus, ut Supremum Pontificatum ſuſciperet, petiit deliberandi tempus, & poſtquam diu preces ad Deum fudiſſet, ſenſit ſe in propoſito confirmatum. Ergo Proceribus Epiſcopisque, ſibi perſuadere conantibus, ut Imperatori roganti rem difficilem quidem ſed gloria plenam non denegaret, reſpondit: *Haud ignoro, me carere dotibus, quæ in Pontifice Maximo neceſſario requiruntur. Ceterum quantum Romani terrarum ſpatio a nobis diſtant, tantum eorum mores a meis divertunt.* (*)

(*) Ita Vir Sanctus & ſapientiſſimus. Hodie Italorum induſtria ceteras Nationes a Summo Pontificatu excludit. Nec eſt cur alii ſummam licet Dignitatem adeo expectant, poſtquam Itali jam ſuæ nationis Pontificibus adſueverunt. Præterea alios quam Italos eligi, ſi ea in memoriam revo-

Sæculum X. A. C. 975.

Denique S. Viri constantia nec precibus, nec argumentis superari potuit, quod inter miracula ab ipso patrata forsan non ultimo loco ponendum.

§. XLI.

S. Adelheidis Imperatrix.

vit. per Odil. Bibl. Clun. p. 354. Elog. Sæc. V. Ben. p. 889.

Quantum S. Majolus in Regis Ottonis II. animum potuerit, illo facto docemur, cum Rex Adelheidi Imperatrici, matri suæ, auctoritate potissimum S. Abbatis, reconciliatus est. Adelheidis Rudolphi II. Regis Burgundiæ filia, Regis Conradi pacifici, & Buchardi Episcopi Lusunensis Soror, annos non plus sexdecim nata, Lothario Hugonis Regis Italiæ filio nupserat, ex quo conjugio nata erat Emma, postea Lotharii Regis Franciæ uxor; sed mater, post annorum trium matrimonium elato marito vidua, a Berengario novo Italiæ Rege & Willa uxore ejus diram persecutionem passa est. Quippe detonsam, & sæpe pugnis calcibusque contusam obscuro carceri cum unica ancilla tradiderunt. Inde non sine miraculi specie evadens ad Regem Ottonem I. deducitur; qui & ipse illo tempore, uxore defuncta, liber Adel-

revocentur, quæ compluribus Pontificibus, natione Gallis, Avenione sedentibus contigerunt, Ecclesiæ Bono expedire non videtur.

Adelheidem ad se confugientem conju- Sæculum X.
gem accepit. His nuptiis Otto I. jus & A. C. 975.
populorum assensum ad Italiam sibi subjiciendam consecutus est. Illa sæpe Deo gratias agebat, quod magnis ærumnis pressa fuisset, atque ista ratione periculis, quæ viduæ admodum juvenes raro evadunt, erepta.

Adelheidis Ottone Magno rebus humanis erepto, & Ottone II. ad res gerendas per ætatem necdum apto, non minus sapienter quam feliciter regnavit; sed cum ille ad maturiorem ætatem perveniisset, susurronum quorumdam improbitas filii animum a matre alienare cœpit. Dicebant enim, ambitione efferri feminam, sibique soli rapere potestatem, qua bene uti, supra muliebrem prudentiam esset. Ipsa, temporis iniquitati cedendum rata, in Burgundiam ad Regem Conradum fratrem suum, Viennæ residentem, se contulit. Mœrebant omnes Boni, inter matrem & Imperatorem, invidorum consilio, simultates excitari potuisse. Tandem pœnitentia subiit Regem Ottonem, quod matrem pessime habuisset, missisque Legatis ad Regem Conradum Avunculum suum & ad Majolum Abbatem, rogari eos jussit, ut matrem Ticinum adducerent, & reconciliationis auctores testesque essent. Venit in hanc civitatem Adelheidis, eam-

Sæculum X. A. C. 975.

que comitabatur S. Abbas, qui præsentem Regem Ottonem memorem esse jussit, parentes a filiis secundum JEsu Christi exemplum honorandos esse. S. Viri verbis commotus juvenis Rex matris pedibus advolvitur, quæ & ipsa in terram se demisit. Tum inter mutuas lacrymas in amplexus ruunt, exinde nullis unquam jurgiis divisi.

§. XLII.

S. Wolfgangus Episcopus Ratisbonensis.

vit. Sæc. V. Ben. p. 812.

Anno secundo Ottonis II. Regis, nempe anno salutis nongentesimo septuagesimo quarto, S. Wolfgangus, clarissimum hujus Sæculi lumen, Episcopus Ratisbonensis ordinatus est. Is in Suevia honestis parentibus natus e Sacro fonte nomen *Wolfgang* tulit, quæ vox latine redditur, *Lupambulus, seu ingressus lupi.* Primis literarum rudimentis in Monasterio Augiæ Divitis positis, Herbipolim cum Henrico, fratre Popponis, illius Ecclesiæ Episcopi, qui Magistrum peritissimum, nomine Stephanum, ex Italia evocaverat, se contulit. Post breve temporis spatium, scilicet anno nongentesimo quinquagesimo sexto, cum Rex Otto I. Archiepiscopatum Trevirensem Henrico, Cognato suo, contulisset, novus

vus Præsul amicum suum Wolfgangum eo deduxit, quem etiam opibus & honoribus cumulatum, secundo post se gradu in Diœcesi Metropolitica collocasset, nisi ille, rejectis omnibus Dignitatibus, solum pueros erudiendi munus sibi delegisset. Hos vero gratis docebat; quin etiam, si quod minerval sponte offerebant, accipere recusabat, & suis sumptibus discipulos egenos alebat. Nec minorem curam gerebat, ut discipuli sui in bonis moribus quam in doctrina proficerent. Ceterum ab esu carnium ipse abstinebat, jejunabat & vigilabat frequenter, multum orabat, & vestibus pretiosis non induebatur. Abbatias complures sibi ab Henrico Archiepiscopo oblatas recipere noluit, sed quibusdam Canonicis ut Decanus præfuit, quos ad vitæ communis modestiam & literarum studium compulit. Sæculum X. A. C. 975.

Henrico Archiepiscopo anno nongentesimo sexagesimo quarto satis functo, Wolfgangum in patriam redire, & Sæculo valedicere, quod jam diu in votis erat, cogitantem Bruno Imperatoris frater, Archiepiscopus Colonienſis, ad se vocat, & magna quæque sibi expetere jubet; honores quidem ille nullos admisit, aliquanto tamen tempore apud Archiepiscopum Principem commoratus est, postea sæpe dicere auditus, pauciſſimos

Sæculum X. A.C. 975.

cissimos se vidisse Episcopos, pietate & meritis Brunoni pares. Tandem, consentiente Archiepiscopo, quod unice cupiebat, Wolfgango implere licuit. Ergo in Sueviam redeuntem plaudentes Propinqui omnes, quem totius familiæ fulcrum & decus sciebant, excipiunt, & omnia vitæ commoda certatim conferunt. Ipse paulo post relictis omnibus, ad Monasterium Einsidlense, in medio obscuræ silvæ positum, convolat, & sub Regimine Gregorii Abbatis, natione Angli, qui terrena omnia, ut alacrius Deo serviret, abjecerat, Institutum monasticum profitetur.

vid. Mabill. Sæc. V. Act. Ben. p. 241. & 242.

Wolfgangi fama brevi complures Discipulos attraxit, qui ex vicinis monasteriis advenientes se ipsius Disciplinæ tradebant. Cumque S. Udalricus de more Monachos Einsidlenses † invisisset, usque adeo Wolfgangi meritis captus est, ut, præ ceteris dilectum, postea reluctantem Ordine Presbyteratus insigniverit. Quadam die S. Wolfgango ferventius oranti S. Otmarus, cujus patrocinio sæpius salutem suam commendabat, conspicuus factus futura prædixit in hunc modum: *Ex hac provincia pauper abibis, & in alia, quo propter Dei causam exul migrabis, Episcopatum utcunque pinguem consequeris. Si Pastoris officio rite defunctus fueris, post annos vigin-*

† Silva Hercynia.

S. Wolfgangus.

viginti duos ad vitam æternam pervenies, & in quodam loco, ubi mei honoratur memoria, decedes. Sæculum X. A. C. 975.

Hac visione & zelo, quo Infideles ad Christum converti cupiebat, incitatus, accepta Abbatis licentia, & relicto monasterio, anno nongentesimo septuagesimo secundo, in Pannoniam iter suscepit, fidem Hungaris prædicaturus. At Piligrimus Episcopus Passaviensis videns, quod S. Vir in illa provincia operam perderet, ab irrito labore revocatum per aliquot dies in ædibus suis retinuit. In illa vero brevi commoratione cum Episcopus Wolfgangi virtutem penitus cognovisset, ad familiares dicebat: *O ter felicem Ecclesiam, quæ talem Episcopum habitura est! animo constitui petere, ut ei Episcopatus Ratisbonensis conferatur.* Respondebant Domestici: *Nulla spes est, fore ut vir pauper & ignotus tot aliis illustribus & Imperatori gratis postpositis banc Dignitatem consequatur. Longe alia sunt Judicia Dei ac hominum,* reposuit Episcopus, *agam rem apud Marchionem, in quo Imperator maximam posuit fiduciam, rogabo ut ipso potissimum auctore, spreta æmulorum ambitione, solius vitæ æternæ amore, vir iste, ut ut humili loco natus, cetera dignissimus, Ecclesiæ Ratisbonensi præficiatur.* Factum est, quod Piligrimus ominabatur.

Nam

Sæculum X. A. C. 975.

Nam Otto II. Imperator Marchionis consilio usus misit nuncios cum mandatis; nemo alius nisi Wolfgangus Episcopus Ratisbonensis eligeretur, & Francofurtum (nempe ubi Imperator Natalem Domini celebraturus erat) volens nolensve adduceretur.

Missi ab Imperatore Nuncii Wolfgangum adhucdum in Domo Episcopi Passaviensis diversantem invenerunt, sed propediem in patriam reverti parantem. At acceptis Regiis mandatis, nullus dubitans, auctore Episcopo Piligrimo hæc geri, cum Legatis Ratisbonam proficiscitur, ubi a Clericis populoque unanimi consensu eligitur, moxque adjunctis illius civitatis Nunciis ad Regiam mittitur. In conspectum Imperatoris perveniens pedibus ejus advolutus, indignum se tanto honore profitebatur; verum Princeps necquicquam repugnantem, tradito Baculo pastorali, Episcopum investit. Wolfgangus Ratisbonam iterum delatus a Clericis populoque Throno Episcopali imponitur, & a suo Metropolita Friderico, Suffraganeis sacram operam jungentibus, consecratur. Episcopus creatus habitum & mores Monachi servavit.

§. XLIII.

Sæculum X.
A. C. 975.

§. XLIII.

Ratherius adversus Clericos suos.

Ratherius Episcopus Veronensis sæpe pulsus, sæpe restitutus, hoc anno nongentesimo septuagesimo quarto tandem extremis admotus vivere desiit. Anno nongentesimo quinquagesimo sexto Leodio pulsus annis duobus acquievit; anno autem nongentesimo quinquagesimo octavo in Italiam reversus, elapso haud multo tempore, favente Brunone Archiepiscopo, & auctoritate Ottonis I. fratris ipsius, in Sedem Veronensem restituitur.

Sub illud tempus scripsit Ratherius Tractatum, quem *Phrenesim* appellavit, quod in eo Scripto in Baldricum, suum in Cathedra Leodiensi Successorem, furiose inveheretur. Nam se ipsum insaniæ arguere, & conviciis impetere non dubitabat. Et iste quidem Tractatus intercidit, sed duos alios eodem tempore a Ratherio scriptos habemus, unum, de Contemptu Canonum, Huberto Episcopo Parmensi dedicatum, alterum, *Statutum Leodiense*, id est, Apologeticum, in quo contendit, se ex illa Ecclesia jure expelli non potuisse, & argumenta affert, cur sponte non renunciet. Prior Tractatus in duas partes dividitur. In prima Ratherius conqueritur, quod

Spicil. tom. 2. p. 161. & 194.

Sæculum X. A.C. 975.

quod olim a Clericis Veronensibus fuisset ejectus, dicentibus, Episcopi munus in Consecratione Sacerdotum & Unctione cum Chrismate absolvi. Complures itaque Canones refert, ut probet, Episcopi esse non minus temporalia quam spiritualia Ecclesiæ suæ disponere. Affirmat, ejusdem esse Clericis suis alimenta & stipendia præbere, quo sincere eorum Pastor sit & causa suppetat, cur a suis vel timeri vel amari debeat. *Clerici*, inquit, *inter se reditus Ecclesiæ partiuntur pro suo arbitrio, & minores a potentioribus premuntur. Soli Presbyteri & Diaconi ærarium exhauriunt, ut inde opes congerant, & seditionem in Episcopum movere possint, ut in ceteros Clericos dominentur, eosque suis partibus adbærere cogant, quos, nisi obedientes habeant, ex Ecclesia ejiciant. Interim Subdiaconi, Acolyti ceterique minores Clerici non habent, unde vivant, unde Ecclesiæ serviant, eamque custodiant, & denique unde literarum studio & scientiis vacare possint. Quid porro fit? quia stipendia non accipiunt, quæ muneris sui sunt, negligunt, & pessima spe lactantur, fore, ut postquam ipsi Diaconi & Presbyteri ordinati fuerint, pari modo ceteris Clericis exclusis soli Ecclesiæ Bonis potiantur.* Hic dispicimus, qua de causa in minoribus Ordinibus constituti mini-

ministerio suo fungi cessaverint. Nempe Clerici superiores omnia soli usurpabant. Sæculum X. A. C. 975.

Tum Ratherius sibi ipsi objicit: *An ergo Episcopum deceat, frumentum & vinum in mensura distribuere, pecunias Clericis porrigere?* Respondet, non exigi ab Episcopo, ut ipse hæc faciat, sed sufficere, si id Presbyteris aut Diaconis secundum antiquam consuetudinem committat. Deinde causam inquirit, cur universim omnes Episcopi, Clerici, Laici Canones vilipendant? & respondit, nullam aliam esse, quam quod plurimorum charitas algeret, & corruptissimi essent temporis illius mores, ita ut multis, Canones servare, impossibile videretur. Tum compluribus exemplis probat, quam corrupti Clericorum mores sint.

Quando Leodium translatus fui, inquit, *aliquis Episcopus Canones mihi objiciebat, quibus Episcopi ab una Sede ad aliam transferri probibentur; ipse vero vini potator & ebrietatis nota infamis erat, canes & accipitres ad venandum alebat, & in Ecclesia sua non residebat. Vidi duos jurgantes & sibi mutuo exprobrantes, quod unus more Sæcularium arma gereret, & militaret, alter Concubinam clam aleret, quod alter ante suam ordinationem adulterio se polluisset, alter* p. 170. Ratherii Scripta.

Sæculum X. A. C. 975.

post Ordinationem nuptias iniisset. Et infra: *Ponamus, Bigamum ante susceptos Ordines, &, postquam Sacerdotio initiatus fuerit, cum pluribus mulieribus libidini indulgentem, arma gerentem & militantem, perjurum, venatorem, crapulosum, in Sedem Romanam Apostolicam evebi, quod Deus utique permittere potest; si ego ad talem Pontificem querelas meas deferam, & actionem injuriarum*

Matth. 7. 3. *moveam; si deinde Pontifex contra Adversarium meum rescribat, nonne iste dicet, Papam in oculo fratris sui festucam videre, & trabem in oculo suo non videre? imo talis Pontifex ne quidem rescribet, nec damnare audebit, quem vitia ipsi similem faciunt. Inde fit, quod Canones & ipsum Evangelium ab omni hominum ordine contemnantur.*

p. 177. *Nihil nobis profuturum putamus minora præcepta servare, quando majora violasse propria conscientia exprobrat. Nullius meriti est, canes ad venandum non habere, si aliquot pellices domi alamus. Nec laude dignum, neminem pugno vel fuste percutere, si animas fidelium injusta absolutione aut dato scandalo occidamus.*

Illorum deinde calamitatem Ratherius deflet, qui non modo Prædicationis ministerium negligunt, sed etiam suis criminibus se ipsos hac potestate privant,

Ps. 40. 9. 16. quod S. Scriptura peccatoribus objicit.

His

His subjungit: *Nullus proin obstupescendi est locus, quod sæculares comminationibus, quas ex S. Scriptura & SS. Canonibus proferimus, non moveantur, cum vident, nos dum has legimus risum non tenere, & vita pessima pertinaciter contemnere. Ideoque nec excommunicationem nostram pertimescunt, nec absolutionem magni faciunt, quia nos ipsos per SS. Canones excommunicatos vident.* Sæculum X. A.C. 975. p. 185.

In altera ejusdem Tractatus Parte Ratherius causam præcipuam Canones contemnendi Clericorum incontinentiam esse affirmat. *Vix enim aliquis*, inquit, *reperitur dignus, qui Episcopus eligatur, aut electo manus imponantur. Cum enim ab incontinentiæ vitio purgari nolunt, cetera omnia nihili putant. Inde est, quod inter omnes Nationes Sacro Baptismi fonte ablutas Itali SS. Canones impudentissime spernant, quia omnium impudicissimi sunt, & lasciviam dapibus exquisite conditis & nimio mero irritant. Itaque Clerici a Laicis nulla alia re distinguuntur, quam barba & capitis vertice rasis, & quod in Ecclesia, magis ut hominibus quam ut Deo placeant, perfunctorie ministrent.* p. 187.

Ratherius in Sedem Veronensem restitutus neutiquam quieti se dedit. Non enim a se impetrare poterat, ut contra officii sui rationem dissimularet vitia

Sæculum X. A.C. 975.

Clericorum ſuorum, qui pudendam vitæ licentiam coerceri impatientiſſime ferebant; quippe nullus eorum erat, qui non concubinam publice haberet, vel, nefas! flagitio longe pejore libidinaretur. Offenderat diſſolutos Ratherii Scriptum ad Epiſcopum Parmenſem directum, cumque ille urgeret, ut mulieres ſecundum Canones & Imperatoris mandata expellerent, plerique obtendebant paupertatem, ſibique neceſſarium eſſe hoc vitæ ſubſidium, ab Eccleſia ſtipendium nullum accipientibus. Ratherius, ut huic malo mederetur, omnes Eccleſiæ Veronenſis reditus in commentarium retulit, & invenit, ſufficientes eſſe, ſi æquali proportione dividerentur. Sed illi Clerici, qui raro miniſtrabant, & minime pro Eccleſia laborabant, poſſidebant ſuperflua, aliis econtra, qui totum ferme miniſterii onus portabant, vel pauca vel nihil percipientibus. Si vero quis objiceret, hanc rem manifeſte contra juſtitiam pugnare, reponebant: *Amice, priusquam ea, quibus modo fruor, acquirerem, expectandum mihi fuit, donec Anteceſſores mei morerentur. Tu quoque patientia utere, donec ego deceſſero.* Fruſtra Ratherius Canonum auctoritatem ingeminabat, cui illi conſuetudinem opponebant.

p. 222.

§. XLIV.

Sæculum X.
A. C. 975.

§. XLIV.
Ratherii Synodus.

His Ratherius non parum turbabatur, cum Synodum celebrare voluit. *Synodi enim*, inquit sermone ad Clericos suos directo, *ideo celebrantur, ut ea omnia, quibus in Canones peccatur, tollantur. Nunc vero nuper Canones pervolvens deprehendi, nullum eorum a vobis observari. Video inter vos Clericos bigamos, concubinarios, seditiosos, perjuros, vinolentos, usurarios. Parvulos quoque irregulares, utpote illicito concubitu natos. Denique, ut verbo complectar omnia, totius gregis mei ruina a Clericorum pravitate proficiscitur; quo enim pacto in Synodo mea Laicum adulterum, perjurum, aut alterius criminis reum reprehendere ausim, cum similia in Clericis meis tolerem? novistis me Synodum convocasse, in qua me absente per biduum Clerici adesse jussi ab Archipresbytero & Archidiacono examinarentur, tertio autem die omnia, quæ corrigenda viderentur ad me deferrent, Qua ratione mandata mea executi sunt? nihil aliud in examine quæsitum, quam illud solum, an Psalmos didicissent, & judicatum, quod eos satis callerent omnes, & plerique melius quam ego ipse. Hic totus Synodi fructus fuit.*

Sæculum X. A. C. 975.

At, cum ego hos Clericos examini subjeci, patuit, complures in Doctrina Fidei esse adeo rudes, ut ne quidem Symbolum Apostolorum memoriæ impresserint. Quod me permovit, Epistolam Synodicam ad omnes Presbyteros dare, in qua præcipio, ut tria Symbola, nempe Apostolorum, illud quod in Missa cantatur, & S. Athanasii memoriæ mandent. Ad nos usque pervenit hæc Synodica Ratherii Epistola, in qua etiam hortatur, ut omnes Diem Dominicam sanctificent, & significationem moralem atque Sabbati Sancti exponit. In eadem Epistola dicit: de quolibet Presbytero certior fieri volo, an liber natus sit vel servus. An in mea Diœcesi lucem primo aspexerit, an in ea, & quo Titulo, sit ordinatus.

p. 156.

to. 9. *Conc. in fi.*

p. 263.

Si Servus fuit, literas manumissionis producat. Si ex alia Diœcesi huc advenit, exhibeat Literas Dimissoriales. Quilibet vestrum, si fieri possit, habeat Explicationem Symboli & Orationis Dominicæ Traditioni Patrum consentaneam, quæ coram populo exponatur. Hodie hæc Explicatio a nobis Catechismus dicitur. Infra Ratherius inter Formulas in administratione Sacramentorum adhiberi solitas, quæ hodie in Rituali continentur, adnotat ordinem reconciliandi Pœnitentes, secundum modum & limites, quos Canones Presbyteris ponunt.

Inde

Inde conjicimus, aliquos casus fuisse E- Sæculum X.
piscopo reservatos. Postea diserte dicit, A. C. 975.
posse Presbyteros pro peccatis secreto commissis pœnitentiam injungere, at peccata publica ab ipsis ad Episcopum esse deferenda. *Scitote vero*, subjungit Ratherius, *nos neminem ordinaturos, nisi prius in aliquo Monasterio versatum, aut a viro docto eruditum & doctrina saltem sufficienti instructum.*

§. XLV.

Alia Ratherii Scripta.

Alia præterea Clericis Veronensibus contra Ratherium Episcopum murmurandi causa erat, quod partem reditum Ecclesiæ pauperibus destinatam ad reparandas Ecclesias ad Infidelibus incensas aut negligentia malorum Episcoporum collapsas impendisset. Ad hæc respondet in Libro cui Titulus: *Apologeticum*, & omnibus viribus affirmat, cum pauperes tunc temporis hoc subsidio facile carere possent, Bona Ecclesiæ sic utilius fuisse adhibita. Hæc inter Ratherium & Clericos suos jurgia post obitum Joannis XII. cujus jussu restitutus fuerat, adeoque post annum nongentesimum septuagesimum quartum exarserunt. Eodem autem tempore scripsit Itinerarium, in quo Clericis suis denunciat, Romam se profecturum, ut Syno-

Sæculum X. A. C. 975.

do ibi celebrandæ intereſſet, & Patres conſuleret, quid de Clericis ſuis immorigeris ſtatuendum eſſet. *Ubi enim melius quam Romæ*, inquit, *quid mihi agendum, edoceri poſſim? quid alibi viri Eccleſiaſtici ad Doctrinam Eccleſiæ pertinens ſciant, quod Romæ ignoretur? ibi ſupremi totius orbis terrarum Doctores, & Eccleſiæ Univerſalis Principes fulſerunt. Ibi Paparum Decretales aſſervantur, ibi Canones examinantur, alii approbantur, alii rejiciuntur. Quod ibi nullum & irritum declaratur, nullibi valet, nullibi infringitur, quod ibi ratum firmumque habetur. Ut nihil dicam de eo, quod Imperator æquiſſimus & ſapientiſſimus a Deo nobis datus, Romæ Joannem* (nempe Decimum tertium) *Virum Maximo Pontificatu digniſſimum, Papam conſtituerit. Credo vero*, ſubjungit, *proximo Autumno Concilium Univerſale eſſe convocandum.* Deinde fatetur, ſe maxime angi Clericorum ſuorum cauſa, quos, cum omnes rei eſſent, omnes etiam pœnitentiam publicam ſubire oporteret, tumque eorum nulli licitum fore Miniſterio Sacerdotali defungi, unde futurum, ut populus Sacramentorum adminiſtratione privaretur. Tandem addit: *Quid autem vobis faciam, Fratres mei? Si enim peccata veſtra non confitemini; metuo, ne in æternam perditio-*

p. 265.

p. 276.

p. 277.

ditionem ruatis, si confessi fueritis, jam S. Sacrificium offerre vobis amplius non licebit.

Sæculum X. A. C. 975.

In quodam monasterio exiguo, vulgo *Magonzian*, a grassantibus Hungaris flammis vastato, nemo nisi solus Abbas supererat, qui non solum Regulam non servabat, sed nec eo adduci poterat, ut mulierem, quam uxoris loco alebat, dimitteret, usque adeo impudens, ut Ratherio Episcopo suo pecunias offerret, ut quieta possessione frui sineretur. Ratherius hanc Abbatiam Presbyteris sæcularibus dedit, statuens, ut saltem tres numero essent, & singulis diebus Missa celebraretur, Diaconus quoque, Subdiaconus & aliquot minores Clerici adessent. Ut vero haberent, unde viverent, iis, non agros, sed quasdam pensiones frumenti, vini, & leguminum assignavit, jussitque, ut totum Officium Divinum præstitutis horis cantent. *p.* 256.

Cum aliquis Clericorum Veronensium nuptias filii sui in Quadragesima & nocte Dominicam præcedente, dupliciter contra Canones peccans, celebrasset, Ratherius Episcopus his & omnibus aliis, qui hujus generis delicta admiserant, quadraginta dierum pœnitentiam injungit, & promittit, se ipsum, quod sero nimis errantes reprehendisset, eandem pœnitentiam impleturum. *p.* 238.

Sæculum X. A. C. 975.

Clericos suos, quos ad dimittendas mulieres permovere non poterat, hortatur, ut saltem filios suos ad suscipiendos Ordines nec compellerent, nec etiam volentes sinerent, & filias suas Laicis, non Clericis, in matrimonium darent, ne tanta infamia in Ecclesia esset perpetua.

Supersunt Ratherii Sermones non nulli, in quorum amplissimo agitur de Qnadragesima. In eo illos damnat, qui una die tota non manducabant, & altera non jejunabant, aut qui tota die jejunantes sub noctem dapibus se se ingurgitabant, item qui cibum capientes ante horam nonam, nempe jejunantibus præscriptam, se jejunium servare putabant, si modo una refectione contenti essent. Prohibet ne Sabbato Sancto Baptismus solemni ritu ante horam decimam, id est, ante quartam vespertinam conferatur. Rejicit errorem illorum, qui dicebant, omnes Baptizatos Salutem consecuturos. Prolixe solideque refutat somniantes, Deum esse corporeum, & sic Hæresim Anthropomorphitarum ab inferis suscitantes. *Vobismetipsis*, inquit, *Idola in cordibus vestris fabricatis, & Immensitatis Divinæ immemores Numen fingitis, tanquam Regem maximum in Throno aureo sedentem, Angelosque tanquam homines, alas habentes, quales*

p.281. id.ep. Synod. p. 264.

n.6.9.

n. 19.

n. 29.

Sup. Lib. XXI. §. 1. Rather. n.32.

n. 33.

quales in pariete depictos videtis. Postea insaniam refellit credentium, S. Michaelem singulis diebus Lunæ coram Deo Missam celebrare; unde illa die potius quam alia in septimana S. Archangeli Ecclesiam frequentabant. Sæculum X. A. C. 975.

§. XLVI.

Ratherius ad extrema deductus.

Tandem cum Ratherius Veronæ nec quiete, nec sine periculo vivere posset, ultimo inde discedens ad Abbatiam Lobiensem prope Leodium, ubi primam ætatem transegerat, rediit. Interim, Balderico, Episcopo Leodiensi anno nongentesimo quinquagesimo nono fatis functo, Bruno Archiepiscopus Colonienſis Euracrium, Decanum Bonnensem, suffecerat; Lobii vero Abbatis munere fungebatur Folcuinus, Chronici ejusdem Monasterii Auctor. Huic Ratherius misit Libellum continentem causas deliberandi, an sibi Lobium redeundum esset, simul autem equos petebat & viæ comites, a quibus illo deduceretur. Cum ergo obtinuisset, quæ petebat, Lobium venit. Haud diu post a Rege Franciæ Lothario Abbatiam S. Amandi recepit, ubi cum vix integra nocte moratus fuisset, ad quoddam prœdium ab Episcopo sibi datum reversus est. Abbatia deinde Altimontis ei concessa, cui quæ sibi superе- *Chr. Lobes. to. 6. Spicil. Sup. Lib. LV. §. 42.*

Sæculum X. A. C. 975.

pererant de pretiosa supellectile & de vestium cultu donavit. Rursus vero jurgia inter ipsum & Folcuinum exorta, qui in sua Historia Ratherium levis animi, quin & Simoniæ arguit, eo usque processerunt, ut Folcuinus, Episcopo Leodiensi Ratherii causæ favente, Abbatia cedere compulsus fuerit. Verum, Episcopo, anno nongentesimo septuagesimo primo, mortuo, Notgerus ejus Successor Folcuinum Abbatem restituit, quocum Ratherius quoque in gratiam rediit. Tandem Ratherius, cum Namurci cum Comite versaretur anno nongentesimo septuagesimo quarto, ibi mortem oppetiit & in Monasterio Lobiensi Ritu honorifico, qui in Episcoporum funeribus adhiberi solebat, sepultus est. (*)

Sigeb. Chro. 974.

Spic. to. 2. *p.* 199.

Ultimis vitæ annis sui ipsius Iconem nobis dedit in Scripto, quod *Conjecturam* appellavit. Est vero Iconia continua, in qua revera laudat se, referens, & fingens, objecta sibi ab Adversariis vitia de se confiteri. Inter alia ex hoc Scripto discimus sequentia. Ratherius patrem habuit ædilem, unde in ædificandis aut repa-

(*) De Ratherio, quem virum inter Scriptores illius ævi illustrem vocat, adnotat Eminentissimus Baronius, ipsius jussu & humilitatis ergo hæc verba tumulo suo inscripta fuisse: *Conculcate pedes hominum Sal infatuatum.*

reparandis Eccleſiis tantopere delecta- Sæculum X.
batur. Paupertate adeo premebatur, ut A. C. 975.
nec Capellanum, nec famulum alere poſſet, in veſtitu & calceamentis ſordidus. Noctu ſæpiſſime vel humi, vel in ſcamno cubabat. Omnis conditionis homines ad menſam admittebat, & frequenter jejunabat, ut pro peccatis aliorum ſatisfaceret. Neminem pedes ſuos oſculari patiebatur. Calumnias nihili pendebat, & quadam die homini contumeliis ſe afficienti nummos argenteos duodecim donavit. Totus lectioni deditus frequentiam hominum fugiebat, ſolitudinem amabat, & operibus ſervilibus manum admovere non dedignabatur. Regem, aut Optimates non inviſebat, quos nullis unquam precibus fatigabat, quin etiam dona ultro ab iis oblata nolebat recipere. Omnium errores reprehendebat, & vitia aliorum, præſertim Clericorum, in charta adnotabat.

His coloribus Ratherius ſe ipſum depinxit. Dicit etiam, quod ante annos circiter quadraginta poteſtatem (nempe Epiſcopalem) quærere cœpiſſet, & Ottonis Imperatoris Elogium addit; unde ipſum hæc anno nongenteſimo ſeptuageſimo ſecundo ſcripſiſſe conjicimus.

Ad nos usque pervenit maximi ponderis Epiſtola a Ratherio ad quemdam, nomine Patricum, de Evchariſtia ſcripta,

Sæculum X. A. C. 975.

pta, in qua dicit: *Quæris ex me, an in illa ſeptimana Miſſam celebraverim. Sed Apoſtoli judicium ſit, uter noſtrum majori ſe periculo indigne communicandi exponat, tu quotidie, & ego variſſime Evchariſtiam accipiens. Illud quoque mihi retulerunt, minime tibi probari, quod in Vigilia Circumciſionis Domini balneo uſus ſim, quaſi vero non deceret, quantum fieri poteſt, etiam corpus mundari, priusquam Sancta Myſteria contingamus. Iſtud autem me vehementer affligit, te Sacramentum, quod tam ſæpe celebras, non intelligere; putas enim ſimplicem figuram eſſe.* (*) *Crede mihi, frater mi, ſicut in Cana Galilææ aqua non in vini figuram, ſed in verum vinum mutata eſt, ita etiam vinum in Evchariſtia fit verus ſanguis & panis vero caro. Si ſapor, & color, qui remanent, aliud tibi perſuadent, quaro, an non Scripturæ credas dicenti, Hominem de limo terræ eſſe formatum! Verumtamen Homo non terræ & limi figuram, ſed tantum Subſtantiam habet. In*

Sicil. tom. 12 p. 37.

Gen. 3. 19.

(*) Nec mirum, quod ignotus iſte Patricus Myſterium Evchariſtiæ non intellexerit, cum ex Paragrapho ſuperiore XLIV. ſciamus, Presbyteros Eccleſiæ Veronenſis usque adeo Doctrinæ Fidei rudes fuiſſe, ut ne quidem Symbolum Apoſtolorum ſatis memoriæ impreſſum tenuerint.

Sæculum X. A. C. 975.

In Evchariſtia contrarium crede, videlicet colore & ſapore remanentibus te nihilominus veram carnem & verum ſanguinem accipere. Sed quæris, ex quo corpore eſt hæc ſubſtantia, & unde educta? rurſus an panis modo inviſibili tollitur, aut in carnem vertitur? id enim humana curioſitas ſcire appetit. Conſulamus Evangelium. Hic Ratherius verba (*) ex Evangelio refert, quibus Sacramentum Evchariſtiæ inſtitutum eſt, & addit: *Habes, cujus ſit corporis caro iſta & ſanguis, & tanto certius habes, quod hæc ex ore ipſius Veritatis diſcamus. De ceteris, quæſo, ne anxius ſis, quandoquidem audis, eſſe Myſterium, & quidem Myſterium fidei Nam ſi Myſterium eſt, comprehendi non poteſt, & ſi ad Fidem pertinet, credi debet, non diſcuti.* (**)

Matth. 26.

1. *Cor.* 11. 24.

§. XLVII.

(*) *Cœnantibus autem eis, accepit JEſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite: HOC EST CORPUS MEUM.* Matth. XXVI. v. 26. *Accipite & manducate, HOC EST CORPUS MEUM, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem &c.* 1. Cor. XI.

(**) Teſtis in Sæculo X. realis exiſtentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti in Evchariſtia contra

Sæculum X. A. C. 975.

§. XLVII.

Ecclesia Hispaniæ.

Sampir. p. 70.

In Hispania Regi Sanctio Crasso, postquam regnasset annis duodecim, defuncto successit Ramirus III. filius, quinquennis puer; quamobrem Elvira ejus Amita, piissima & prudentissima Princeps, quæ se Deo consecraverat, Regnum interim capessivit. Illo pacis tempore corpus S. Pelagii Martyris, quod Ramiri pater petierat, Saracenorum manibus receptum, Legione inter Episcopos tumulo illatum est. At, cum Comites Galæciæ, Legionis, & Castiliæ Regnum Ramiri languidum fastidientes, Veremundum ipsius Agnatum, Ordogni III. filium Regem salutassent, ortum est civile bellum, cui mors Ramiri anno Imperii sui decimo quinto decedentis finem imposuit; tunc enim Veremundum II. solum omnes Regem proclamarunt. Is Bona cujusdam Martyris, a Saracenis interempti, Ecclesiæ Compostellensi donavit. Quippe

tra Protestantes omni exceptione major! Guilielmus Cave in Scriptoribus Ecclesiasticis hanc Ratherii Epistolam recensens filet ut piscis, more Protestantium omnium Sanctissimum Mysterium hoc impugnantium, in quibusdam SSorum PP. locis æquivocis sibi plaudentium, & testimonia luce meridiana clariora dissimulantium.

Quippe Infideles capta *Simanca*, Regni Legionensis civitate, plerisque incolarum trucidatis, paucos, qui supererant, vinculis onustos, & in captivitatem abstractos, in carcere annis duobus & sex mensibus detinuerant, quo toto tempore captivi Deum laudabant; tandem jubente Rege barbaro interfecti glorioſam Martyrii coronam consecuti sunt. Aliquis eorum antea Sarasinus & post Baptismum Dominicus dictus modicum habebat patrimonium in urbe Zamora, & quia hærede carebat, totum Rex Ramirus occupaverat, quod deinde Rex Veremundus editis literis mense Februario, Æra 1013. anno 975. quibus Episcopi quinque subscripserunt, dictæ Ecclesiæ proprium fecit.

Sæculum X. A. C. 975.

Bar. an. 975. & Ambr. Mor.

§. XLVIII.

S. Rudesindus.

Sub Regum istorum tempus S. Rudesindus seu Rosendus Episcopus Dumiensis floruit. Is ex Regio genere natus patrem habebat Gutterium Mendesium, & aviam Ermenegildem Regi Alphonso Magno sanguine junctam. Mater Rudesindi erat Ilduara seu Aldara non minus pietate quam natalibus illustris matrona, in cujus Epitaphio, quod matri Rudesindus filius posuit, dicitur

Boll. 1. Mart to. 6. Act. SS. Be. Sæc. V. p. 522.

Sæculum X. A. C. 975.

Confessa, id est, Religiosa, illius temporis stilo, quo etiam Monachi Confessores appellabantur. Rudesindus, anno nongentesimo septimo in lucem editus, in literis & pietate Magistrum nactus est Savaricum Episcopum Dumiensem, cui anno circiter nongentesimo vigesimo, vita functo, successit Rodericus, eoque etiam viam omnis carnis ingresso, Rudesindus licet octodecim annorum, ut ferunt, juvenis Sedis vacantis Episcopus ordinatus est. Anno nongentesimo trigesimo quinto Monasterium Cellæ novæ in Galæcia condidit, eique Abbatem Franquillam, qui jam prius alterum Monasterium rexerat, præfecit. Exinde Rudesindus Sedem Cellæ novæ fixit, atque Cathedralium Clericorum loco Monachis usus fuisse creditur.

Illa tempestate Sisenandus, Rudesindi Propinquus, Ecclesiæ Irienſi, quæ Sedes postea Compostellam translata, præerat. Is, quod neglecto Ministerio Sacerdotali ludis & sæculi voluptatibus inhiaret, non solum Clericis populoque, sed etiam Proceribus & Regi Sancio Crasso invisus, cum sæpius monitus non resipuisset, tandem consentientibus Clericis & populo jussu Regis carceri traditur, eique Rudesindus subrogatur. Sed istud ita accipiendum est, quod Rex Rudesindo

Sisenandus Irienſis.

desindo hujus Ecclesiæ curam gerere, & Pastoris absentis officiis defungi præceperit. Nam S. Rudesindus nunquam proprius illius Ecclesiæ Episcopus fuit, & in omnibus Actis, quæ supersunt, solummodo Episcopum Dumiensem se dicit. Tunc temporis Galæciam Normanni, & Lusitaniam Arabes infestabant; quare Rudesindus, Rege absente, copias contraxit, in hostes processit, & ejectis e Galæcia Normannis Arabes quoque depulsos intra terminos suos delitescere coegit; tum rebus fortiter gestis Victor Compostellam intrans acclamante populo triumphavit. Sæculum X. A. C. 975.

Sisenandus Episcopus accepto nuncio, Regem Sanctium obiisse, vincula confringit, fugit e carcere, & in nocte Nativitatis Domini in cubiculum Rudesindi somno indulgentis irrumpit, stricto gladio mortem minatus, nisi relicta civitate Episcopatum sibi restitueret. Rudesindus gravibus verbis tantam audaciam arguit, prædixitque temerario, brevi futurum, ut morte violenta e vivis raperetur. Ipse sine mora Compostella excedens in Monasterium S. Joannis de *Cabero*, a se ædificatum, confugit. Et ecce, anno quinto Ramiri III. nempe anno salutis nongentesimo septuagesimo primo Normannorum Rex Gundredus cen-

Sæculum X. A. C. 975.

centum navigiis in Galæciam appulsus, omnia Compostellæ confinia depopulatus est, & in illis latrociniis Sisenandus Episcopus interfectus. Rudesindo autem Successorem defuncto substituere curæ fuit.

Is vero in Monasterio suo Cellæ novæ degebat; quin etiam fertur Dignitatem Episcopalem abdicasse, induisse habitum Monasticum, & se Abbatis Franquillæ imperio submisisse, quo defuncto, ipse in illo Monasterio Abbatis munus suscepisset. Complura alia in Galæcia & Lusitania rexit, & Mamillano in Successorem suum Cellænovæ designato, die Jovis prima Martii anno nongentesimo septuagesimo septimo, annos natus septuaginta, diem supremum oppetiit. Multis in tumulo S. Rudesindum claruisse miraculis, Scriptores referunt.

Boll. 22. Apr. to. II. Act. SS. Ben. Sæc. 5. p. 584.

Segnorina, S. Rudesindi sanguine propinqua, Abbatissa Bastensis, Diœcesis Bracarensis in Lusitania, Viciræ sub Godinæ, illius loci Abbatissæ, cura educata, Deo se consecravit, rejectis nobilissimi cujusdam proci, eam uxorem sibi conciliare cupientis, blanditiis. Abbatissæ officio deinde suscepto, Monasterium Bastam transtulit, S. Rudesindo strictissimis amicitiæ vinculis juncta, cujus obitum illico cœlitus edocta dicitur. Ipsa anno ætatis

ætatis suæ quinquagesimo octavo Salutis nongentesimo octogesimo secundo ex hoc sæculo migravit. Sæculum X. A. C. 975.

§. XLIX.

Zimiscis exitus. Basilius & Constantinus Imperatores.

Inter hæc in Oriente Joanni Zimisci Imperatori, magnis de Bulgaris Russisque victoriis reportatis, Constantinopolim remeanti, Patriarcha cum Synodo (nempe cum Episcopis tunc ibi versantibus) cunctique viri in Dignitate constituti, extra civitatem obviam processerunt, Principis laudes celebrantes. Coronas victori obtulerunt, rogantes, ut currum magnifice in triumphi pompam præparatum, quatuor equis albis junctum, conscendere dignaretur. Sed Joanni satis fuit coronas accipere; mox in albi coloris equum insiliit, ita civitatem intraturus; currum vero ante se trahi jussit, impositis, quæ Regibus Bulgariæ detraxerat, spoliis, atque in editiore loco Imagine Sanctæ Virginis, utpote Urbis Constantinopolitanæ Patronæ, eminente. Ubi in Ecclesiam magnam pervenit, coronam, quam Regum Bulgariæ præcipuus portare solitus fuerat, ad aram suspendit. Ceterum Zimisces omnium primus pecuniam Salvatoris imagine *Cedr. p. 683.*

Sæculum X. A. C. 975.

signari jussit cum Inscriptione: *JEsus Christus Rex Regum.* Hujusmodi nummi hodieque supersunt.

Tandem ab expeditione in Syriam suscepta domum remeans per Ciliciam, cum fundos latissimos & fertilissimos conspiceret, & a proximis quæsivisset, quis eorum esset dominus, responderunt, dominum agrorum istorum esse Basilium Evnuchum Cubiculariorum Præfectum. Et Imperator alte ingemiscens: *Tristem profecto Imperii sortem! ærarium exhauritur, Romanus miles necessariis eget, Imperatores longis profectionibus fatigantur, quo fructu? ut unus spado divitiis affluat.* His verbis a pessimis mancipiis ad Basilium delatis, ille illico constituit Imperatorem perdere. Igitur pocillatorem Joannis subornat, qui potum, quem porrigere adsueverat, veneno miscuit. Joannes Constantinopolim reversus, postquam pestem bibisset, haud diu post occubuit, cum annos sex, & menses sex regnasset. Successerunt Basilius & Constantinus Romani junioris filii, qui mense Decembri anno Mundi 6484. Indictione quarta, nempe anno Christi 975. Regnum auspicati, Basilius annos natus viginti, & Constantinus septendecim, annis deinde quinquaginta commune Imperium obtinuerunt. In istis vero principiis

piis Basilius Cubicularius cum Theophania Principum matre, quam ab exilio revocaverat, res gerebat. Sæculum X. A. C. 975.

§. L.

Ecclesia Constantinopolitana.

Haud multo abhinc tempore, cum Basilius Patriarcha, nescio cujus criminis, fuisset accusatus, in Concilio depositus est, atque Antonius Studita Patriarchali Dignitate ornatus. Verum is inter seditiosos motus excitatos a Barda, cognomento *Sclero*, id est, Duro, viro rebus in bello gestis claro, quem Basilius Spado male habuerat, Episcopatu se abdicavit, tumque Ecclesia Constantinopolitana annis quatuor sine Pastore fuit. Tandem Antonio vita functo, anno circiter 980. Patriarcha ordinatur Nicolaus *Chrysoberges*, id est, Virga aurea, qui Sedem Constantinopolitanam annis duodecim & sex mensibus obtinuit. (*) Eadem *Cedr. p. 683. p. 694.*

(*) Hic contra Protestantes aliquos maligne affirmantes, Schisma Ecclesiæ Constantinopolitanæ & Romanæ a tempore S. Chrysostomi, nempe Sæculo Christi quarto exeunte, fuisse perpetuum, bene notandum est, quod dicit Natalis Alexander Tom. XII. p. 289. *Cum Photio extin-*

Sæculum X. A. C. 975

seditio Scleri causa fuit, quod Agapius Episcopus Aleppensis, Antiochia in potestatem Imperatoris redacta, ad illius Ecclesiæ Patriarchalem Dignitatem pervenerit. At Sergius Metropolita Damascenus, ab Ecclesia sua pulsus, Romam se contulit, ubi Ecclesiam SS. Bonifacii & Alexii a Clericis pene derelictam, a Benedicto VII. Papa sibi expetiit, Monasterium

Elmac. l. 3. c. 5. p. 244.

Petr. Dam. opusc. 19. p. 192.

---

extinctum Schisma usque ad Michaelem Cerularium non revixit. Probat deinde ex Historia Natalis, Joannem XIX. Papam adhucdum in Diptychis Constantinopolitanis ad aram fuisse nominatum, & tandem ait: *Secundum Eusthium Ecclesiæ Constantinopolitanæ Sacris præfuit Alexius Monasterii Studii Abbas ab anno millesimo trigesimo quarto ad annum usque millesimum quadragesimum secundum, quo Michael Cerularius a Constantino Monomacho Patriarcha nominatus est. Hucusque unitatem inter Græcam & Latinam Ecclesiam perduasse sub decem & septem Patriarchis scribit Manuel Calecas Auctor Græcus Ordinis FF. Præd. lib. 4. adversus Græcos. Quod etiam confirmat Auctor Manuscripti Libri de Translat. Episc. apud Allatium lib. 2. de perpetua consensione &c. cap. VIII. Sed Michael Cerularius Schismatis post Photium auctor alter nomen Romani Pont. e Sacris Diptychis erasit. &c.*

sterium conditurus; quam sibi concessam Monachis Regulam S. Benedicti profitentibus implevit. Ipse quoque in illud Monasterium se recepit, in quo post quatuor annorum spatium, annos natus septuaginta duos, undecima Novembris, anno reparatæ Salutis nongentesimo octogesimo primo mortalitatem exuit.

Sæculum X. A. C. 975.

Epitaph. ap. Baron. ann. 977.

§. LI.

Ecclesia Anglicana.

In Anglia Rege Edgaro fatis functo, anno nongentesimo septuagesimo quinto, successit Eduardus filius, Regina Noverca & non nullis Proceribus necquidquam obsistentibus, qui ut Reginæ filium in Throno sedentem conspicerent, nullum non lapidem movebant; nam S. Dunstanus jubens, Crucem sibi de more præferri, in medium conventum intravit, Eduardum legitimum Regni Hæredem omnibus præsentavit, unxit, & Patris loco fuit, quamdiu Princeps juvenis regnum brevissimum, videlicet annorum duorum & sex mensium tenuit. Tunc vero Clerici, ob effrenem vitæ licentiam ex Ecclesiis Cathedralibus antea pulsi veteres querelas recoquere; quam tristis sors esset, se ex sedibus suis pelli ab Advenis; neminem autem Clericorum

Sup. §. 28. vit. Malmes. II. reg. c. 9.

Sæculum X. A. C. 975.

rum jam exiſtere, cui non ſimilis fortuna timenda eſſet. Nec deerant Optimates querulantibus faventes, atque inter alios Alfierius vir in Regione Merciorum potentiſſimus, qui omnia pene monaſteria a S. Ethelwoldo Epiſcopo Wintonienſi fundata evertit. Nemini vero magis quam S. Dunſtano, utpote Reformationis Auctori, iraſcebantur.

vit. S. Dunſt. n. 36. tom. 9. Conc. p. 721.

Ad componendas turbas convocatum eſt Concilium Wintoniæ, cui S. Dunſtanus præfuit. In eo Clerici cauſa ceciderunt, quam nullo jure defendere poterant; ergo ad preces convertuntur, & Rege juvene quoque, Proceribusque S. Dunſtanum rogantibus, ut ſupplices reſtitueret, deliberantem, quid reſponderet, ſubitum prodigium confirmavit. Crucifixi effigies in pariete Refectorii, in quo ſedebant Patres, affixa, locuta fuiſſe fertur, & clara voce dixiſſe: *Nihil fiet, nihil fiet.* Rex & Proceres perterriti exclamare, & Deum laudare, Clerici vero obmuteſcere.

§. LII.

Turquetuli Abbatis pars vitæ extrema.

Eodem anno nongenteſimo ſeptuageſimo quinto e vita migravit Turquetulus

tulus Abbas Crulandenſis, qui ante annos novem, nempe anno nongenteſimo ſexageſimo ſexto, ultimo itinere Londinum ſuſcepto, ibidem a Dunſtano quondam alumno ſuo & vetere amico, atque Osquetulo Conſanguineo ſuo, Archiepiſcopo Eboracenſi, inter ſummæ lætitiæ ſigna exceptus, duo Privilegia pro libertate & tranquillitate ſui monaſterii, alterum a Rege Edgaro ad temporalia, alterum a duobus Archiepiſcopis ad Spiritualia pertinens, obtinuerat. Osquetulus Archiepiſcopus Eboracenſis exinde poſt ſexennium anno nongenteſimo ſeptuageſimo ſecundo ad Cœleſtia vocatus, Succeſſorem habuit S. Oſualdum Epiſcopum Wintonienſem, quem Rex Edgarus, & Dunſtanus Archiepiſcopus ad ſubeundum hoc munus compulerunt. Præcepit vero S. Dunſtanus, ut Oſualdus etiam Eccleſiam ſuam Epiſcopalem ſervaret, tum ut Clerici, quos ad miniſterium Eccleſiæ Cathedralis vocaverat, in Diſciplina continerentur, tum quod Dani Nordhumbriam vaſtaſſent.

Sæculum X. A. C. 975.

Sup. l. LV. §. 37. Vit. Turq. n. 17. Act. SS. Ben. Sæc. 5. p. 511. vit. Osq. n. 12. vit. Turq. n. 19.

Poſt hanc profectionem Londinenſem, Turquetulus Abbas e Monaſterio Crulandenſi pedem non amplius efferens, ſingulis diebus cum quinque ſenioribus illius familiæ de prima Monaſterii origine colloquebatur, & quæ ipſi narrabant,

Sæculum X. A. C. 975.

rabant, literis mandari jubebat, unde illius Monasterii Historiam, ab Ingulfo collectam & continuatam habemus. Ceterum in suo Monasterio consuetudines stabilivit, quas alia merito pro norma habere possent. Totam Congregationem in tres ordines divisit; juvenes usque ad annum suæ professionis vigesimum quartum, provectiores ætate usque ad annum professionis quadragesimum, & senes usque ad quinquagesimum. Juvenes in Choro, Refectorio, & in ceteris functionibus, ad Divina officia pertinentibus, occupabantur, præprimis ad captandam Præpositorum suorum benevolentiam intenti. Nam si aliquis rebellis & contentiosus repertus fuisset, segregabatur & severe coercebatur. Secundi ordinis monachi plerumque ab officiis spiritualibus exempti, negotiis domesticis & regimini externo vacabant. Senes Chorum non frequentabant, nisi cum Missæ celebrarentur, Refectorium & claustrum non adibant, œconomi, Procuratoris aut Cellerarii onus subire non compellebantur. Illis vero, qui ad annum, post ingressum in Monasterium, quinquagesimum pervenerant, & *Sempectes* dicebantur, singulis dabatur cella in domo infirmorum, puer, qui ipsis serviret, & frater juvenis, qui cum iisdem cibum

n. 20.

bum caperet; tum ut adoleſcentes bono conſortio proficerent, tum ut ſenes ſolatium haberent. Cuilibet etiam Seni emerito ad Chorum ad Refectorium & quocunque vellet omni tempore ire licebat. Nemo ſermonem, qui ſolicitudinem ingerere potuiſſet, afferebat, ſed finem vitæ ſuæ in pace expectare ſinebatur. Sæculum X. A. C. 975.

Tales erant quinque illi Senes, qui prioris Monaſterii Crulandenſis excidium viderant, omnes centenario majores. Primus eorum, nomine Clerembaldus, vitam usque ad annos quadraginta octo ſupra centum produxit; omnibus vero in amplexu Turquetuli Abbatis moriendi ſolatium obtigit. Qui haud diu ſuperſtes ſub finem vitæ dimiſſis aliis curis orationi & operibus charitatis totus vacabat. Singulis tamen diebus nobiles adoleſcentes, qui a Clericis ad monaſterium pertinentibus educabantur, inviſebat, atque ut puerorum diligentiam excitaret, ſervulus comitans herum ficus, caricas, & alia pomorum genera deferebat, ut bene meritos munusculis donaret. Tandem fatis functus eſt Turquetulus undecima Julii anno nongenteſimo ſeptuageſimo quinto, relinquens Congregationem, in qua monachi quadra-

Sæculum X. A. C. 978.

quadraginta, & quatuor fratres Converſi numerabantur.

§. LIII.

S. Eduardus Martyr.

vit. ap. Boll. 18. Mart. to. 7. p. 638.

Cum Rex juvenis Eduardus quadam die venationi indulgens, avulſus a ſociis, ſolusque equum ſiſteret ante portam arcis, in qua illa tempeſtate Regina Elfritha, ejus Noverca, cum Ethelredo filio verſabatur, & ſiti preſſus potum ſibi propinari rogaret, occurrit Elfritha, & in ſpeciem blandiſſima poculum porrigit. Sed, abominandum facinus! bibentem peſſima noverca a ſicario in ventre feriri jubet. Ille vulneratum ſe ſentiens, ſubditis equo calcaribus fugere nititur, & paulo poſt exanimis collabitur. Interfecti corpus illa furia primum in occulto loco ſepeliri præcepit; at coruſcante cœleſti lumine & editis compluribus miraculis proditum affirmant. Quamobrem cadavere in ſepulchrum honorificum translato, Eduardus Martyrum numero adſcriptus eſt, cujus memoriam Eccleſia ipſa obitus die decima octava Martii agit. Volvebatur tunc annus Salutis nongenteſimus ſeptuageſimus octavus, ætatis juvenis Regis decimus quintus, cum non plus annis duobus & dimidio regnaſſet. Poſtquam Elfritham inſana cupi-

Martyr. Ro. 18. Mart.

cupiditas filium ſuum Ethelredum in ſolio imperantem conſpiciendi ad ingens ſcelus patrandum impuliſſet, duram ſubiit pœnitentiam, compluribus annis cilicium induit, humi dormivit, corpus rigide caſtigavit, & duo puellarum monaſteria fundavit. Sæculum X. A. C. 978.

Eduardo Regi ſoror fuit, & ipſa in numerum Sanctarum feminarum relata, ſcilicet Editha ſeu Edgita, filia Regis Edgari & Wilfredæ, quæ, ut ſuperius memoravimus, ab Edgaro ſtuprum paſſa erat, licet velamen monialium, ut malum averteret, capiti impoſuiſſet. Poſtquam conceptam inde filiam in lucem edidit, illico in Monaſterium Wiltonienſe ſe recepit, ubi, habitu monaſtico e manibus S. Ethelwoldi accepto, poſtmodum Abbatiſſa fuit. Curam tamen educandæ filiæ ſuæ Edithæ non abjecit, & jam grandiori velamen monaſticum, conſentiente Rege, dedit. Editha multis virtutibus in monaſterio claruit, Abbatias tres, quas Regius parens obtulit, conſtanter accipere recuſavit, obiitque annos nata viginti tres, decima ſexta Sept. anno 984. Eam die, qua deceſſit e vita, Eccleſia colit. Ceterum tres aliæ principes feminæ, idem nomen ſortitæ, & uno Sæculo in Anglia degentes, Sanctarum numero adſcriptæ leguntur.

Act. S. Ben. Sæc. 5. p. 636.

Sup. §. 26.

Martyr. Ro. 16. Sept.

S. Eduar-

Sæculum X. A. C. 978.

S. Eduardo occiso, Ethelredus ejus frater Rex salutatur. S. Dunstanus animo admodum repugnante hanc Electionem admisit, tum quod matris crimine filius solium conscenderet, tum quod Ethelredus adolescentulus regendis populis necdum par esset. Nihilominus, quia jure sanguinis Regno proximus erat, noluit obsistere. At in die, qua Ethelredum in Regem unxit, cum coronam ejus capiti imponeret, dixisse fertur: *Quia fratris tui cæde ad regnum grassatus es, non recedet gladius de domo tua, nec removebitur a cervicibus filiorum tuorum, donec regnum tuum tradatur advenis, quorum nec linguam, nec mores Subditi tui norunt.* Hi advenæ Dani fuere; quod sequentia docebunt.

Regnante Ethelredo, qui annis omnino triginta septem sceptrum rotavit, filii Clericorum, ex Ecclesiis Angliæ ejectorum, querelas patrum suorum defunctorum iterum in medium attulerunt. Ducem elegerant quemdam Episcopum natione Scotum, magnæ audaciæ hominem, & impigre loquacem, quo præeunte S. Dunstanum adierunt. Archiepiscopus senio & laboribus pro Ecclesia exantlatis fractus, & tunc orationi unice deditus, respondit: *Quoniam antiquam litem, post tantum temporis spatium excitatis, neque nihil*

nihil nisi quietem & silentium quærentem laceſſitis, nolo vobiscum jurgari, ſed Deo Eccleſiæ ſuæ cauſam defendendam committo. Tunc vero Domus nutare, & pavimentum dehiſcere; collabuntur ſeditioſi, complures ruentibus tignis conteruntur, illo ſolo loco, in quo S. Vir cum ſuis verſabatur, immoto. Sæculum X. A. C. 978.

§. LIV.

S. Haroldus Martyr.

In Dania Haroldo Regi, Religionis Catholicæ Defenſori & Propagatori, Sueno filius, qui in infidelitate permanſerat, cum patrem ſenio tardum & infirmum videret, inſana regnandi cupiditate abſtractus, inſidiari cœpit, & cum illis communicare conſilia, quos parens ad ſuſcipiendam Religionem Chriſtianam compulerat. Subita defectio fuit, Danique abjectis Chriſtianorum Sacris Suenonem Regem proclamarunt, miſſis, qui Haroldo bellum indicerent. Ipſe, quamvis animus vehementer horreret, arma in cives & filium arripere, ad juſtam tamen defenſionem ſe comparavit, ſpem ſuam in Deo, ut in arduis ſemper adſueverat, ponens. Prœlio tamen victus, accepto vulnere, navigium conſcendit, & in quamdam urbem Sclavorum ſe recepit, qui, etſi eſſent Infideles, ſupra *Ad. Brem. lib. 2. 18.*

Sæculum X. A. C. 980.

spem tamen humani fugientem exce-perunt. Ibi Rex post paucos dies, us-que ad ultimum spiritum JEsu Christo fidelis, ex vulnere extinctus est. Annis regnaverat quinquaginta, primus qui apud Danos Christianam fidem induxit, atque Septentrionem Ecclesiis & Evan-gelii Prædicatoribus implevit. Obiit vero in Festo Sanctorum omnium anno nongentesimo octogesimo, corpusque Roschildam in Regnum suum relatum, atque in Ecclesia S. Trinitatis ab ipso ædi-ficata sepultum. S. Haroldus ob mor-tis suæ causam SS. Martyribus adscri-ptus est.

Epitaph. ap. Bar.

§. LV.

S. Adalberti Archiepiscopi Magdebur-gensis Obitus.

Sup. §. 16. Anno sequente nongentesimo octo-gesimo primo S. Adalbertus, primus Archiepiscopus Magdeburgensis, anno Pontificatus sui decimo tertio obdormi-vit in Domino. Is ab Ottone II. Impe-ratore Privilegium obtinuerat, cujus te-nore Monachis, ex quibus Capitulum Magdeburgense constabat, Archiepisco-pum eligendi potestas fiebat. S. Adal-berto defuncto Clerici populusque una-nimi voce Archiepiscopum elegerunt Ochtricum, virum scientiæ fama cla-rum,

Act. SS. Ben. Sæc. 5. p. 571.

rum, tunc Imperatori servientem, quamvis S. Adalbertus, cum adhuc luce frueretur, publice prædixisset, Ochtricum Successorem suum neutiquam futurum. Nam Adalbertus & Ochtricus nunquam moribus conveniebant, unde complures, cum Ochtricus Scholæ Magister esset, ex Congregatione abierunt. Itaque Legati a Capitulo Magdeburgensi iter in Italiam ingressi, ubi ad Regiam Ottonis II. pervenerunt, Gisileri Episcopi Merseburgensis, qui apud Imperatorem tunc plurimum valebat, suffragium implorant, & Legationis suæ causam aperiunt, quibus ille consilium & opem promittit; sed simulata fronte, namque cum postea ad Imperatorem S. Adalberti obitum detulisset, ejus pedibus provolutus sibi ipsi Archipræsulatum Magdeburgensem, obsequii longo tempore præstiti præmium, conferri rogavit; eique illico Imperator annuit. Sæculum X. A.C. 981.

Mox e conclavi Cæsaris egrediens, Ochtrico & ceteris Legationis sociis interrogantibus, an pro causa sibi commissa feliciter peroraſſet, respondit; sibi vix licere se ipsum in propriis & domesticis causis juvare, quod avaritia, præsertim Romanorum, usque adeo Regiam corrumperet. Tandem ubi solos habuit, quid ageretur, professus est. Tum libel-

Sæculum X. A. C. 983.

lo Benedicto VII. Papæ publice tradito translationem hanc ratam haberi postulavit. Papa, congregata Synodo, quæsivit, an liceret Gisilero ad Archiepiscopatum Magdeburgensem transire, Sedem non habenti, postquam Hildevardus Episcopus Merseburgensem Cathedram invasisset. Responderunt corrupti Judices, id omnino licere; itaque Gisiler Archiepiscopatum obtinuit, Merseburgensis autem Episcopatus suppressus, & illa regio Halberstadiensi Episcopo subdita. Ochtricus exinde Beneventum profectus, ibique morbo correptus decessit, postquam sera pœnitentia subiisset, quod relicto monasterio Archipræsulatum ambitiose quæsivisset.

§. LVI.

S. Adalbertus Episcopus Pragensis.

Discipulorum S. Adalberti Magdeburgensis nullus illustrior S. Adalberto Pragensi fuit. Is in Bohemia, Patre, nomine *Slaving*, Comite & amplissimarum ditionum Domino natus, in Baptismo dictus est *Voitiecht*, quæ vox Sclavonica lingua *Solatium Exercitus* significabat. Cum parentes puerulum subito gravi morbo laborantem Deo consecrassent, postquam convaluit, Magdeburgum missus est, sub cura Adalberti Archiepiscopi

Sæculum X. A. C. 983.

ſcopi erudiendus, ubi Ochtricum monachum, plurimorum aliorum quoque Magiſtrum nactus eſt. Tunc annus Salutis reparatæ nongenteſimus ſeptuageſimus tertius volvebatur. Annis vero novem in illa ſchola verſatum Archiepiſcopus, cum ei Sacramentum Confirmationis contulit, de ſuo nomine Adalbertum appellavit. Pius juvenis tempore, quo literarum ſtudiis vacavit, noctu cubili ſe proripiens pauperes inviſebat, eleemoſynas largiter erogabat, & tempus, quod juventus ſtudioſa relaxationi animi dare ſolet, ipſe orationi conſecrabat. Ceterum eximia Philoſophiæ humanæ ſcientia floruit.

S. Archiepiſcopo fatis functo Adalbertus in Bohemiam reverſus, multos libros attulit, tumque Clericis Pragenſibus adſcriptus eſt ab Epiſcopo Dithmaro, qui haud diu poſtea, nempe anno nongenteſimo octogeſimo tertio, 2. Januarii, migravit ex hoc Sæculo. Juvenis Adalbertus tunc Subdiaconatus Ordinem habens in officio funebri Epiſcopi cum aliis miniſtrabat; cumque deinde ad eligendum Succeſſorem prope urbem Pragenſem conventus celebraretur, Boleslao pio Duce Bohemiæ & Proceribus Provinciæ præſentibus, omnes una voce proclamant, neminem Adalberto, popu-

Chr. Magd. Sæc. 5. Act. Ben. p. 834.

Sæculum X. A. C. 983.

lari suo, digniorem Cathedræ Episcopali imponi posse, & reluctantem 19. Febr. anno eodem nongentesimo octogesimo tertio eligunt. Tum Nuncios ad Imperatorem post reditum a bello contra Saracenos suscepto Veronæ morantem mittunt, qui Electionem hunc confirmari peterent. Aderat cum ipsis Adalbertus; libellum quoque Clericorum & populi cum Mandatis Ducis attulerant. Annuit postulatis Imperator, Adalberto annulum & Baculum pastoralem tradidit, & a Willegiso Archiepiscopo Moguntino, tunc apud Imperatorem versante, cui Sedes Pragensis erat subjecta seu Suffraganea, consecrari jussit. Adalbertus in Bohemiam reversus, nudis pedibus Pragam intravit, & in Thronum Episcopalem omni populo maximæ lætitiæ signa edente evectus est.

§. LVII.

Ottonis II. Obitus. Otto III. Imperator.

Ditm. L. 3. Crediderunt non nulli, in pœnam suppressi Episcopatus Merseburgensis in Imperatorem cœlitus immissas fuisse calamitates, quibus hoc anno pressus est, referentes S. Laurentium Ecclesiæ Merseburgensis Patronum injuriam ultum fuisse,

Sæculum X. A. C. 983.

isse, quod ipse Sanctus Laurentius alteri viro Sancto conspicuus factus significasset. Porro illud exploratum, Imperatorem cum Græcis & Saracenis eorum sociis in Calabria pugnam conseruisse, victumque in fuga salutem ægre inveniisse.

Post illud prœlium desideratus est Henricus, Episcopus Augustanus, filius Buchardi Comitis, cujus malis artibus S. Udalrico defuncto ad Dignitatem Episcopalem pervenerat. Sed nunquam quiete hanc Ecclesiam regere datum, Optimatibus vicinis Bona temporalia usurpantibus. Hinc ut Imperatoris præsidium sibi pararet, obsequiis Principem demereri studebat, eumque in bello comitabatur. Cum igitur in memorata etiam expeditione cum Ottone militasset, omnibus ab acie recedentibus a nemine visus est; nec postea unquam explorari potuit, cæsus captusve a Saracenis fuisset. Profligato exercitu Imperator in Longobardiam regressus, convocatis Veronæ Comitiis Ottonem III. filium Imperatorem, tunc in Germania degentem, eligi curavit, quem eodem anno in Natali Domini Willegisus Archiepiscopus Moguntinus & Joannes Ravennas Aquisgrani coronarunt.

vit. S. Udal. n. 78. n. 84. Sæc. 5. Ben. p. 456. &c.

Sæculum X. A. C. 983.

Inter hæc Otto II. Imperator Romam repetiit, ubi cum in morbum incidiſſet, & diem ſupremam imminere intelligeret, quidquid ſignatæ pecuniæ habebat, in quatuor partes diviſit, & unam pauperibus, alteram Eccleſiis, tertiam cariſſimæ ſorori Mathildi, & quartam Familiaribus ſuis dedit. Tum coram Papa & Presbyteris latino Sermone confeſſus accepta ab iis abſolutione animam exhalavit die Veneris ſeptima Decembris, poſtquam ab obitu parentis ſui annis decem & ſeptem menſibus regnaſſet. Sepultus eſt in veſtibulo Baſilicæ S. Petri, atque ante ejus Sepulchrum, quod ex Porphyrite conſtructum, opere vermiculato repræſentatur Chriſtus ſtans & Eccleſiam intrantibus benedicens. Ceterum Ottonis II. geſta parentis ſui meritis longe inferiora ſunt.

§. LVIII.

Bernuardus Ottonis III. Præceptor.

vit. Sæc. 6. Act. Ben. p. 202.

Ottonem III. cum coronaretur Rex Germaniæ, quatuor annorum puerum, haud diu poſt mater Theophania Imperatrix Bernuardo Presbytero primis ſcientiarum elementis imbuendum commiſit. Erat Bernuardus ex primis ſtirpibus in Saxonia ortus, nepos Folcmari, qui anno nongenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo

ptimo Episcopus Ultrajectensis ordinatus illam Sedem annis duodecim tenuit. Folcmarus Bernuardum adolescentem Osdagii Episcopi Hildesheimensis curæ commendavit, qui eum Tangmari scholæ suæ Præposito tradidit. Is præclaram indolem Discipuli sui cœpit solerter excolere, scientias omnes, artesque cito arripientis. Quippe eleganter literas formabat, in arte pingendi non rudis, Architecturæ non ignarus, gerendis rebus aptissimus, ingenium a natura benigna sortitus ad omnia eximia factum. Bernuardum deinde Willegisus Archiepiscopus Moguntiæ aliquamdiu apud se diversantem Ordine Presbyteratus insignivit. Tunc vero se recepit in domum Adalberonis, Comitis Palatini, Avi sui materni, qui etsi permultis liberis oneratus, Bernuardum tamen affectu singulari prosequebatur. Ab optimo sene Bernuardus diu noctuque non avellebatur, obsequia omnia, quibus vir ætate & morbis debilitatus indigebat, liberalissime usque ad extrema exhibens. Sæculum X. A. C. 983.

Avo suo ad æterna translato Bernuardus ad Regiam Ottonis III. tunc annum ætatis septimum agentis profectus, Theophaniæ Imperatricis amicitiam ita sibi conciliavit, ut ea, consentientibus cunctis Regni Optimatibus, Principem adolescen-

Sæculum X. A. C. 983.

lescentem ipsius Disciplinæ traderet. Sub optimo Præceptore Rex brevi temporis spatio in virtutis semita gnaviter progressus est. Ceteris omnibus Regi & juveni adulantibus, atque ad voluptates, quibus juventus sua sponte plus justo delectatur, impellentibus, quin & ipsa matre, timente, ne quis alius plus ipsa amaretur a filio, ejusdem cupiditatibus indulgente, cum nemo alius ruinam sustineret, solus Bernuardus virili constantia obsistebat, & Discipulum Regium timore incusso in officio continebat, tanta prudentia & moderatione, ut non solum adolescentis animum sibi infensum non reddiderit, sed etiam, Theophania Imperatrice vita functa, solus juvenis Ottonis affectum potitus sit, a quo patris & matris loco babebatur. Si quæ consilia suggerebantur, docebat Bernuardus rationem, ea ad examen revocandi, & artem, qua hominum dissimulationem & fallaciam deprehenderet. Unde Princeps neminem majore in pretio, quam morum suorum Moderatorem habens a cunctis eam, quam sincera viri virtus merebatur, venerationem exhiberi volebat.

HISTO-

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER LVII.

BENEDICTUS VII. PAPA.
OTTO III. IMPER. OCCID. BASILIUS ET CONSTANTINUS IMP. ORIENTIS.

§. I.

S. Romualdi initia.

Sæculum X. A.C. 983.

Illa tempestate duo magna Anachoretarum lumina, Romualdus, in Longobardia, & Nilus in Calabria exoriebantur. Romualdus Ravennæ ex illustrissima Ducum familia natus, juvenis, illius ætatis, quam etiam affluentes divitiæ irritabant, communi vitio, luxuriæ indulgere cœpit. Cum tamen Deum timeret, sæpe e cœno surgere conabatur

vit. per Petr. Dam. Act. Ben. Sæc. 6. p. 281. Boll. 7. Febr. to. 4. p. 101.

Sæculum X. A. C. 983.

tur & magnam de se ipso & mundo victoriam reportare animo constituebat. Feras insequens & lustrans nemora, ubi locum situ amœnum conspiciebat, mentem cogitatio subibat: *Quam commode hic Eremicolæ versarentur! quam dulci quiete procul a tumultu sæculi remoti fruerentur!* Parens ejus, nomine Sergius, vir moribus sæculi vivens & rationum suarum tenacissimus, cum quodam propinquorum suorum de possessione ampliſſimi prati litigabat, cumque videret Romualdum filium in hac causa cedere, atque Adversarii cædem, quam ipse meditabatur, vehementissime aversari, se eum hæreditate paterna privaturum comminatus est. Tandem ad certamen ventum, in quo propinquus ille manu Sergii occubuit. Quamvis vero Romualdus in isto homicidio nullam aliam partem haberet, quam quod præsens fuisset, quadraginta dierum pœnitentiam susceپturus ad Monasterium Classense S. Apollinaris secessit.

Ibi cujusdam fratris conversi hortatu permotus propositum concepit, totum se Deo consecrandi, petiitque sibi Habitum monasticum dari, quem cum Monachi, ne iram parentis ejus provocarent, ipsi conferre non auderent, Romualdus Honestum Archiepiscopum Ravennatem, quondam Abbatem Classen-

sem,

sem, adiit. Suasit Præsul, ut juvenis vo- Sæculum X.
cantem Deum sequeretur, Monachos- A. C. 983.
que eum voti compotem facere jussit, cujus Auctoritate freti paruerunt. Tunc Romualdus ætatis suæ annum agebat vigesimum, Honestus vero Episcopus Ec- *vit. n.* 101.
clesiæ Ravennatis Regimen anno non- *Rub. hist.*
genteſimo septuagesimo primo susce- *Rov. p.* 262.
perat; unde sequitur, Romualdum non *vit. n.* 7.
ante annum nongentesimum quinquagesimum secundum primo lucem aspexisse. Tribus annis in Monasterio Classensi versatus, & dolens collapsam Disciplinam, monachorum mores severe reprehendere, iisque Regulam ante oculos ponere cœpit. Illi juvenis audacis objurgationem non ferentes, importunum monitorem atroci consilio e medio tollere statuerunt; cumque eum singulis noctibus maturius ad orandum surgere scirent, nihil commodius visum, quam ex editissimo aggere incautum præcipitare. Nec effugisset mortem, nisi ex conjuratorum numero aliquis periculum manifestasset.

Tum Romualdo ad altiorem perfectionis gradum tendenti relatum, prope Venetias Eremicolam nomine Marinum degere, celebrem spiritualis vitæ Magistrum. Igitur impetrato Abbatis & Monachorum Classensium consensu, quem lubentissime dederunt, ad oras Venetorum navigavit, ejusque viri Disci-

plinæ

Sæculum X. A. C. 983.

plinæ se tradidit. Marinus vir erat magnæ simplicitatis & vitæ puritatis eximiæ, sed nullo vitæ anachoreticæ magistro usus fuerat. Singulis diebus Psalterium recitabat, & Romualdus, antequam mundo valedixisset, omnino literarum rudis, tunc vix legere satis didicerat, cumque crudus præceptor, ut errantem corrigeret, recitantis caput in læva parte virga sæpe percuteret, ille injuriam diu passus, tandem inquit: *Magister! verbera, obsecro, latus dextrum, nam in sinistro tantum non audiendi facultatem perdidi.* Marinus Discipuli patientiam admiratus exinde lenius eum habuit.

§. II.

Petri Ursеoli Conversio.

Petrus Ursеolus, tunc temporis Venetorum Dux, viam sibi ad Solium atroci crimine paraverat. Nam cum Veneti Vitalis Candidiani Antecessoris ejus fidem suspectam haberent, communicatis consiliis ejus Palatium oppugnare & perfidum cum tota familia interficere constituerunt. Quia vero, Vitale inimicorum vim & insidias solertissime devitante, destinata exequi non poterant, Petri Ursеoli ædibus Palatio Ducali contiguis ignem subjecerunt, ipso consentiente, cui nempe Ducis Reipublicæ Dignitatem promiserant. Omnia deinde, ut

ut excogitata erant, perfecerunt. At Petrum, postquam ambitioni litasset, pœnitentia subiit tanti sceleris, & quemdam Abbatem nomine Guerinum ex Catalonia, advenam, & ad diversa loca pia orationis causa peregrinantem consuluit. Marini quoque, & Romualdi consilium expetiit, qui unanimi judicio pronunciarunt, Petrum non Ducatum modo male partum abjicere debere, sed etiam toti mundo valedicere, & in Monasterio assumpto habitu perpetuam pœnitentiam agere. Ille clam uxorem, & totam familiam fugiens cum uno amicorum suorum, cui nomen Joannes Gradenicus, ad tres Monachos modo memoratos se contulit; tumque viri quinque conscensa navi in Cataloniam vela faciunt, & tandem in monasterium S. Michaelis, cui Guerinus ab anno nongentesimo septuagesimo tertio præerat, perveniunt. Petrus Urseolus & Joannes Gradenicus ibi Institutum Monasticum professi sunt, Marinus & Romualdus haud procul a monasterio vitam anachoreticam, cui adsueverant, duxerunt, iisque uno anno elapso priores duo quoque se socios junxerunt.

Sæculum X. A. C. 983.

Act. SS. Ben. Sæc. 5. p. 877. Sæc. 6. p. 312.

§. III.

S. Romualdus in Catalonia.

Romualdi zelus breve ita eminuit, ut Magistrum omnes venerarentur, & ipse

Sæculum X. A. C. 983.

ipse Marinus se ejus Regimini subjiceret. Uno anno nullo alio cibo in die usus est quam pugillo cocti ciceris, & annis deinde tribus ipse & Gradenicus solo frumento, quod in sudore vultus sui severant, & collegerant, nutriebantur, ut rigorem jejunii suo labore augerent. Cum Romualdus in vitis Patrum legisset, quosdam tota hebdomada, Sabbato & Dominica exceptis, jejunasse, eos imitari constituit, & annos plus quam quindecim tantum rigorem sustinuit. Postmodum refectionem, quam die Sabbati accipere solebat, in diem Jovis transtulit, tum ut consuetudinem Ecclesiæ Romanæ servaret, tum ut jejunium duorum triumve dierum, quod prius tota septimana continuabatur, facilius sustinere posset. Regulam deinde Eremicolis tradidit, ut singulis diebus jejunarent, exceptis Sabbato & Dominica, quibus olera comedere, & omnis generis potum sumere licebat. Sed in duabus per annum Quadragesimis tota Septimana jejunabant. Aliis prohibebat, ne tota die jejunarent, quamvis ipsius sæpe exemplum esset contrarium; dicebat enim, Monachum sincere ad perfectionem tendentem oportere quotidie comedere, sed tam parce, ut quotidie post mensam esuriret.

n. 13.

Oliba-

Olibanus Comes, qui Monasterium Cusanense possederat, ex præcipuis Cataloniæ Proceribus, magnus peccator, aliquando S. Romualdum invisit, & totam vitæ suæ seriem tanquam Confitens exposuit; cui deinde vir Sanctus dixit, neutiquam ipsum alia ratione salvari posse, quam si vitam monasticam amplecteretur. (*) Expavescens Comes respondit, viros alios in vita spirituali exercitatos, quibus eadem confessus fuisset, nunquam tam asperum pœnitentiæ genus sibi injunxisse. Tum Episcopos & Abbates, qui principem proficiscentem comitabantur, vocat, & postquam omnes de modo pœnitentiæ deliberassent, Romualdum justam sententiam pronunciasse dixerunt, palam profitentes, se hactenus metu & reverentia humana fuisse cohibitos, ne Comiti suaderent, ut monachum indueret. Igitur Olibanus consilium approbante Romualdo ad Montem Cassinensem pergere constituit, quasi piæ peregrinationis causa & deinde in

Sæculum X. A. C. 983.

vit. Rom. n. 18.

(*) Privatum hoc quorumdam non publicum Ecclesiæ judicium fuit; nulla enim lege Ecclesiastica præcipitur, ut viri potentes, quamvis maximi peccatores fuerint, non aliam Pœnitentiam, quam vitæ monasticæ professionem, subire possint.

Sæculum X. A C. 983.

in illo monasterio habitum religiosum petere.

Haud diu post Sergius Romualdi parens in Monasterio S. Severi non procul Ravenna professionem Religiosam edidit, rursusque subita propositi pœnitentia mutatus ad sæculum redire omnibus viribus volebat. Rem hanc monachi celeriter per nuncios ad Romualdum deferri jubent, qui, cura Comitem Olibanum Cassinum deducendi Abbati Guerino & Joanni Gradenico commissa, ad patrem proficisci & de salute periclitanti succurrere statuit. At percrebrescente fama Romualdum ex Hispania migraturum, Cataloni, timentes ne tantum virum in omne tempus amitterent, deliberant, qua potissimum ratione a proposito revocandus esset, nec aliud magis certum eis occurrit remedium, quam latrones immittere, qui Romualdum interficerent; sic enim servari posse Sanctissimi viri Reliquias (*), patriæ præsidio futuras. Romualdus ab amico monitus, quantum instaret periculum, sibi totum caput rasit, & sicariis Cellulæ imminentibus, ipse summo mane, cunctis viden-

(*) Obstupescendus certe hic SS. Reliquias sibi comparandi modus. Non satis firmum vero fuisse videtur crudele propositum, a quo facile adeo dimoveri potuerunt.

videntibus, cibis se se ingurgitat. Illi amotam fuisse viro mentem existimantes illæsum relinquunt. Sæculum X. A. C. 983.

Cum ea calliditate barbaram hominum devotionem elusisset Romualdus, iter ingressus nudis pedibus & baculum manu tenens tandem Ravennam pervenit. Ibi cum Patrem habuisset, in proposito ad Sæculum revertendi obstinatum, compedes injecit, vinculis ferreis repugnantem oneravit, verberibus acriter contudit, donec paternum corpus pessime afficiens animam sanavit, atque ad perseverandam in Monasterio compulit. Nam victa tandem est hominis pertinacia, mansit volens in monasterio, & superioris vitæ errata sancto fine emendavit.

§. IV.

Olibanus Comes convertitur.

At Olibanus Comes, amplissimis fundis filio relictis, iter in Italiam cum Abbate Guerino, Joanne Gradenico & Marino, nam Petrus Ursеolus e vita migraverat, suscepit. Muli clitellarii quindecim Olibani thesauros portabant, cum vero Cassinum pervenit, familiares mirantes mœrentesque dimisit. Marinus Cassini haud diu moratus in Apuliam se contulit, & in solitudine degens tandem a grassatoribus gentis Arabicæ occiditur. *Chr. Cass. l. 2. c. 19.*

Sæculum X. A. C. 983.

Guerinus Abbas peregrinationibus assuetus cum Joanne Gradenico Jerosolymam commeare constituit, & licet Olibanus, hoc eorum proposito comperto, cadentibus lacrymis rogaret, ne deserererent virum pœnitentem, a Romualdo sibi tantopere commendatum, itineri se dederunt. Sed ecce, cum necdum proximum campum emensi essent, equus, quo Guerinus vehebatur, calcitrans Gradenici crus comminuit, qui ad montem Cassinum reverti coactus, ædificata prope monasterium Cellula, annos ferme triginta ibi transegit, & vitam sanctam pari fine clausit. Olibanus post hæc Abbas Cusanensis fuit, & deinde Episcopus Alzonæ, ubi hodie solummodo tenuis pagus inter Carcassum & Civitatem S. Papuli positus reperitur.

Act. SS. Ben. Sæc. 6. p. 113.

§. V.

S. Nilus Calaber.

vit. interp. Carioph. p. 3.

Sanctus Nilus quoque sub annum nongentesimum octogesimum Cassinum venit. Is Roscianum, Calabriæ Caput, unicam civitatem, cujus Græci domini erant, nam reliqua illius regionis Saracenorum incursionibus vastabantur, patriam nactus, liberalissimam indolem literarum studiis excoluit. S. Scripturam manibus continuo terebat, & vitas Patrum legens mire delectabatur.

tur. Unde vitia & vanas obſerva- Sæculum X.
tiones, magicas notas, voces ſuperſti- A. C. 938.
tioſas ad avertendum ſiniſtrum caſum pronunciandas vehementer averſabatur. Orbatus parentibus ſub cura ſororis piiſſimæ, natu majoris fuit; ſed ad illam ætatem, quæ flos juventutis eſt, perveniens habitus decore & amœniſſima voce puellarum omnium animos & vota in ſe convertit. Cumque etiam ipſe amorem virginis, loco humili quidem natæ, verum ſpecie inter cunctas alias præſtantiſſimæ, concepiſſet, deſiderio communicandi cum ipſa liberos accenſus, victusque eſt; ex quo commercio feminini ſexus proles primo partu in lucem edita. Attamen mortis & æterni ſupplicii memoria Nilum identidem ab hac libidine avocabat, & ſuperveniens febris violenta effecit, ut fugere deinceps peccatum ſtatueret. c. 6.

Igitur quadam die omnibus inſciis ædes debitorum ſuorum adit, dicit, ſe vineam pulcherrimam reperiſſe, quam emere cuperet, & recepta, quantam dare potuerunt, pecunia, ſpreta etiam febre in viam ſe dat cum Monacho, nomine Gregorio, ipſum ad Monaſterium ſuum deducente. Cum flumen ſuperaret, ſubito eum reliquit febris; quare omen captavit, profectionem hanc Deo gratam eſſe. Ita ad Monaſterium Mercurienſe

Sæculum X. A. C. 983.

curienſe pervenit, ubi inter alios magni nominis viros Joannem, Fantinum & Zachariam habuit. Externum eorum habitum & paupertatem admiratus multo magis zelo perfectionis accenſus eſt. Ipſi vero cum juvenis ſapientiam, vocis, cum libros prælegeret, ſuavitatem, atque ingenii perſpicacitatem cognoviſſent, jam tum augurabantur, eum non modo altum virtutis gradum conſecuturum, ſed etiam ad plurimorum aliorum ſalutem natum eſſe.

Paucis diebus ibi commorante Nilo, afferuntur epiſtolæ ab illius Provinciæ Præfecto ſcriptæ, in quibus minabatur, ſi quis huic juveni manus imponere auderet, illum amputata dextra pœnas daturum, monaſterium autem ſub dominium Principis redactum iri. Ergo illius loci Præpoſitis viſum, in aliam Dictionem eſſe mittendum, ubi Sanctum habitum acciperet. Ipſe Monaſterium S. Nazarii delegit. Illuc pergenti occurrit in via Saracenus, cui ſciſcitanti, quis eſſet, unde veniret, & quo vaderet, Nilus quod res erat ſimpliciter aperuit. Saracenus mirari, quod hac ætate cucullo ſe involvere vellet (nam ad annos triginta necdum pervenerat, & veſtibus pretioſis, quibus in ſæculo uſus fuerat, indutus incedebat) & dicere: *Expectandum tibi erat, dum conſenuiſſes, tunc enim demum*

S. Nilus mundum fugiens.

p. 10.

demum Monasterio maturus fuisses, si tamen aliquando monachus esse volebas. Absit! absit istud! respondit Nilus, *nemo placet Deo, qui necessitate adactus, demum ad serviendum ei confugit. Nec vir senex pro Principe militare valet, nec Servitio Dei aptus est. Deo serviam juvenis, ut senem honoret.* Saracenus hoc responso delectatus viam, qua ad memoratum monasterium tendendum erat, ostendit, animum addidit, ut inceptis insisteret & benedixit. Tum Nilus totus contremuit cogitans, quam prope exitium fuisset, moxque multo vehementius expavit, audiens Saracenum recurrentem & magno clamore præcipientem, ut gradum sisteret. Ubi coram adstitit, dedit ei Barbarus panes candidos, quos ferebat, quia sine annona iter facientem videbat, & excusavit quod melius quidquam dare non posset. Exprobravit vero, quod expalleſceret & timeret se, virum, qui timeri non meruisset. Sæculum X. A.C. 983.

Cum Nilus haud plus aliquot passibus a Monasterio abesset, obvium habuit equitem, qui eum a proposito dimovere conabatur, monachorum famam dire proscindens. Homines avaros esse affirmabat, vanam gloriam captantes, gulæ deditos. Tam ampli sunt, inquiebat, in Cucullatorum istorum culinis lebetes, ut in iis mihi & equo meo stantibus sufficiens *p.* 13.

Sæculum X. A. C. 983.

ficens ſpatium foret. Reſpondere parabat Nilus; at ille concitato equo effugit. Tandem in Monaſterium S. Nazarii intrantem Abbas monachique magna Charitate excipiunt, utque ab itinere fatigatum foverent piſces vinumque apponunt. Nilo autem ſatis fuit pane & aqua refici. Tum rogavit, ut ſibi habitus monaſticus daretur, ea conditione, ut poſt lapſum quadraginta dierum ad illud monaſterium, unde venerat, redire liceret. Abbati videbatur Nilo, quamprimum Habitum monaſticum recepiſſet, curam alterius cujusdam monaſterii eſſe committendam, quod Nilus abſurdum eſſe ratus jam tunc juramento ſe obſtrinxit, nunquam officium recipiendi, cui Dignitas eſſet annexa.

§. VI.

S. Nilus in Eremo.

p. 18. Completis quadraginta diebus Nilum, ad monaſterium Mercurienſe reducem, Patres maximo lætitiæ ſenſu recipiunt, præprimis Fantinus, cui Nilus dulciſſimo amicitiæ fœdere junctus eſt. Cum deinde præclaræ juvenis dotes ad notitiam Joannis, complurium Monaſteriorum Præpoſiti, deveniſſent, ille Nili obedientiam variis modis probavit, optimam indolem amare cœpit, & Novitium fratrem aliquamdiu apud ſe detinuit. Exin-

Exinde Nilus consentientibus Patribus prope monasterium secessit in specum, ubi Altare S. Michaeli Sacrum erectum erat, ibique hoc ferme vitæ institutum amplexus est. Primo mane usque ad Tertiam scribebat; nam literas eleganter & velociter formabat. A Tertia usque ad Sextam ante Crucis effigiem versabatur, Psalterium recitans, & millies genuflectens. A Sexta usque ad Nonam sedebat, S. Scripturam & SS. Patres studiose legens. Tum Nona & Vesperis recitatis e Cella egressus animi relaxandi causa ambulabat, Deum tamen cogitans, quem in suis Creaturis laudabat & admirabatur, & selecta Patrum effata pensans. Post Solis occasum mensæ assidebat & vel solo pane, vel sine pane coctis oleribus, vel pro diversitate temporis arborum fructibus reficiebatur. Erat vero ejus mensa saxum grande & utcunque planum, pro patera confractæ testæ partem habebat. Nihil nisi aquam, & hanc etiam in mensura, bibebat. Si quod opus arduum in vitis antiquorum Patrum invenisset, illos imitari satagebat. Unde intra dies viginti duos bis tantum comedit, quem jejunandi modum ter servavit. Aliquando per integrum annum singulis tantum mensibus semel bibit, etsi nullo alio cibo quam sicco pane vesceretur. Sed hunc rigorem

Sæculum X. A. C. 983.

p. 25.

p. 28.

Sæculum X. A.C. 983.

dimisit, ne pulmo penitus arescceret; nam sibi primo solum octiduo vexabatur. Verum Quadragesimam sæpe sine ullo potu ciboque transigebat, solam Sanctam Communionem sumens. Noctu una hora dormiebat, quo facilius cibus digereretur. Postea recitabat Psalterium, quinquies centies genuflectendo, tum preces nocturnas & matutinas persolvebat, dicere solitus, Anachoretam multo plura & majora quam monachum in Congregatione viventem facere oportere. Ejus amictus erat saccus ex pellibus caprinis consutus, quo uno anno utebatur, cingulum autem funis, quem etiam non prius quam expleto unius anni spatio deponebat, morsus pediculorum, a quibus corrodebatur, patienter ferens. Non lectum, non sellam, non arcam, non manticam habebat; pro atramentario erat lignum cera obductum. Tantus erat paupertatis amor!

Cum quidam frater Nilum rogasset, ut ipsum contubernalem suscipere dignaretur & ægre obtinuisset, ait: *Pater mi! habeo tres argenteos; quid me agere, aut in quo consumere pecuniam vis?* Nilus respondit: *Da pauperibus, & nihil nisi Psalterium tuum serva.* Fecit ille, quod jubebatur; sed postquam aliquamdiu cum Sancto viro commoratus esset, tantam vitæ austeritatem fastidiens, cum

p. 37.

Magi-

Magiſtro jurgari cœpit, ut eum ad iracundiam excitaret. Cui Nilus placidiſſime: *Frater mi, in pace vocavit nos Deus. Si jam tibi inviſus ſum, diſcede quocunque lubuerit. Deus comes ſit. Intelligo enim te ſuperbiam & Sacerdotii deſiderium vincere non poſſe.* Alter ira accenſus: *Redde mihi tres argenteos meos, tunc abibo. Quid cauſæ fuit, ut eos darem pauperibus?* Reſpondit Nilus: *Frater mi, ſcribe in pagella, me boni hujus operis mercedem in Cælo recepturum, & Altari impone. Illico pecuniam tibi reddam.* Alter, ut experiretur, quo pacto Nilus, cui nec obolus erat, promiſſum impleret, ſcripſit, quod petebat. Tum Nilus accepta pagella, ad Monaſterium Caſtellenſe deſcendit, & mutuos ſibi datos tres argenteos diſceſſuro fratri tradidit. Malus Monachus, deſideria ſua ſecutus, haud diu poſt e vivis abiit, & Nilus ad ſpecum ſuum regreſſus, intra dies duodecim tribus deſcriptis Pſalteriis, debitum ſuum ſolvit.

Sæculum X. A. C. 983.

1. *Cor.* 7. 15.

Annis exinde paucis elapſis beatus Fantinus Abbas in quoddam amentiæ genus incidiſſe viſus eſt, quod ejus virtutis & ſanctitatis conſcii potius cæleſtem inſtinctum crediderunt. Exceſſit e monaſterio, atque per provinciam vagabundus, in queſtus & lamenta ſuper Eccleſias, monaſteria & libros effundebatur.

p. 45.

Sæculum X. A. C. 983.

tur. Clamabat, asinis & mulis plenas esse Ecclesias, quas fœde inquinarent, monasteria combusta & destructa, libros madidos & perditos, quare imposterum sacra lectione esset carendum. Ubi aliquis fratrum e suo monasterio occurrebat, tanquam mortuum lugens dicebat; *Ego te peremi, fili mi!* Talia vociferans nolebat sub tecto degere, nec cibum, cui adsueverat, sumere, sed per deserta errans olera silvestria comedebat. Plurimi eum Divinitus admonitum incursionem Saracenorum, qui brevi post totam regionem depopulati sunt, aut potius monasteriorum perniciem & Disciplinæ Regularis ruinam vaticinante animo indicare voluisse existimarunt. Nilus, videns tristem amici casum, vagantem sequebatur, & omnibus viribus persuadere conabatur, redeundum esse ad monasterium. Sed Fantinus affirmabat, nunquam se reversurum, brevi autem ex his vitæ miseriis exiturum. Vera dixisse eventus paulopost docuit.

Fantinus Abbas.

Nilo ad suam Cellam reverso, veniunt Patres Monasterii Fantini rogantes, ut se ad eorum monasterium conferret & ipsis Abbatem deligeret. Cum enim viri constantiam haberent exploratam, petere non sunt ausi, ut ipse Abbatis munus susciperet. Ipse Monasterium ingreditur & Congregationem in Eccle-

Ecclesia convocat; tunc vero peracta prima oratione Lucas, defuncti Abbatis Fantini germanus, Nili pedes complexus, eum in nomine Sanctæ Trinitatis, & per omnia, quæ Sacrosancta essent, obtestari cœpit, ut Abbatis Officium subire vellet. Nilus dicta omnia in ipsum Lucam retorsit, fratresque ad eum eligendum compulit. Quamvis enim non magnam admodum Sacrarum Scripturarum scientiam sibi comparasset, vir tamen erat magnæ pietatis & rebus gerendis idoneus. Hac ratione Nilus tentationem superavit. Sæculum X. A. C. 983.

§. VII.

Primi S. Nili Discipuli.

Sancto Nilo adhuc in specu suo commorante, venit ad eum discipulus, nomine Stephanus, homo valde simplex, cujus patientia & obedientia erat admiratione digna. Saracenis anno integro in tota Calabria grassantibus, fama prævolavit, eos etiam regionem Mercurien sem adituros, & tam monasteria quam monachos exciturus. Omnes ergo in proximas arces diffugiunt, eosque Stephanus, qui tunc forte in monasterio S. Fantini versabatur, secutus est, quia ad specum redire periculum manifestum non permittebat. Ipse Nilus, cum procul ex terræ pulvere aërem perturbante cognosce-

p. 49.

p. 54.

Sæculum X. A. C. 983.

gnoſceret, hoſtes adventare, noluit tentare Deum, ſed per notos ſibi calles ad locum tutum digreſſus eſt. Poſtera die ad ſpecum rediit, viditque Barbaros cilicium alterum, quod permutandi cauſa habebat, abſtuliſſe. Cum vero deſcendiſſet ad monaſterium, omnia deſtructa conſpexit, & ratus Stephanum in captivitatem fuiſſe abſtractum, animo conſtituit, ſe ipſum amore ipſius captivum tradere. Poſtquam autem comperit, eum cum ceteris monachis fugiſſe, Saracenis dilapſis, ambo ad cellam regreſſi, in ſuſcepta vitæ ratione perſeverarunt.

p. 58. Non multis exinde diebus cum Nilus Stephanum in civitatem Roſcianenſem ad emendas membranas miſiſſet, rediens ille ſenem adduxit, nomine Georgium, virum inter primores urbis præcipuum, qui a Deo ſe ad vitam anachoreticam vocari arbitratus, obtulit ſe Nilo, facturus quidquid præſcriberet. Re-

p. 60. ſpondit Nilus: *Frater mi! non ideo in deſerto degimus, quia ceteris meliores ſumus, ſed quia Regulam vitæ communis ſervare non poſſumus, tanquam lepra infecti a ceteris hominibus ſeparamur. Prudenter agis, quod ſalutem æternam quæras. Ergo aliquam Monachorum Congregationem adi, ubi quietem animi & corporis invenias.* Sed ſenex a propoſito dimoveri non potuit, nec

nec a Nilo receſſit, qui eum deinde filiali affectu proſecutus eſt. Sæculum X. A. C. 983.

Tandem Saracenis ſæpe illam regionem infeſtantibus, cum præter illum ſpecum, in quo cum ſuis Nilus verſabatur, via eſſet, crediderunt tuto ibi morari non amplius ſibi licere. Ergo Nilus ad quemdam locum haud procul Roſciano in ſuo patrimonio ſitum, ubi erat Oratorium S. Adriano Sacrum, venit. Ibi, compluribus Diſcipulis ad eum confluentibus, poſt aliquod temporis ſpatium duodecim virorum Congregatio exorta eſt, quæ Monaſterium dici poterat. Duo fratres ſæculares illius regionis ſtimulante invidia S. Nilo detrahebant, Hypocritam & Impoſtorem appellantes. Ille eorum calumniis nihil aliud quam benedictionem & laudes oppoſuit; quin imo quadam die peſſime ab ipſis affectus, ad eosdem tunc menſæ aſſidentes rediit, & veniam, ſi quid peccaſſet, ſuppliciter petiit. Tandem, quos prius adverſarios habuit, usque adeo ſibi devinxit, ut eorum natu major morti proximus S. Nilum omnium Bonorum ſuorum hæredem teſtamento ſcripſerit, & fratrem ſuperſtitem ejus curæ commendaverit. At Vir Sanctus nolebat, ut ſuum Monaſterium quidquam ſupra id, quod erat neceſſarium, poſſideret, dicens, ſuperflua ſine avaritiæ nota retineri non poſſe.

p. 63.

Sæculum X. A. C. 983.

posse. Cum quadam die duo ipsius Monachi extra monasterium manducassent, reversis dixit: *Nunquid mancipia mea estis, quod vos ab oculis meis absconditis? Fratres mei estis; panis, quo vescimur, est fructus laboris vestri, & nemo vos cogit, ut inviti quidquam faciatis.* Crescente congregationis suæ numero nunquam eo adduci potuit, ut Abbatis vel Hegumeni titulum sibi dari pateretur, ne violaret præceptum Evangelii, *Vos autem nolite vocari Rabbi.* Hegumenos autem alios vocari jussit, quorum primus fuit Proclus, vir ex lectione librorum sacrorum & profanorum eruditissimus, qui & ipse complures ingenii sui partus posteris reliquit.

p. 69.

Matth. 23. 8.

p. 72 v. Chro. Cass. lib. II. c. 11.

Cum vehemens terræ motus in Campania & Calabria urbem Roscianensem pene totam evertisset, S. Nilus patriæ calamitatem inspecturus, ne a popularibus agnosceretur, in itinere inventa vulpis pelle caput contexit, e baculo autem, quem humero imposuerat, post tergum pallium dependebat. Ita civitatem intrantem pueri lapidibus insectabantur, clamantes: *Videte Monachum Bulgarum!* alii, *en bubonem Francum, vel certe Armenum!* Sub noctem larva deposita majorem Ecclesiam ingreditur, S. Virginem Patronam suam invocaturus. Ibi orantem quidam Presbyteri

S. Nilus Rosciani.

byteri agnoscunt, & stupentes pedibus ejus advolvuntur. Ipse piis colloquiis tristes consolatus divertit ad quemdam, Canisicam nomine, cujus olim Discipulus fuerat, hortatusque est, ut valediceret sæculo, quippe semper vitam pudicam duxerat. Sed persuadere non potuit viro, cujus animo avaritia dominabatur. Eum haud diu post sentientem, se proxime moriturum, sera & inutilis pœnitentia torsit, quod salutaria monentem non audivisset. Sæculum X. A. C. 983.

S. Nilus sæpe animo volvebat, quantæ essent solitudinis deliciæ, & quam suavis libertas esset hominis vere pauperis, non minus curarum, quam divitiarum expertis. Ab experientia doctus judicabat, monachum cum aliis conversantem, cum in via virtutum progredi deberet, magis regredi. Sibi ipsi consortium aliorum obstare querebatur, quo minus cœlestia contemplari, & affectus interiores regere posset. Quas cogitationes oppugnabat objiciendo Apostoli præceptum: *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius.* Itaque Discipulos suos tentare constituit aliquo mandato contra rationem pugnante; cui si sine mora & sine examine obedirent, nunquam deinde ab iis discederet. Quadam die expleto Officio matutino inquit: *Patres mei, plures, quam par erat,* *p.* 78. 1 *Cor.* 10. 24.

Sæculum X. A.C. 983.

vineas plantavimus, & quidquam ultra quod neceſſitas poſtulat poſſidere, avaritia eſt, venite, & quæ ſuperflua videntur, excindamus. Illis conſentientibus, ipſe falcem humero imponens pergit ad vineam inter ceteras pulcherrimam & fertiliſſimam. Sequuntur omnes, & a mane usque ad horam tertiam vites ſecant. Tunc vero videns perfectam eorum obedientiam Deo promiſit, ſe a Diſcipulorum ſuorum ſocietate nunquam receſſurum. At fama hujus rei inſolentiam quaquaverſum hinc usque ad montem *Athos*, inde usque in Siciliam deferente, omnibus ænigma eſſe viſum eſt, quod diverſi diverſe explicabant.

§. VIII.

Theophylactus & Leo S. Nilum inviſunt.

p. 82. Quadam die cum Vir Sanctus Roſciani male affecta valetudine verſaretur, Theophylactus Metropolita Calabriæ & Leo Palatinus, viri prudentes & docti, comitantibus Senatoribus, Presbyteris, & permultis de populo ad eum inviſunt, quæſtiones de S. Scriptura propoſituri, magis explorandi, quid reſponſurus eſſet, quam diſcendi animo. Ubi prima ſalutatione defuncti, omnes conſederunt, Nilus librum, quem manu tenebat,

bat, Palatino obtulit, ita apertum, ut ſtatim oculis inſpicientis objiceretur effatum, ex decem millibus animarum illo ævo vix unam reperiri, quæ deducentibus bonis Angelis e corpore migraret. Illico omnes una voce dicere: *Avertat malum optimus Deus! falſum eſt iſtud, qui hoc ſcripſit Hæreticus eſt. An fruſtra baptizati ſumus? fruſtra Crucem adoramus? fruſtra communicamus & Chriſtianorum nomen gerimus?* Nilus, cum Metropolitanus & Palatinus iſta audacter ingerentibus nihil reſponderent, leni voce repoſuit: *Quid autem dicetis, ſi vobis oſtendero, S. Baſilium, S. Chryſoſtomum, S. Ephrem, S. Theodorum Studitam, quin & S. Paulum & Evangelium id ipſum affirmare? neutiquam, hæc dicendo, Deo obſequium præſtatis. Hæreſim profiteri utique non audebitis, ne lapidibus a populo obruamini. Sed dico vobis, iterumque dico, niſi virtutem omnibus viribus colueritis, pœnam æternam non effugietis.* His verbis commoti omnes ingemiſcere, & dicere: *Væ nobis peccatoribus!*

Sæculum X. A. C. 983.

Tum Nicolaus Protoſpatharius ad Nilum: *Pater mi! quare ergo Evangelium dicit: Quicunque potum dederit uni ex minimis calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem ſuam.* Reſpon-

Matth. 10. 42

Sæculum X. A C. 983.

dit: *Hoc dicitur propter illos, qui omnino nihil habent, ne forte aliquis se excuſet, & dicat, deeſſe ſibi lignum, quo ignem excitet, & aquam calefaciat.* Alius interrogavit: *Pater mi! ſcire cuperem, an Salomon ſalvus ſit vel reprobus.* Nilus non ignorans hunc ipſum, iſtud quærentem, hominem eſſe vitio luxuriæ immerſum, dixit: *Utinam potius ſcirem, an tu ſalvus futurus ſis vel reprobus. Quid ad me, teque, Salomon ſalvus ſit vel damnatus? ad noſtram damnationem ſcriptum eſt:* Matth. 5. 28. *Quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, mœchatus eſt eam in corde ſuo. Quod vero ad Salomonem ſpectat, nullibi in Scriptura occurrit, ipſum pœnitentia ſuperioris vitæ peccata deleviſſe, quod de Manaſſe legimus.* Ultimus in arenam deſcendit quidam Presbyter, interrogans in hunc modum: *Pater mi! cujus generis arbor fuit in paradiſo, de qua Adamus comedit?* Reſpondit Nilus: *De Malo Silveſtri.* Mox omnibus ridentibus, adjecit: *Nulla hic ridendi materia; talis eſt reſponſio, qualis fuit interrogatio. Quo pacto ego homini huic dicere poſſim, quod Scriptura nobis non manifeſtat? cum te perpendere ſerio oporteret, qua ratione formatus fueris, quomodo Paradiſo illatus, quomodo ejectus, quodnam præceptum*

ptum fuerit, quod violasti, qua via a-missam felicitatem recuperare possis, mis-sis his omnibus, quæris ex me, quod fuerit arboris nobis ignotæ nomen; quod si tibi dixissem, quæsiturus eras, ut opinor, qualis hujus arboris fuerit radix, quæ folia, quis cortex, & denique an magna fuerit vel parva. Post-quam complures hujusmodi sermones miscuissent, cum omnes recederent, dixit Metropolitanus, revera magnum virum esse hunc Eremicolam.

Sæculum X. A C. 983.

§. IX.

Eupraxius convertitur.

Eupraxius Calabriæ Præfectus puellarum monasterium in civitate Roscianensi fundaverat, quod pene collapsum, Eupraxio Constantinopolim reverso, S. Nilus reparavit. Nihilominus pessimi susurrones ad Eupraxium deferunt, istud monasterium a Nilo fuisse expilatum. Ille literas ad S. Virum dedit minis asperas, cumque in Calabriam cum Præfecti potestate secundo veniisset, adsunt illius Provinciæ Abbates, dona ferentes, & rogantes, ut se præsidio potenti tueretur. Solus Nilus non venit, quiete in suo monasterio manens & pro Salute Præfecti Deum exorans. Idipsum Eupraxii, jam prius offensi, animum multo magis exacerbavit. Sed percussus ul-

p. 80.

p. 91.

Sæculum X. A. C. 983.

cere, quod ipsum tribus annis afflixit, & obscenas corporis partes, quæ honeste non nominantur, pessime affecit fœtore omnibus intolerabili, confessus est, hanc justam vetitæ libidinis pœnam esse. Pœnitentia quoque ductus, quod innocentem Abbatem contumelioſe habuisset, misit ad eum, qui rogarent, ut ad se invisere, & benedicere dignaretur. Vir Sanctus diu cunctatus est facere quod rogabatur, ut Præfecti humilitatem probaret, nec ante elapsum triennium ad aegrotum se contulit, cum comperisset, ad vitalia malum penetrasse.

Præfectus advenientis Nili pedes inter largas lacrymas complexus, Sancto Viro, eum e terra levante, mox omnia peccata sua humili confessione exposuit, & obsecravit, ut sibi monasticum habitum daret, dicens, se voto obstrinxisse, quod Monachum vellet induere. Re-

p. 95. spondit Vir Sanctus: *Omnes qui post acceptum Baptismum peccarunt, etiam sine voto subire pœnitentiam tenentur. Habitum vero monasticum tibi dare meum non est, quia simplex monachus nullum Ordinem Ecclesiasticum recepi. Habes hic Metropolitam* (nempe Episcopum ad S. Severinam) *habes Episcopos & Archimandritas, qui perficient, quod expetis.* Nihilominus cum Eupraxius rogandi finem non faceret, Nilus sua manu

nu ejus capillos resecat, & præsentibus Episcopis atque Abbatibus, volentem Habitu monastico induit. Mox Præfectus ad paratum convivium omnes invitat, & quia vires suppetere videbantur, ipse suis convivis cibos ministravit. Omnia deinde, quæ possidebat, aut suis manibus pauperibus distribuit, aut Ecclesiis legavit & servos omnes manumisit, tum elapso inde triduo, contrito corde, sperans in Dei misericordiam, animam reddidit. Porro Nilum testamenti sui Curatorem constituerat, sed Vir Sanctus nolens se tot negotiis onerare, hoc officium in Metropolitanum rejecit. Sæculum X. A. C. 983.

§. X.

Alia S. Nili facta.

Sanctus Nilus permultos Energumenos liberavit, præcipiens, ut oleo a Presbyteris ungerentur, vel ut Romam ad limina SS. Apostolorum commearent. *p.* 101. Ipse vero super neminem manu sua ullum unquam Crucis signum formabat.

Quamquam animus vehementer repugnabat, horrebatque, cum sæcularibus conversari, & urbium tumultum sustinere, nihilominus, ubi offerebatur occasio, Magistratus adiens, pro populo deprecabatur, vel ut miseros ab inimicis oppressos servaret, vel ut reos pœnæ e- *p.* 107.

Sæculum X. A. C. 983.

riperet. Nec, cum ejusmodi humanitatis officia proximo suo impenderet, longa itinera pedibus suscipere, atque etiam nunc frigus, nunc calorem pro diversa aëris intemperie tolerare recusabat. Compluribus Præfectis, qui in Italiam mittebantur, ei magnam pecuniæ vim, vel ad alendam suam Congregationem, vel pauperes, dare promittentibus respondebat: *Fratres mei beati erunt secundum verba Psalmi, si labores manuum suarum manducent. Pauperes vero quererentur, vos Bona eorum vobis ipsis retinere, & me admiraretur, tanquam nihil habentem & omnia possidentem.*

p. 109.

Ps. 127.

Cum quidam Evnuchus Imperatori a cubiculis misso servulo S. Nilum, ut ad se veniret, rogasset, ait ille: *Propinquos & affines non habeo, & multa Bona possideo, quæ Deo donare & Monasterium fundare constitui. Proficiscere mecum Constantinopolim, Sanctum habitum de manu tua accipiam, & efficiam, ut apud Imperatores sicut hodie apud me familiariter diverseris.* Nilus, postquam ut assueverat pectus suum signo Crucis muniisset, Spadoni respondit: *Laudo propositum tuum, quod Deo acceptum est. Sed non expedit, me desertum meum & pauperes, qui mecum pares ærumnas sustinent, relinquere, per civi-*

civitates vagari, & negotiis implicari. An desunt Constantinopoli Monachi & Abbates, qui Monachos se fieri cupientibus habitum dare possint? Si autem putes a me & non ab alio recipiendam tibi esse vestem sacram, veni ad Congregationem nostram, & nobiscum angustam viam salutis ingredere. Evnucho mentem non mutante, discessit ab eo S. Abbas, gratias Deo agens, quod structas ab infernali hoste insidias evasisset. Sæculum X. A. C. 983.

Archiepiscopo Roscianensi fatis functo, omnibus una sententia fuit, Nilum Abbatem, nil tale cogitantem, esse occupandum, & ad recipiendam Dignitatem compellendum. Jamque Magistratus & Clericorum præcipuos iter ad cellam S. Nili ingressos quisquam antevertit, ratus se gratissimam rem Viro Sancto nunciaturum. Nilus gratias egit, jussitque etiam recedentem munusculo donari. At ipse cum uno monachorum ad interiora montis fugit, ubi a nemine inveniri potuit. Itaque Presbyteri & Senatores, qui ad Monasterium venerant, postquam diu multumque S. Virum quæsivissent & frustra expectassent, tristes regressi, alium Archiepiscopum eligere coacti sunt. *p.* 115. S. Nilus honores fugiens.

Haud diu post Saracenis in Calabria grassantibus, cum S. Nilus cum suis Mo- *p.* 120.

Sæculum X. A.C. 983.

nachis in arcem se recepissет, tres, qui ad custodiendum monasterium remanserunt, capti sunt & in Siciliam devecti. S. Vir statim deliberare cœpit, qua ratione redimi possent, & centum nummos aureos ex reditibus monasterii collectos, opera usus cujusdam fratris fidelissimi, Panormum misit cum mulo, sibi dono dato, & Epistola directa ad Emiri Notarium, virum Christianum & pium. Is acceptam Epistolam recitavit coram Emiro Domino suo, qui sapientia & virtute S. Abbatis delectatus vocatos monachos honorifice habuit, & retento sibi in amicitiæ pignus mulo ad sua remisit, reddita pecunia, & adjectis aliquot pellibus cervinis. Epistolam etiam deferendam tradidit, in qua dicebat: *Tua culpa accidit, quod Monachis tuis mala evenerint. Si enim ad me confugisses, literas tibi dedissem tutelæ meæ testes, tuncque secure in tuo monasterio remanere licuisset. Si autem huc ad nos navigare vis, ubicunque placuerit sedem tibi eliges, mihique patris loco, quem omni veneratione prosequar, futurus es.*

§. XI.

S. Nilus in Monasterio Cassinensi.

Sanctus Vir providens totam Calabriam a Saracenis vastatum iri, emigrare statuit; sed noluit in Orientem proficisci, ne

ne ingens Sanctitatis opinio, quam Græci de ipso conceperant, superbiendi occasio esset; quippe Nili fama usque ad Imperatores pervenerat. Ergo ad Latinos se convertit, quibus ignotus esse sibi videbatur. Sed in utraque Orbis parte eum Fideles ceu Apostolum colebant. Cum Capuam perveniisset, Pandolphus Princeps & præcipui Senatorum honorifice exceptum, in Episcopum sibi cooptarunt, & cogitata perfeciissent, nisi mors subita Principem rapuisset. Sed cives, Aligerno Abbate Montis Cassinensis advocato, postularunt, ut S. Viro aliquod Monasterium Cassinensi subjectum, quodcunque videretur regendum committeret. Sæculum X. A. C. 983. p. 123.

Igitur S. Nilo ad celeberrimum Monasterium Cassinense divertenti tota Congregatio usque ad radices montis, Presbyteri & Diaconi Sacras vestes tanquam in solemni festo induti, cereos & thuribula portantes, obviam processerunt. Ille eorum tam corporis quam animæ morbos omnes abstulit, atque hujus Domus pulcherrimum ordinem & Disciplinam admiratus, eam Græcorum instituto excellentiorem esse affirmavit. Tum Aligernus Abbas & monachorum præcipui Hospitem ad destinatum ipsi monasterium deducunt, nempe in Valle lucis, ubi quindecim annis fuit. Rogatus

Sæculum X. A. C. 983.

tus ab Abbate & Monachis, ut cum tota sua Congregatione ad majus Monasterium veniret, & officium Græca Lingua celebraret, primum humilitatis causa renuit, deinde vero venturum se promisit. Quare Hymno in laudem S. Benedicti, qui omnia ab eo patrata miracula complectebatur, composito, cum tota sua Congregatione Monachorum plusquam sexaginta ad montem Cassinum ascendit, ibique Vigilias cantu harmonico celebravit; complures enim e suis legere & elegantissime canere docuerat.

Officio completo monachi omnes latini, eorum Abbate licentiam dante, ad Nilum confluunt, & varias quæstiones de vita monachorum, aut de variis S. Scripturæ locis proponunt, ad quas ille ser-

p. 131. mone latino respondit. Cuidam quærenti in hunc modum: *Si semel in anno carnes comedam, ut gulæ indulgeam, quid hoc noceat?* S. Nilus reposuit: *Si toto anno valeas, & semel tantum ita cadas, ut crus confringatur, quid hoc noceat?*

Quærentibus, quid de jejunio Sab-

Rom. 14. 3. batino sentiendum esset, dixit: *Is qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non judicet. Si nos reprehenditis, quod in Sabbato non jejunemus, cavete, ne simul*

simul Columnas Ecclesiæ, S. Athanasium, S. Basilium, S. Gregorium, S. Chrysostomum & ipsa Concilia damnetis. Nos bene agimus, cum in Sabbato non jejunamus, ut oppugnemus Manichæos, qui veteris Testamenti odio illa die carnem suam affligunt; a labore autem non abstinemus, ne in hac re Judæis pares simus. Vos quoque bene agitis, si in Sabbato jejunatis, ut mentes vestras ad sanctificandam Dominicam præparetis.

Sæculum X. A.C. 983.

Aligernus Abbas Cassinensis, Majelpoti anno nongentesimo quadragesimo nono Successor, annis triginta septem Monasterium rexit, patria Neapolitanus, quondam in monasterio S. Pauli prope Romam sub Abbate Baldoino professus. Is Cassino restaurando intentus, quod a tempore Abbatis Bertharii vix satis e ruinis surrexerat, agros complures a vicinis comitibus detentos Ecclesiæ vindicavit. Unde ab adversariis contumeliis affectus, a Landulpho autem Principe Capuano defensus fuit. Ergo in terras incultas colonos immisit, Ecclesiam, & loca Disciplinæ regulari destinata reparavit, ita ut ipsius ætate Monasterium Cassinense quasi e cineribus splendidius prodierit.

Act. SS. Be. Sæc. V. p. 631.

Sup. l. LIII. §. 47.

§. XII.

Sæculum X. A. C. 984.

§. XII.

Benedicti VII. obitus. Joannes XIV. Joannes XV. Papæ.

Baro. an. 984 Papeb. cona. p. 167.

Romæ Benedictus VII. obiit die decima Julii anno 984. Indictione XII. cum annis octo & menses sex sedisset, in Basilica S. Crucis in *Jerusalem* sepultus. Benedicto substitutus est Petrus, Episcopus Ticinensis, Ottonis II. Imperatoris Archicancellarius, qui Reverentiæ causa Petri nomen mutasse, & Joannes XIV. dici voluisse creditur. Sed non ultra menses octo S. Sedem tenuit; nam Franco ante annos decem Antipapa, accepto nomine Bonifacii VII. cum Benedicti VII. mortem didicisset, Romam rediit, suorumque factione potens Joannem XIV. in S. Angeli munitionem captum detrudit, postea deponit, atque quatuor mensibus detentum fame perire, truculentus prædo, cogit.

Ita Bonifacius Papa salutatur, & S. Sedem mensibus undecim occupat, quibus exactis repentina morte extinguitur.(*) Eum

(*) Hanc fuisse violentam, quæ sequuntur, vix dubium relinquunt. Ceterum Eminentissimus Cardinalis & Natalis Alexander, Bonifacium nefarium Antipapam non mensibus undecim, sed tantum quatuor tyrannice tenuisse Sedem,

Eum vero usque adeo oderant sui, ut mortuum lanceis confoderint, nudatum pedibus raptatum, & in foro ante caballum (*) Constantini projectum, reliquerint. Ubi illuxit, quidam Clerici indecore jacentem & fœde laceratum tollunt & sepeliunt. Eligitur deinde Joannes patria Romanus, Roberti filius, qui S.Sedem tenuit mensibus quatuor, nunquam consecratus; quamobrem Pontificum Romanorum Catalogo non inseritur. Tandem in Joannis XIV. locum subrogatus est Joannes XV. & ipse patria Romanus, Leonis Presbyteri filius, vigesima quinta Aprilis anno nongentesimo octogesimo sexto consecratus, qui annis decem sedit.

Sæculum X. A. C. 986.

MS. ep. Papebr.

§. XIII.

dem, quam secundo invaserat, affirmant. Audiamus loquentem Cardinalem: *Unde parum consulunt Veritati, minusque Pietati, & S.R.E. Dignitati, qui hunc inter Romanos Pontifices referunt, annumerandum potius inter famosos latrones & potentissimos Grassatores atque Patriæ Perditores, Syllas & Catilinas, horumque similes, quos omnes superavit Sacrilegus iste turpissima nece duorum Pontificum.*

(*) Hic Cardinalis inserit Parenthesin: *Ita tempore illo antiquitatum Romanarum rudes equestrem statuam æneam Marci Aurelii Antonini Imperatoris, Constantini esse vulgo dicebant.*

Sæculum X.
A. C. 986.

§. XIII.

S. Dunſtani ſuprema.

vit. Dunſt. n. 38. Sæc. V. Ben. p. 682.

Joanne XV. in Petri Cathedra ſedente obiit S. Dunſtanus, lux Angliæ. Annis vero ante obitum ſuum quatuor Ethelwoldum Wintonienſem Epiſcopum, & Epiſcopum Roſenſem, Cantuariam ad ſe inviſentes tenerrimo lætitiæ ſenſu excepit, utpote cariſſimos clientes, a ſe nutritos, eruditos & ad ſupremos Eccleſiæ gradus evectos. Poſtquam complurium dierum ſpatium dulciſſime colloquendo transegiſſent, Archiepiſcopus abituros extra urbis portas comitatus eſt; ubi vero valedicere cœpit, obortis lacrymis & ſingultibus verba perficere fruſtra conabatur. Stupentibus Epiſcopis & immodici mœroris cauſam quærentibus, dixit: *Lugeo, quia ſcio, ſupremam utrique diem imminere.* Vera Archiepiſcopum prædixiſſe utriusque fata proxime ſecuta docuerunt; quippe Epiſcopum Roſenſem, vix in urbem ſuam regreſſum, ſubiti morbi violentia e numero vivorum delevit, Epiſcopum vero Wintonienſem, cum necdum ad ſua perveniſſet, ægritudo corripuit. Obiit prima die Auguſti anno 984. Epiſcopatus ſui vigeſimo ſecundo, ejusque memoriam Eccleſia ea ipſa die colit. Eidem Ethel-

Sæc. V. Ben. p. 607. 622. Mart. 1. Aug.

Ethelwoldo complura Opera adscribebantur, quæ ætatem non tulerunt. Sæculum X. A. C. 988.

S. Ethelwoldo defuncto lis magna de eligendo Successore inter Clericos ob corruptos mores ex Ecclesia Wintonienſi pulsos, & Monachos iisdem subrogatos exorta est, utraque parte, e suis aliquem in Episcopum esse ordinandum, contendente. S. Dunstano ferventer oranti & a Deo postulanti, ut sibi indicaretur, quis Episcopatu Wintonienſi dignus esset, S. Andreas apparuit, præcipiens, ut Elfegum, Abbatem Bathensem, huic Sedi præficeret, & consecraret. Erat Elfegus vir magnis dotibus instructus, qui posteriore tempore Dignitatem Archiepiscopi Cantuariensis consecutus est. *vit. S. Elfeg. 3. Sæc. V. Ben. p. 116. Sup. Lib. LVII. §. 30.* S. Elfegus.

In Festo Ascensionis Domini 17. Maji, anno nongentesimo octogesimo octavo, lecto Evangelio, S. Dunstanus de more ad populum dixit. Tum Missam est prosecutus, & ante Communionem solemnem Benedictionem impertitus, iterum populum exhortari, ut mentem ab his terrenis ad Cœlestia erigerent. Cumque pacis osculum dedisset, amplius, quod sciebat, silentio premere non potuit, sed cunctos rogavit, ut sui memoriam retinerent, & manifestavit, proximam esse diem, qua ex hac vita ad Deum evocaretur. Tunc vero plerisque lacrymas non tenentibus, ingens ejulatus ex- *vit. n. 42.*

Sæculum X. A. C. 988.

oritur, & quidam Sacerdos, Algarus nomine, postea Episcopali Dignitate ornatus, significavit, vidisse se ea die mane Angelos ad Dunstanum intrantes, qui denunciassent, proximo Sabbato ex hoc corpore esse liberandum.

Post prandium Archiepiscopus iterum ad Ecclesiam se contulit, & locum, in quo sepeliri cuperet, designavit. Ad conclave deinde ascendentem, ut sumpto cibo, sicut in æstate adsueverat, somnum meridianum peteret, plurimi Patrem obsequii causa deducentes e terra in aerem extolli conspexerunt. (*) Omnibus obstupescentibus ipse deinde in pavimen-

(*) Auctor vitæ S. Dunstani in Act. SS. Ben. Sæc. V. p. 667. postquam S. Archiepiscopi quamdam extasim retulit, adhibens figuras Rhetoricæ fingit, S. Virum in Cælo audivisse S. Dei Genitricem cecinisse in hæc verba:

Cantemus Domino, Sociæ! cantemus honorem.
Dulcis amor Christi personet ore pio,

& Chorum SS. Virginum respondisse:

Primus ad ima ruit magna de luce Superbus:
Sic homo cum tumuit, primus ad ima ruit.
Unius ob meritum cuncti periere minores:
Cuncti salvantur unius ob meritum.
Sola fuit mulier, patuit qua janua leti:
Ex qua vita redit, sola fuit mulier.

vimentum rursus demissus dixit: *Vidistis, quo me Deus vocet, nemo æternæ Salutis spem abjiciat, qui meis vestigiis insistere velit. In omnibus Dei voluntatem facere satagite. Non cupiatis, boni videri, sed esse, nec timeatis mali ab hominibus credi, si modo in conspectu Dei boni sitis. Prædico vobis futurum, ut gens Anglorum pessima & diu ab hostibus advenis perpetiatur. At in fine misericordia Dei superabit.* Dum talia loquitur S. Præsul viribus se destitui sentiebat, tota tamen illa die & sequente Feria sexta omnes ad se venientes, patrocinium postulantes & Benedictionem, solatio & doctrina adjuvit. Sæculum X. A. C. 988.

Sabbato decima nona Maji SS. Mysteria se præsente celebrari jussit, & accepto Viatico in ferventissima Gratiarum actione expiravit. Sepultus est in Ecclesia sua Cathedrali S. Salvatoris ante gradus, quibus ad Altare ascenditur, loco quo ipse præceperat. Luctus totius populi ingens fuit, & postea sepulchrum plurimis claruit miraculis, fideli calamo relatis ab Osberno Monacho, Sæculi sequentis Scriptore, qui primus omnium S. Dunstani vitam literis consignavit. Ipsi S. Dunstano Literarum æque ac Disciplinæ Monasticæ in Anglia Restauratori complura Scripta tribuuntur; sed de paucis constat, ipso auctore in lucem *Sæc. V. p. 681.*

Sæculum X. A.C. 989.

fuisse edita. Ecclesia diem qua obiit ejusdem memoriæ sacram esse voluit.

Mart. Rom. 29. *Maji.*

§. XIV.

S. Adalbertus Praga discedit.

Sup. Lib. LVI. §. 56. *Vitan.* 11. *Sæc. V. Act. Ben. p.* 853.

Anno sequente nongentesimo octogesimo nono S. Adalbertus Pragensis Romam venit, Pontificem consulturus, quid sibi cum grege suo refractario agendum esset. Ex quo Episcopatum susceperat, omnibus bonum exemplum præbens cuncta soliciti & sancti Pastoris Officia impleverat. Ecclesiæ reditibus in quatuor partes divisis, ut Canones præcipiunt, primam ad reparandas & ornandas Ecclesias, secundum ad Canonicos suos, tertiam ad pauperes alendos, quartam ad suos usus impendit. In omnibus Festis eleemosinas largiter erogabat, & singulis diebus duodecim pauperes nutriebat. Lectus erat in palatio magnifice stratus; sed Episcopus in nuda humo aut super cilicium cubabat, tempus somni multo arctius noctis erat, quam propemodum totam orando transigebat. More monachorum silentium a Completorio usque ad Primam alterius diei servabat. Post Primam cunctos, qui peterent, ad conspectum admittebat, deinde laborabat suis manibus, vel sedens cum Capellanis suis Sacram Scripturam legebat. Maxima erat captivorum & ægro-

ægrotorum, quos magna charitate invi- Sæculum X.
sebat, cura, Verbum Divinum assidue A. C. 989.
prædicabat, jam ovibus suis blandus, jam severus, ut Episcopum decet.

At vix ulli S. Episcopi exemplum se- *n.* 14.
quebantur, aut doctrinam arripiebant; quin plerique eo pertinacius in vitia & perniciem, a qua eos revocare studebat, ruere videbantur. Igitur Adalbertus, cognoscens, quod sibi magis obesset, quam prodesset populo, perditam gentem deserere statuit, ob tria maxime peccatorum genera, nempe Polygamiam, Clericorum conjugia detestanda, & impiam mercaturam, qua Christiana mancipia Judæis venumdabantur. Episcopo autem omnia ad iter Romam suscipiendum parante Straquazius monachus Pragam venit. Erat is Boleslai crudelis filius & *Chron. Magd. ap. Mabill. p.* 869.
Boleslai pii, tunc in Bohemia imperantis, frater, quem parens, ut S. Wenceslai cædem expiaret, S. Emmeramo Ratisbonensi tradiderat, monasticis disciplinis imbuendum. Tunc vero post elapsos complures annos Pragam veniendi facultatem ab Abbate suo acceperat, ut patriam videret, propinquos & Ducem fratrem salutaret; quem solum nactus Archiepiscopus populi sui corruptos mores vehementer deflere cœpit, scilicet conjugia incesta, divortia illicita, Clericorum ignaviam & pervicaciam, Proce-

Sæculum X. A. C. 989.

rum licentiam faſtumque intolerabilem, & tandem conceptum conſilium aperit Romam proficiſcendi, ubi cum Papa conſultaret, ad populum contumacem nunquam rediturus.

His ſubjunxit: *Quam opportune & feliciter Ducis, qui hic rerum potitur, frater es! te magis quam me venerabitur populus, quem fratris tui potentia in officio continebis. Nobilitas, ſcientia, & Inſtituti Sanctitas te Epiſcopatu dignum faciunt. Ego lubenti animo cedo, & ſummis precibus Papam exorabo, ut eum tibi me vivo conferat.* Ita locutus Baculum paſtoralem, quem manu tenebat, Straquazio tradidit. Sed ille, eo in terram abjecto, indignatione animi commotus, *nec dignus ego ſum*, ait, *nec muneri Epiſcopali idoneus, quia monachus, & ſæculo mortuus.* Cui Epiſcopus: *Scito, frater mi, te poſtmodum, quod modo, cum deberes, non vis, tuo malo facturum.*

§. XV.

S. Adalbertus Romæ.

Cum Adalbertus anno nongenteſimo octogeſimo nono Romam perveniſſet, ſuaſit conſulenti ſe Joannes Papa, ut potius rebellem populum deſereret, quam unacum grege de propria ſalute periclitari vellet. Itaque animo conſtituit,

tuit, nunquam natale ſolum reviſere, & reliquam vitam peregrinando conſumere. Prima vero cura fuit pecunias, quas habebat, omnes in pauperes diſtribuere. Illo etiam tempore Theophania Imperatoris Ottonis III. tunc in ſolio ſedentis, mater Romæ verſabatur; quæ comperto quod Epiſcopus Adalbertus profectionem ad urbem Jeroſolymitanam cogitaret, ſecreto ad ſe vocato tantam pecuniæ vim donavit, ut ad eam e terra levandam Gaudentius juvenis Adalberti frater vix ſufficeret. Volebat vero illa, ut Epiſcopus hoc auro in itinere uteretur, ſed ipſe nocte ſequente totum in egenos ſparſit. Sæculum X; A.C. 989.

Tum famulis in Bohemiam remiſſis, veſtes alienas induit, & coempto aſello, qui ſarcinas veheret, cum tribus non plus ſociis Jeroſolymam iturus, viæ ſe committit. Ad Caſſinenſes divertens humaniſſime excipitur, omnibus licet ignotus. Poſt paucos dies, Abbas Manſon, Aligerni Succeſſor, cum præcipuis Monachorum ad eum veniens jam jam diſceſſuro dixit: *Longa profectio eſt, quam moliris; animus tuus, quem colligi oporteret, in plurima & diverſiſſima diſtrabetur. Nam bonum eſt homini mundum fugere, ſed non quotidie ſedem mutare. Crede nobis, imo præceptis a Patribus noſtris traditis morem gere, &* *Chr. Caſſ. l. II. c. 17.*

Sæculum X. A. C. 989.

in uno Monasterio commorare. S. Adalbertus hanc doctrinam, velut e cœlo proficisceretur, suscipiens, in monte Cassino versari & reliquum vitæ tempus consumere statuit.

At ecce, quadam die aliquis ex Senioribus monasterii, Adalberti quidem amantissimus sed parum prudens, *Pater mi*, inquit, *optimum profecto consilium amplecteris, si hic Vestem monasticam induis, & apud nos sedem figis, cum enim Episcopus sis, Ecclesias nostras consecrabis, & ordinabis Clericos Domesticos.* Adalbertus intelligens se proditum, illico ad Monasterium Vallelucense se confert, a S. Nilo consilium petiturus, quid sibi agendum censeret. Illico cognovit S. Nilus, Adalbertum Spiritu Dei agi, atque postea dicere auditus est, nunquam se in hominem incidisse, qui ferventiore in Deum amore arsisset, quam hic juvenis. Tunc vero respondit: *Lubentissime te, fili mi, in Congregationem meam susciperem, nisi prævviderem, id nobis nociturum, tibi autem profuturum nihil. Barba mea & habitus indicant, Græcum hominem te videre & advenam. Locus, in quo degimus, ad ditionem illorum pertinet, quos tu fugis, si te recepero, ejicient me, dolebisque, te male receptaculum delegisse. Sed magis e re tua faciet, si Romam redeas, & meo nomine Leonem*

S. Adalbertus Monachus.

Leonem Abbatem ſalutes. Eum data Epiſtola rogabo, ut te in monaſterio ſuo retineat, vel certe ad Abbatem S. Sabæ dirigat.

Sæculum X. A. C. 989.

Adalbertus Romam reverſus, cum comperiſſet Leonis Abbatis Monaſterium vocari ad S. Alexium, eum virum adiit. Ille ut Spiritum probaret, primo, quod petebat, abrupte negavit, & dura ingeſſit; tum vero perſeverantem ad Papam deduxit, absque ejus conſenſu & conſilio Cardinalium nihil acturus. Tandem in Cœna Domini anno 990. neſciens, quem ſuſciperet, Novitio ſuo Sacram veſtem tradidit. Duo ex ſociis ejus, videntes quod Monachum indueret, diſceſſerunt. Solus Gaudentius ipſius frater ei inhæſit, & cum ipſo monaſticum Inſtitutum profeſſus eſt. Adalbertus vero obedientiæ & humilitatis ſtudioſiſſimus viliſſima miniſteria in monaſterio ambiebat.

Chro. Magd. MS. ap. Mabill.

§. XVI.

Libentius Archiepiſcopus Bremenſis.

Adaldago Archiepiſcopo Bremenſi anno nongenteſimo octogeſimo octavo, Indictione prima, vigeſima octava Aprilis, poſtquam annos quinquaginta tres Epiſcopatum geſſiſſet, fatis functo ſucceſſerat Libentius, vir Doctrina & omni virtutum genere ornatiſſimus. Is ex

Act. SS. Be. Sæc. VI. ex Ada. lib. II. c. 19.

Sæculum X. A. C. 989.

Italia cum Episcopo Adaldago & Benedicto V. Papa, cum in Saxoniam relegaretur, venerat, eoque meliorem neminem Adaldagus habuit, cui Diœcesis Hamburgensis Regimen committeret. Libentius itaque Pallium a Joanne Papa XV. & Baculum Episcopalem ab Ottone III. Imperatore accepit, Archiepiscoporum Bremensium primus, a Suffraganeis suis consecratus; nam eo usque Bremensem Præsulem Archiepiscopus Moguntinus ordinaverat. Sed postquam Adaldagus ab Agapito Papa potestatem Episcopos in Dania aliisque provinciis Septentrionalibus ordinandi obtinuit, ejus Successores ab Episcopis sibi subjectis consecrati fuere.

Adam. c. 50. 51. Mabill. p. 128.

Porro Libentium corrupto nomine etiam *Lievizo* dictum legimus, ut conjectura est, quia Barbari ejus nomen hoc modo eloquebantur. Castitatis amantissimus raro feminas in conspectum admittebat, jejunandi consuetudinem pallor prodebat, cumque in claustro versaretur, humilitatis studiosissimus vix ab aliis monachis discerni poterat. Nam Monachi Ecclesiæ Bremensi, sicut etiam ceteris a se fundatis, serviebant. Ecclesiæ suæ reditibus contentus, ad Regiam vix unquam proficiscebatur, nec ullis precibus Principem fatigabat. Quiete in domo sua versabatur, Diœcesi suæ regendæ,

gendæ, & lucro animarum unice intentus. Omnes Congregationes sibi subjectas ad servandam exacte Disciplinam compellebat. Ipse hospitum & ægrotantium curam gerebat, iisque suis manibus ministrabat, quamvis Hospitii regimen nepoti suo Libentio commisisset. Quamdiu regiones illæ pacatæ fuerunt, sæpe populos ultra Albim positos invisit, & munus prædicandi Paganis fideliter implevit. Sæculum X. A. C. 989.

Inter hæc Suenoni Daniæ Regi, Christianos dire persequenti, Libentius Archiepiscopus sæpe Legatos mittebat dona ferentes, quibus feram viri indolem molliret. Sed ille nulla ratione exorari potuit. Cum vero haud multum temporis effluxisset, bellum Sclavis inferens, bis ab hostibus capitur, & ad eorum Sedes abstrahitur; bisque a Danis data pecunia redimitur. Exinde Hericus Rex Sueciæ innumerabili pene exercitu in Daniam ducto, Suenonem etiam pugna navali superavit, qui victus & Regno exutus vitam fugiendo servavit. Malam sortem Paricidii & Persecutionis, qua Christianos vexaverat, pœnam a Numine immissam omnes crediderunt. Hericus Rex Sueciæ & Daniæ.

Herico itaque in utroque Regno Sueciæ & Daniæ rerum potito, Poppo Episcopus Sleswicensis ad eum, nomine Imperatoris & Archiepiscopi Hamburgensis, *Sup. Lib. LVI. §. 54.*

Sæculum X. A. C. 989.

sis, Legatus mittitur, de pace acturus. Erat Poppo vir Sanctitate clarus, qui, cum Barbari, ut solebant, miraculum petiissent, incunctatus ferrum candens arripuisse & illæsus permansisse dicitur. Quin, ut persuaderet Infidelibus, fraudem abesse, tunicam totam cera obductam induit, cui stans in medio populi ignem admoveri jussit. Tum levatis in cœlum oculis manibusque eandem flammis penitus consumi passus est, hilari vultu affirmans, ne quidem fumum sibi molestum accidisse. Hoc prodigio complura millia Infidelium ad Christum conversa, & exinde Popponis nomen inter Danos celeberrimum fuit.

Præterea illustrissimus Fidei Prædicator in Dania extitit Odincarus Senior, qui in Finonia, Zeelandia, Scania & Suecia multos Infideles convertit. Odincarus junior, ejus nepos & Discipulus, ex Regio Daniæ sanguine ortus, cum plurima latifundia possideret, de suo patrimonio Episcopatum Rypensem in Jutia fundavit. Eum Bremæ literis operam dantem Adaldagus Archiepiscopus sua manu baptizavit, Libentius deinde ipsius Successor Episcopum ordinavit, ad convertendos gentiles destinatum. Unde Odincarus Ripæ Cathedram suam erexit. Ob singularem vitæ Sanctitatem Deo & hominibus carus Religionem in Dania propa-

propagavit. Alii sub idem ferme tempus Evangelii Prædicatores in Norwegiam delati, multos ad Sacra Christiana perduxerunt. Sæculum X. A. C. 989.

§. XVII.

Russi convertuntur.

Illa etiam tempestate, nempe circa annum nongentesimum octogesimum nonum, ad Fidem conversus creditur *Vladimer* seu Wolodomirus, Russorum Princeps, primus Sacris Christianis imbutus. Is connubio sibi junxit Annam, Basilii & Constantini Imperatorum sororem, quam Ditmarus Helenam vocat, & dicit, Wolodomirum conjugis suæ hortatu fidem suscepisse, sed mores fidei haud consensisse, non enim ideo minus in amorem feminarum effusum fuisse, nec minus quam antea in suos sævum. *Voy d' Olear p. 136. Cedr. 699. C. 719. Ditm. lib. 7. p. 104.*

Ceterum tres habuit filios, quorum unus filiam Boleslai Ducis Poloniæ uxorem accepit. Porro puellam nupturam jubente Duce in Russiam comitatus est vir Sanctus, nomine *Reinbern*, Episcopus Colbergensis in Pomerania, tam virtutibus, quam Doctrina insignis, qui Idolorum templa incendit, atque ut superstitionem, qua mare Dæmonibus fuerat consecratum, aboleret, aquam benedictam, lapidesque quatuor, a se Chrismate

Sæculum X. A. C. 989.

mate (*) Sacro inunctos, injecit. Rigidam ſervabat abſtinentiam, multum vigilabat, ſilentii amantiſſimus. Verum cum ad Wolodomirum delatum fuiſſet, filium ſuum, ſtimulatum a Boleslao Socero ſuo, Duce Poloniæ, ſeditionem moliri, eum cuſtodiæ tradi juſſit cum Principe conjuge, & *Reinbern* Epiſcopo, qui in carcere orationi continuo intentus obiit.

Rex Wolodomirus magnis eleemoſynis peccata ſua redimere conatus, cum ad ultimam ſenectutem perveniſſet, mortem oppetiit. Sepultus eſt Kioviæ, ampliſſima civitate, in Eccleſia S. Clementis prope Conjugis ſuæ corpus, tumba in medio Eccleſiæ elevata. Moſcovitæ ſeu Ruſſi hunc Principem Sanctis ſuis annumerant, Gentis ſuæ Apoſtolum venerantur, ejusque memoriam decima quinta Julii colunt. Quamvis enim Fidei Chriſtianæ prædicatio ad Ruſſos ſæculo ſuperiore, Ignatio Patriarcha Sedem Conſtantinopolitanam tenente, perveniſſet, nihilominus ab his populis circa annum nongenteſimum quadrageſimum barbare in Chriſtianos ſævitum fuiſſe legimus, præſertim in Presbyteros, quorum capita clavis perfodiebant. Inde eſt, quod Chriſtianæ Religionis origo & totius Gentis con-

Epheme. ap. Boll. to. 12.

Sup. lib. X. ſ. 56. *l. II. ſ.* 19. *Cedr. p.* 630.

(*) Nempe, ut ſic JEſu Chriſto, qui vere eſt Unctus Domini, reſtitueretur.

conversio non altius quam a regno Wo- Sæculum X.
lodomiri sub finem Sæculi X. repetatur. A. C. 989.
Ceterum Russi in officiis Divinis Ritum
Græcorum semper servarunt. (*)

§. XVIII.

(*) Constat Russos tam anno 961. quam sub finem hujus Sæculi X. a Prædicatoribus in Communione Ecclesiæ Romanæ existentibus Fidem Christi accepisse, & postea, cum Græcorum Ritu uterentur, etiam funesto Schismate fuisse involutos. Præsentem vero Ecclesiæ in Russia seu Moscovia faciem cognoscere licet ex Libello anno 1717. Petro I. Moscovitarum Cæsari, cum Parisiis versaretur, a Doctoribus Sorbonicis, de reconcilianda Ecclesia Russorum cum Romano-Latina, præsentato, quem R. P. Desing ex Libro: Das veränderte Rußland, in sua Auxil. Hist. Tom. IV. inseruit, ubi hæc leguntur: *Profitetur nobiscum Ecclesia Ruthena* (Russorum) *Supremæ Dei Majestatis unitatem & trium Sanctissimæ Trinitatis Personarum consubstantialitatem, atque veterum juxta ac recentiorum Arianorum Blasphemias aversatur . . . . Profitetur nobiscum instituta a Christo in Ecclesia septem Sacramenta, panem & vinum in Altaris incruento Sacrificio substantialiter converti in Corpus & Sanguinem Christi, & in Eucharistia realiter præsenti Christo Domino supremum Latriæ cultum impendit. Colit nobiscum & invocat Beatissimam Virginem Deiparam, Sanctosque . . . . Et quidem ad infausta usque Cerularii* (Patriarchæ Constantinopolitani anno 1042.) *tempora pacem & concordiam, diversæ quam-*

Sæculum X.
A. C. 989.

§. XVIII.

Hugo Capetus Rex Franciæ.

In Francia intra paucos annos ingens rerum viciſſitudo ſucceſſerat. Rex Lotharius ſecunda die Martii anno nongenteſimo octogeſimo ſexto, ætatis quadrageſimo quinto, poſtquam ab obitu parentis ſui annis triginta & uno regnaſſet, ex hac vita decedens, Succeſſorem

Chro. Alber. 986. 987.

---

quamvis obſequens Diſciplinæ, Oriens Occidensque ſervabat .... Nihil igitur obſtabit, quo minus ſuam ſibi quoque ſervare poſſit Eccleſia Ruthena Diſciplinam, adeoque in pane fermentato offerre, dummodo contrariam praxin non improbet .... Præcipuæ tamen hac in parte difficultates evaneſcent, ſi ſublatis ambagibus res ipſa dilucide & conciſe proponatur. Docemus imprimis Epiſcopos jure Divino Succeſſores eſſe Apoſtolorum & Chriſti Vicarios: Romanumque Pontificem, qui legitimus eſt S. Petri Succeſſor, jure itidem Divino primum Epiſcoporum eſſe ac primum Chriſti Vicarium, eoque nomine unitatis centrum ac Communionis viſibile vinculum: ex quo habet Apoſtolica ejus Sedes potentiorem Principalitatem, ut loquitur S. Irenæus, quam quælibet alia ſingulatim Sedes... Quid demum obeſſet, quo minus Ruſſi cum Latinis in concordiam adducerentur? num illorum de proceſſione Spiritus S. ſententia?... primum quidem profitetur Eccleſia Ruthena Spiritum

rem reliquit Ludovicum filium, annos ferme octodecim natum, qui post quindecim mensium Regnum secunda Junii anno nongentesimo octogesimo septimo improlis obiit. Eum Ludovicum inertem dixerunt, quod nihil memoratu dignum gesserit. Superstes vero erat Ludovici patruus, nomine Carolus, Ludovici Ultramarini filius, ad quem Regnum Franciæ jure sanguinis & hæreditatis spectabat. Sed invisum se fece-

Sæculum X. A. C. 989.

Chro. Vird. p. 137.

ritum S. procedere a Patre per Filium; Latina vero Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere. Extat hæc utraque loquendi ratio apud Sanctos Patres, quorum Auctoritatem Ecclesia utraque reveretur. Observant SS. Basilius M. &c. Gregorius Theologus, unum quid & idem sonare ista duo ἐξ & διὰ DE & PER unde prædictas locutiones in eandem plane sententiam concurrere docent insigniores Theologi. In prima pagina hujus Libelli legitur: *Quibus responsum* (nempe Doctoribus Sorbonæ) *dedit humanissimus Imperator, intercedere quidem inter utramque Ecclesiam aliquot dissensionis capita, quorum duo indicavit: suum vero non esse lites istas componere, ut qui homo sit studiis rei militaris, variisque regni regendi occupationibus deditus. Ceterum si cum Ecclesiæ suæ Episcopis rem scripto conferre voluerint Doctores Sorbonici, facturum se auctoritate sua, ut illos ad rescribendum adducat.*

Sed nihil factum.

Sæculum X. A. C. 988

fecerat Optimatibus, quod relicta Francia Ottoni Imperatori ab obsequiis esset. Itaque Regem salutant Hugonem Capetum, Comitem Parisiensem, Hugonis Magni filium, nepotem Roberti, qui Caroli Simplicis ætate regnaverat, & Roberti Fortis pronepotem. Ita in Francia Stirps Regum secunda imperare desiit, & tertia Solium conscendit, quod hodieque obtinet. (*) Hugo Capetus annos vitæ circiter quadraginta septem numerabat, cum Novioduni Rex electus, atque Remis tertia Julii anno 987. ab Adalberone Archiepiscopo consecratus est. Regnavit vero annis decem. Prima Januarii anno sequente 988. Filium quoque suum Robertum, octodecim annorum juvenem, coronari jussit, quo ei Regnum assereret.

Sup. l. LIV. §. 17.

§. XIX.

(*) Unde inter omnes Regales Familias in Europa Reges Franciæ antiquitatis prærogativa gaudent. Ceterum si Franci ad jus sanguinis respicere voluissent, haud dubie ad Carolum Regis Lotharii Fratrem Successio spectabat. Sed nempe totius Nationis consensu Caroli Magni posteri, primum a Germanis & deinde a Francis Occidentalibus Regno exuti sunt, eo modo, quo Pipinus Caroli Magni parens, Reges ex linea Merovingica originem ducentes, deturbaverat. Fleur. Lib. XLIII. §. I.

§. XIX.

Sæculum X. A. C. 989.

Arnulphus Archiepiſcopus Remenſis.

Lotharius Rex ex amica filium naturalem genuerat nomine Arnulphum, tunc cum Pater moreretur, Clericis Eccleſiæ Laudunenſis adſcriptum. Hic princeps indignatus, quod Hugoni Capeto regnum obtigiſſet, revocato in Franciam Carolo, patruo ſuo, civitatem Laudunenſem ejusque Epiſcopum Adalberonem prodidit. Quamobrem in Synodo Epiſcoporum Galliæ condemnatus eſt. Sed ecce, Epiſcopus Laudunenſis e carcere fuga evadens ad Hugonem ſe confert, eique Arnulphum reconciliat, cui Rex, ut rebellem ſibi devinciret, Archipræſulatum Remenſem, Adalberonis Archiepiſcopi obitu vacantem, contulit. Ceterum Arnulphus ſecundum Canonum præſcriptum electus eſt ab Epiſcopis illius provinciæ, Clericis populoque Metropolitanæ congregatis, Hugone & Roberto Regibus conſentientibus, quibus, datis literis, fidem juravit.

Clro. Vird. p. 137.

tom. 9. Conc. p. 734. Gerbert. ep. 1.

Verum, non multo poſt tempore Carolus Princeps, quodam Presbytero, cui nomen Adalgerus, civitatem prodente, Remos capit ipſumque Arnulphum, quem cum patruo colluſiſſe, & volentem fuiſſe cuſtodiæ traditum, plerique ſuſpicati ſunt. Ille, ut ſe purgaret, Excom-

to. 9. p. 735.

Sæculum X. A.C. 989.

municationis Decreto in lucem edito diris omnibus illos devovit, qui Eccleſiam & civitatem Remenſem diripuerant, donec ablata reſtituerent. Epiſcopi quoque Provinciæ Remenſis, exemplum ſecuti, Silvanecti Synodice congregati Decretum condiderunt, quo Eccleſiæ Cathedrales Remenſis & Laudunenſis interdicebantur, nam & iſta ſpoliata atque Epiſcopus male affectus fuerat. Nominatim vero anathema dixerunt Adalgero Presbytero, proditionis Auctoribus & Conſciis, donec ad pœnitentiam adducerentur. Hanc ſententiam aliis deinde aliarum provinciarum Epiſcopis transmiſerunt.

At Adalbero Epiſcopus Laudunenſis mira viciſſitudine hanc civitatem, Ducem Carolum, & Archiepiſcopum Arnulphum, qui in ea munimenta ſe receperant, in poteſtatem Regis Hugonis tradidit. Tunc vero Hugo efficere conſtituit, ut in Arnulphum ab Epiſcopis ſuæ provinciæ canonice ſententia pronunciaretur. Cumque ſciret, Hebertum III. Comitem Veromanduenſem legatos Romam miſiſſe, qui cauſam Arnulphi agerent, ipſe quoque menſe Aug. anno 990. nuncios cum mandatis eo delegavit. Ad Hebertum vero ideo hæc cauſa pertinebat, quia Dux Carolus Agnetem ipſius propinquam in matrimonium accepe-

Conc. Rom. c. 27. tom. 9. Conc. p. 737.

rat.

rat. (*) Igitur Rex Hugo datis ad Pon- Sæculum X.
tificem Maximum literis de perfidia Ar- A. C. 990.
nulphi querelas movet. *Is violato sacramento*, inquit, *quo se mihi obstrinxit, quodque Nobiles & cives mihi præstare compulit, hostibus portas aperuit, cujus rei certissimi testes sunt, Clericosque & populum sibi commissum latrociniis & captivitati objecit. Quod si, ut videri vult, invitus captus est, cur cives & milites datam fidem violare cogit? cur arma contra nos comparat; cur urbem atque arces munit? si captivus est, cur non patitur se liberari? si liber, redeat ad Regiam meam, quo vocatur. Invitatur ab Episcopis Collegis suis, & respondet, quod nihil ipsis debeat. Tu ergo, qui vices Apostolorum geris, decerne, quid de altero hoc Juda fieri oporteat, ne forte tuo silentio offensi & justo dolore impulsi, urbis excidium, totiusque provinciæ moliamur incendium.*

Episcopi Provinciæ Remensis quoque data ad Papam epistola, jubente ut conjicere est Rege, excusabant, quod longe positi & multitudine tyrannorum oppres-

(*) Hunc Carolum neutiquam libere renunciasse juri suo, sed avitum regnum sibi vindicare omnibus viribus conatum fuisse, exploratum est. Ceterum filium habuit nomine Ludovicum in quo Stirps Carolina extincta est.

Sæculum X. A. C. 990.

si, non maturius de calamitatibus Ecclesiæ suæ ad Sedem Romanam perscripsissent. Tum de Arnulpho Archiepiscopo dicunt: *Qui, filius quondam Ecclesiæ Laudunensis, ejusdem Episcopum perfide circumvenit, & civitatem invasit. Proprium deinde Ecclesiam Remensem cum Clericis & populo captivitati addixit. Non eum movet nostra invitatio, non Archiepiscoporum Fratrum suorum admonitio, non quod ipse præstitit, juramentum. Ipsius vitio complures Ecclesiæ Pastoribus suis sunt destitutæ, innumerabiles populi sine Episcopali consecratione & benedictione pereunt. Condemna ergo, Sancte Pater, quem tota Ecclesia condemnavit. Tua nobis Auctoritas in Apostatæ hujus dejectione, & in novi Archiepiscopi Electione suffragetur.* Ex hac epistola cognoscimus, non petiisse Episcopos, ut Papa causam hanc Romæ, ubi nec Actor, nec Reus erant, judicaret, sed eam in ipsis locis secundum Canones finiri permitteret.

p. 738.

§. XX.

Initia Gerberti.

Nullius in his turbis majores partes fuere quam Gerberti Abbatis, qui se in Archiepiscopatu Remensi Successorem ab Adalberone designatum dicebat. Is humili loco in Aquitania, id est, Alvernia natus,

Gerbert. ep. 152. *Chron. Vird. p.* 137.

tus, & in Monasterio S. Geraldi Aurilia- Sæculum X.
ci educatus, Raymundum, postmodum A. C. 990.
illius loci Abbatem, Magistrum nactus *Glab.* 1. c. 4.
est. Primis Grammaticæ elementis im- *Chro. Auril.*
butum, Geraldus S. Sereni, Abbas Au- *to.* 2. *Anal.*
riliacensis numero quintus ad Borelum, *p.* 241.
Comitem Barcinonensem misit, a quo cuidam Episcopo, Nomine Haitoni, traditus studiis Mathematicis egregiam operam navavit. Tum Episcopum & Comitem Borelum Romam proficiscentes secutus sæpius in conspectum Ottonis Imperatoris pervenit. Cum inde ab Archiepiscopo Adalberone, tunc in Italia versante, Remos fuisset deductus, rursusque anno sequenti Romam ambo petentes in itinere Imperatorem Ticini habuissent, in cujus Regia Otricus, illa ætate scientiæ fama inter Saxones celeberrimus, commorabatur, ipse & Gerbertus cum compluribus aliis viris eruditis, jubente & præsente Imperatore doctum de diversarum scientiarum materia colloquium instituerunt. *Sup. l. LVI. §.* 55.

Otto II. Imperator Gerberto celebrem Abbatiam Bobiensem, a S. Columbano fundatam, contulit, quam Dona- *Sup. lib. XXXVII. §.* 8.
tionem, a Clericis populoque approbatam, confirmarunt Episcopi & Pontifex, *Gerb. ep.* 23.
qui eum Benedictione Abbatiali consecravit. Sed ea Dignitate auctus indo- *Ep.* 14. *Ep.*
luit, quod amplissima Monasterii Bona 1. 2. 3. 4.

Sæculum X. A. C. 990.

partim Principum indulgentia, partim Optimatum vicinorum invasione usque adeo essent distracta, ut monachi ad mendicitatem redigerentur. In suis epistolis Gerbertus præter alios de Petro Episcopo Papiensi conqueritur, quod Abbatem Bobiensem apud Imperatorem (nam Cancellarii munere fungebatur) laudibus extolleret, dum interim ejusdem Abbatiæ prædia diriperet. Postea vero, cum idem Episcopus ad Dignitatem Papalem fuisset evectus, Joannes XIV. dictus, Gerbertus nihilominus oblato libello querelas movit.

ep. 5.

ep. 14. 23.

Ottone II. fatis functo, cum Dominum non haberet Italia, & Gerbertus intelligeret, vel pluribus modicis tyrannis turpi servitute parendum esse, vel contrahendum militem, muniendas urbes, denique arma armis & bellum bello depellendum, jure Abbatiali sibi reservato, illam Regionem & maximam supellectilis suæ partem reliquit, Remos in Franciam ad Archiepiscopum Adalberonem se recepturus. Quo ubi pervenit, nunquam non Ottonis III. Imperatoris, Matris ipsius Theophaniæ & Aviæ Adelheidis partibus favit, & Archiepiscopum adjuvit, causam juvenis Imperatoris contra Henrici Ducis Bavariæ, & Lotharii Regis Franciæ molimina defendentem; id

Gerbertus in Francia.

ep. 9. *bis.*

ep. 20. 33. 42.

id enim ex epistolis, quas tum suo, tum Adalberonis nomine, Norgero Episcopo Leodiensi, Theodorico Episcopo Metensi, Ecberto Archiepiscopo Trevirensi, Willegiso Archiepiscopo Moguntino, aliisque scripsit, dispicimus. Sæculum X. A. C. 990.

Tot negotiis occupatus Gerbertus nihilominus scientias strenue excolebat. Scholæ Remensi præerat, atque Robertum juvenem, postea Regem, Hugonis Capeti filium, a matre sua, ut tanto Magistro uteretur, missum inter Discipulos suos numeravit. Libros, unde unde posset, colligebat, ut tandem Bibliothecam compararet. Romæ, in tota Italia, in Germania, & Belgio, ubi tunc degebat, multum auri profundebat in Scriptores librorum, & ope amicorum suorum exemplaria optimorum Auctorum coemebat. Illi vero, quos in suis epistolis nominat, sunt Plinius, Eugraphius, Julius Cæsar, Suetonius, Q. Aurelius, Cicero, Victorinus Rhetor, Statius, Claudianus, Dialectica & Astrologia Boetii, Manilius, Hispanus aliquis nomine Josephus, qui de Arithmetica scripserat, quidam Medicus nomine Demosthenes, qui de morbis oculorum elucubrationes ediderat. Ipse librum de arte bene dicendi scripserat, & suis manibus sphæras confecerat, quas tanquam opera prorsus

Helgald. vit. Rob. init. *Ed.* 24. 44. 72. *Ep.* 7. 4. 8. 17. 25. 40. 96. 113. 130. 148. *ep.* 92. *ep.* 134. 17, *bis.*

Sæculum X. A. C. 990.

singularia dilaudat. Medicinam quoque non ignorabat.

Inter Gerberti Epistolas occurrit aliqua, nomine Archiepiscopi Adalberonis ad Imperatricem data, in qua illa rogatur Gerberto exploratæ fidei servo suo Episcopatum, qui forte vacaverit, conferre. Unde intelligimus, Gerbertum altiora cogitasse. In alia autem epistola affirmare non dubitat, se ab Adalberone, consentientibus omnibus Clericis, omnibus Episcopis, & non nullis Vasallis, Successorem ipsius fuisse nominatum. Nihilominus se se partibus Arnulphi addixit, cujus nomine scriptas a Gerberto literas aliquot habemus. Causæ Ducis Caroli patrui ejus favere videbatur, auditus dicere, ipsum, Lotharii Regis legitimum hæredem, ab avito regno summa injuria pelli. Quin etiam, communicatis cum Arnulpho consiliis, Carolo civitatem Remensem tradidit. Sed postea eum facti pœnitentia subiit; nam publice Arnulphi amicitiam abjecit, data epistola professus, se jam alteri Domino, nempe Hugoni Capeto, fidem dare, & velle, ut salvum sit sibi jus suum in supellectilem & domos, quas in urbe Remensi ædificaverat. Unde etiam non nullæ epistolæ a Gerberto nomine Regis Hugonis scriptæ extant. Talis erat Abbas

ep. 117.

ep. al. 2. 3.

ep. 10.

ep. 13. 18.

ep. 24.

ep. 107. 111. 119.

bas Gerbertus, quem ad ſupremas Eccleſiæ Dignitates evehi videbimus. (*) Sæculum X. A. C. 991.

§. XXI.

Concilium Remenſe.

Idem Gerbertus Hiſtoriam Concilii Remenſis, in cauſa Arnulphi Archiepiſcopi anno nongenteſimo nonageſimo primo, Indictione quarta, anno Regum Hugonis & Roberti quinto celebrati, ſcripſit. Aderant Epiſcopi ſex e provincia Remenſi, videlicet, Guido Sueſſionenſis, Adalbero Laudunenſis, Herveus Belovacenſis, Gotesmannus Ambianenſis, Ratbodus Noviodunenſis, Odo Silvanectenſis. Ex provincia Bituricenſi, Daibertus Archiepiſcopus. Ex provincia Lugdunenſi Gualterus Epiſcopus Auguſtodunenſis, Bruno Lingonenſis, Milo Matisconenſis. Ex provincia Senonenſi, Seguinus Archiepiſcopus, Arnulphus Epiſcopus Aurelianenſis & Hebertus Antiſſiodorenſis, Epiſcopi univerſim tredecim. *Edit. Franc of.* 1600.

Daibertus ſeu Dabertus, anno nongenteſimo octogeſimo ſeptimo Archipræſulatum Bituricenſem conſecutus, illam Sedem annis viginti quinque tenuit; eum- *Patriarch. Bitur. c.* 56.

(*) Hic prævie notandum, Gerbertum poſtea ad Pontificatum Romanum perveniſſe, accepto Silveſtri II. nomine.

Sæculum X. A. C. 991.

eumque Scientia & virtus commendarunt. Ipso sedente complures Ecclesiæ, quondam monasteria a proceribus occupata & collapsa, restitutæ sunt, atque in Capitula Canonicorum Sæcularium, qualia sunt S. Ursini, S. Ambrosii, S. Petri vulgo *le Pueillier* & S. Mariæ *de Sales*, conversæ.

Chr. S. Ben. to. 1. Spicil. p. 4. 19. Elog. tom. 1. Bibl. Lab. p. 657.

Bruno Episcopus Lingonensis, Renaudi Comitis Ruciacensis & Albradæ Lotharii Regis Franciæ Sororis filius, Clericis Ecclesiæ Remensis adscriptus erat, quando Rex patruus ei Episcopatum Lingonensem contulit. A Burchardo Archiepiscopo Lugdunensi anno nongentesimo octogesimo primo consecratus omnibus Boni Pastoris officiis gnaviter defunctus est. Præprimis restaurandis monasteriis intentus, hanc Ecclesiam annis triginta quinque rexit.

Hist. Episc. Antiss. c. 47. ibid. p. 446.

Hebertus Episcopus Antissiodorensis, Regis Hugonis frater, Ducis Hugonis Magni filius, ex stupri consuetudine cum amica Raingarde genitus, more Principum vitam ducebat, venationi ceterisque voluptatibus deditus. In Ditione Ecclesiæ suæ duo condidit munimenta, unde multæ in posteros calamitates fluxere. Ceterum compluribus beneficiis Clericos, & majoribus Monachos cumulavit. Ecclesiæ vero Antissiodorensi annis viginti quinque præfuit.

Con-

Sæculum X. A. C. 990.

Concilio Remenſi Abbates quoque complures interfuere. Seguini vero Archiepiſcopi Senonenſis ætati datum, ut toti conventui præeſſet, & Arnulpho Epiſcopo Aurelianenſi, qui Epiſcoporum Galliæ doctiſſimus & eloquentiſſimus habebatur, commiſſum, ut agenda omnia in Concilio dirigeret, & proferenda exponeret. Nempe Concilii promotor conſtitutus eſt. Locus Seſſioni delectus eſt Eccleſia Monaſterii S. Baſſoli, quatuor Leucis ab urbe Remenſi poſiti, & dies decima ſeptima Junii fixa. Perlectis libellis Epiſcoporum ſe excuſantium, quod ad Concilium ire non poſſent, Arnulphus Epiſcopus Aurelianenſis omnes hortari cœpit, ut depoſitis pravis affectibus, libere tamen, agerent. Tum cauſam in hac Synodo pertractandam expoſuit in hunc modum: *Solicito animo mihi perpendenti, qua potiſſimum ratione Eccleſiæ meæ pax reduceretur, inſolens nuncium affertur, nobiliſſimam urbem Remenſem quorumdam proditione fuiſſe captam, & graſſatores ne rebus Sacris quidem peperciſſe. Arnulphus Archiepiſcopus, cujus fuiſſet civitatem cuſtodire, tantæ cladis auctor dicebatur; unde non nulli ad omnes Epiſcopos pertinere probrum affirmare audebant. Hodie vero cum Sereniſſimi & Zeloſiſſimi Regis Hugonis, Domini noſtri, nutu congregati ſimus, accurate inquiramus,*

Arnulphus Aurelianenſis. *Conc. Rem. c. 2.*

Sæculum X. A. C. 991.

mus, an Arnulphus Frater noſter objecta ſibi facinora, inprimis crimen læſæ Majeſtatis, diluere poſſit. Quippe unius proditionis infamia omnes involvimur. Si Epiſcoporum Ordo venerabilis, inquiunt adverſarii noſtri, juſtis legibus regitur, ſi Regi ſuo fidem ſervat, cur a viro exitialis flagitii reo pœnas non exigit? hac lege ſcilicet Epiſcopi vivere cupiunt, ut a cunctis legibus, quibus ceteri homines ſubjiciuntur, ipſi exempti ſint. Abſit, Fratres, abſit a nobis nocens licentia! neminem contra leges defendamus, vel damnemus. Audiamus viros optime conſcios eorum, quæ facta ſunt, aut querelas afferre volentes. Audiamus Partem utramque & deinde ſecundum Canones judicemus.

Tunc vero Seguinus Archiepiſcopus Senonenſis dixit: *Non patiar cauſam Epiſcopi, læſæ Majeſtatis accuſati, prius diſcuti, quam fides detur, fore, ut ſupplicio eximatur, ſi convictus fuerit.* Simulque Canonem trigeſimum primum quarti Concilii Toletani legi juſſit, in quo ſub pœna Depoſitionis Epiſcopis prohibetur, ne ex mandato Principis de crimine læſæ Majeſtatis cognoſcant, niſi vitæ gratiam promittat. Daibertus Archiepiſcopus Bituricenſis idem cum Seguino ſentiebat. Sed Herveus Epiſcopus Belovacenſis dixit: *Cavete, Fratres, ne*

c. 3.

Suv. lib. XXXVII. §. 49.

ne Sæculares, inde occasione arrepta, Judicia Ecclesiastica antevertant, & nos ad sua tribunalia trahant, nunquam enim crimina relinqui impunita ferent. (*)

Sæculum X. A.C. 991.

§. XXII.

Querelæ contra Arnulphum Archiepiscopum motæ.

Bruno Episcopus Lingonensis dixit: *Neminem magis quam me hæc causa tangit, neminem magis ludibrio dignum omnes existimant. Exprobrant, me impellente Arnulphum in præcipitium fuisse dejectum, cum me pro ipso, probis omnibus rem mihi frustra dissuadentibus, vadem obtuli. Nempe movebar beneficiis a Rege Lothario acceptis, sanguinis etiam propinquitate movebar. Quamobrem licet certissime scirem, Arnulpho Duce Laudunensem civitatem fuisse occupatam, eundemque tantæ audaciæ factionis auctorem esse,*

(*) Rarissima exempla Historia tradit; Episcopos a Regibus Romano Catholicis ultimo supplicio fuisse affectos. Si forte illud excipias, cum Rex Franciæ Henricus III. anno 1588. omissa legitimi Judicii via Ludovicum Guisium, Cardinalem Lotharingiæ, trucidari jussit. P. Def. Aux. Hist. tom II. Atque illud Martinusii Episcopi Waradinensis & Cardinalis jussu Regis Ferdinandi I. anno 1551. in Hungaria per insidias interfecti. Thuan. hist. lib. 9. Fleur. tom. XXX.

Sæculum X. A. C. 991.

esse, nihilominus seditiosum, si meo suffragio in istam Dignitatem (nempe in Remensem Archipræsulatum) *assereretur, ad officium revocari posse speravi. Sed percipite, quanta mihi pro acceptis beneficiis mala reddiderit. Cum se captivum simulavit, in veram captivitatem conjecit Gilbertum fratrem meum unicum. Guidonem agnatum, aliosque, quorum, amicitiam bonori mihi ducebam. Me ipsum in extremum mortis periculum adduxit, jamque impudenter negat, quod nemo nescit. Exploratissimum est, quod præsentibus Episcopis, Clericis & populo Sacramento se obstrinxerit, se Regibus contra Carolum omnibus viribus servituc. 6. rum, nec ope, nec consilio eorum inimicos adjuturum, nec istud juramentum, ob quodcunque aliud, a se prius alteri præstitum, violaturum. An vero hostis Regum non erat Carolus, qui Regnum invadere conabatur? an hostes non erant Rogerius & Manasses, qui ejus Clericos & populum ex ipsius Ecclesia immissis armatis captos abstraxerant? hos autem Arnulphus amicorum præcipuos & arcanorum omnium conscios habet, hos spoliis illorum, qui ipsum Archiepiscopum elegerunt & ordinarunt, locupletavit.*

Tum Gotesmanno Episcopo Ambianensi Brunonem rogante, ut mentem suam aperiret de Quæstione, an Episcopi

pi rei futuri essent effusi sanguinis, si Ar- Sæculum X.
nulphus damnaretur. Respondit Bru- A. C. 991.
no: *Est mihi etiamnum ratio domestica, cur Arnulpho parcam, nempe memoria, Regis Lotharii, Avunculi mei, a quo est genitus.* Resolvit deinde, sua quidem opinione adornandum esse judicium; postea enim facili negotio vitæ gratiam a Regibus impetrari posse, ne Episcopi effundendi humani sanguinis causam posuisse viderentur. Mox adjecit: *Ingrediatur ille Presbyter, qui portas civitatis Remensis aperuit, & dicat, cur & quomodo istud perfecerit.*

§. XXIII.

Argumenta adversus Arnulphum.

Ratbodus Episcopus Noviodunensis petiit, ut inprimis formula juramenti, quo se Arnulphus Regibus obstrinxerat, inspiceretur, tum quod ea sola ad ipsum convincendum sufficeret, tum quod Lotharingi dubitarent, an istud Sacramentum præstiterit. Illa ergo formula in c. 7.
Concilio publice recitata, cum deinde
Adalgerus Presbyter intrasset, in hunc c. 8.
modum locutus est: *Dudo Caroli Vasallus ille est, cujus insidiis in proditionis communionem pertractus sum. Quærenti, cur mea Sacerdotis opera uti vellent, ad prodendos Dominum meum & Episcopum meum, amore Caroli, cui nullo fæde-* c. 11.

Sæculum X. A. C. 991.

re junctus essem, respondit, me utique rerum experientia didicisse, quam ignavi & negotiis inepti essent plerique mortalium, adjecitque adulator, me ad rem tantam prudentia & constantia a natura præditum. Tandem Dominum meum (id est Arnulphum Archiepiscopum) *istud præcipere, atque hoc obsequium a me expectare, a quo hæc mandata accepisset. Nolui in tantæ audaciæ facinore alteri fidere, sed ipsum Archiepiscopum adii, ex cujus ore accepto mandato, cum eum teneerrimo affectu complecterer, in meam perniciem irrui. Ut perfido facto saltem honestatis colorem illinerem, Carolo fidem juravi. Verum solius Archiepiscopi jussu claves apprehendi & portas civitatis aperui. Si quis verbis meis fidem non habeat; ignem, aquam ferventem, ferrum candens adhibeat.*

Porro postulante Odone Episcopo Silvanectensi, in Concilio lectum est Decretum Excommunicationis ab Arnulpho Archiepiscopo contra grassatores, qui urbem & Ecclesiam Remensem expilaverant, pronunciatæ. Hoc perlecto, Guido Episcopus Suessionensis subjunxit: *Omnes Ecclesiæ Remensis Episcopi Suffraganei, Silvanecti congregati, dilectæ Matris nostræ calamitates deflebamus. Metropolita noster cum Clericis & populo in potestatem inimicorum incidisse dicebatur, sed etiam simula-*

c. 12.

te

tæ captivitatis fama aures noſtras pulſa- Sæculum X.
bat. Itaque conſenſu unanimi perfidis & A. C. 991.
conſciis anathema diximus. Hujus quo- *Sup. §. 19.*
que anathematis formula in Concilio perlecta, Seguinus Archiepiſcopus Senonenſis dixit: *An Decretum hujus Anathematiſmi ad Arnulphum delatum eſt?* *c. 15.*
Et reſponſum, quod delatum fuiſſet. Tum Seguinus: *An ab eorum Communione receſſit, quos juxta ſententia damnatos ſciebat?* Reſponſum: *Minime gentium, ſed eos ad omnia Sacra, in quibus Fideles communicant, admiſit.*

Rurſus Seguinus: *Audacia hominis obſtupeſcenda! ipſe illos excommunicavit, qui ſuam ſpoliaverant Eccleſiam, usque dum rapta reſtituerent, & in facie Eccleſiæ ſua humilitate emendarent, quod pervicacia peccaverant. Nihilominus Fratrum noſtrorum aliqui mihi ſignificarunt, pauciſſima vel omnino nihil fuiſſe reſtitutum, & neminem pœnitentiam publicam ſubiiſſe. Nam pœnitentia ſecreta delictorum publicorum nulla eſt.* Tum Seguinus Caput decimum Concilii duodecimi *tom. 6. Conc.*
Toletani contra illos, qui Eccleſiarum li- *p. 1234.*
bertatem violant, adduxit. Iterumque adjecit: *Attamen Arnulphus eos abſolvit. Quæro, quomodo eos ſine conſenſu Clericorum ſuorum, tunc, cum eosdem excommunicavit, præſentium, abſolvere potuit? nam in Concilio Carthaginenſi ca-*

Sæculum X. A. C. 991.

pite vigesimo tertio legimus, nullam causam ab Episcopo sine consilio Clericorum suorum esse discutiendam, quibus inconsultis solius Episcopi sententia esset nulla. Itaque Arnulphus tot criminum reus Sacra Mysteria in Ecclesia a Fratribus nostris interdicta celebrare ausus est! Legantur, si placet, Canones de hac materia agentes, ut Arnulphum non a nobis, sed a Patribus damnari omnes cognoscant.

Conc. Carth. IX. tom. 2 Conc. pag. 1202.

Lectus deinde est Canon quartus Concilii Antiocheni, item duo alii ex quodam Concilio Carthaginensi contra illos, qui spreto Interdicto aut excommunicatione officio Sacerdotali defungi audent, & contra Episcopos, qui fidem publice datam fallunt. (*)

§. XXIV.

Arnulphus defenditur.

c. 17. 18.

Tunc vero Arnulphus Episcopus Aurelianensis dixit, si qui adessent, qui causam Arnulphi Archiepiscopi defendere vellent, æquum esse, ut audirentur. Mox Seguinus Archiepiscopus Senonensis nomine totius Concilii jussit, quemlibet pro Arnulpho liberrime eloqui. Cum istud effatum omnibus Episcopis probaretur, ex præsentibus obstupuerunt multi,

(*) Notandum, quanta veterum Conciliorum auctoritas fuerit.

Sæculum X. A. C. 991.

ti, qui putaverant, Episcopi jam ante animo constitutum fuisse, Arnulphum simpliciter damnare, pluribusque spes nata, eum salvum esse posse. Viri tres, scientiæ & facundiæ laude præcipui, ejus defensionem susceperunt, Joannes Scholasticus Antissiodorensis, Ranulfus seu Romulfus Abbas Senonensis, & Abbo Floriacensis. Igitur Arnulphi Defensores epistolam apocrypham Episcoporum Africæ ad Damasum Papam datam, unacum Rescripto produxerunt, quo ostenderent, omnes majores Ecclesiæ causas, præcipue judicia Episcoporum, Papæ esse reservanda. Præterea legerunt quædam ex falsis Decretalibus excerpta de iisdem Judiciis, & Arnulphi Apologiam ad quatuor Capita redegerunt. Primo, spoliatum ante omnia esse restituendum, ad Judicium legitime esse vocandum, ipsius causam ad Papam deferendam, Accusatores, testes, & Judices in ampliori Concilio ad examen vocandos. Ex parte adversa respondebant, Actorem, id est, Adalgerum Presbyterum nulla inimicitiæ in Arnulphum suspicione laborasse, sed solius Religionis amore, nec metu, nec avaritia impulsum id feciisse. Arnulphum datis literis Canonicis, & missis ad eum Legatis jam ultra unius anni spatium ad Concilium citari, quo tempore jam elapso ipsum audiri non debere

c. 19.

c. 20. 21. *tom.* 2. *Conc. p.* 869. 870.

c. 23.

Sæculum X. A. C. 991.

secundum titulum duodecimum Concilii Africani; hinc Arnulphum restitui non posse. Ut juste carceri datum fuisse probarent, referebant exemplum Hildemanni Episcopi Belovacensis, qui dum congregaretur Concilium in Monasterio S. Vedasti custodiæ traditus fuerat, regnante Ludovico Pio, & Ebbonis Archiepiscopi Remensis, in Abbatia Fuldensi inclusi. Atque ad demonstrandum, Episcopos rebelles a potestate Sæculari coerceri posse, in medium adducebant Collectionem Conciliorum Africæ titulis trigesimo octavo & quadragesimo tertio.

Frod. II. hist. c. 20.

Sup. lib. XLVII. §. 47. c. 24.

Rursus in argumentum, quod hæc causa ad Sedem Romanam delata fuisset, lecta est epistola Regis Hugonis ad Joannem XV. data, atque etiam literæ Episcoporum, quas superius retuli. Quæsiverunt Arnulphi Causidici, quo tempore hæ literæ essent missæ, & quid responsi Nuncii attulissent. Responsum, missas fuisse ante menses undecim, & Nuncios, postquam eas Pontifici reddidissent, primum honeste fuisse habitos. *At vero*, addebant, *postquam Nuncii Comitis Heberti generosum equum candidum aliaque munera Papæ tradiderunt, triduo ante portam Palatii detenti impetrare non potuimus, ut in conspectum admitteremur; quare contemptum non ferentes*

c. 25. 26. Sup. §. 19. c. 27.

tes re infecta redivimus. His Clerici Brunonis Episcopi Lingonensis adjecerunt, se Papam adiisse & querelas exposuisse quod custodiæ & carceri traditus fuisset, & rogasse, ut rei excommunicationis fulmine ferirentur; tunc autem ministros Papæ petiisse decem Solidos aureos sibi dari. *Ludibrio excepimus*, inquiebant, *sordidæ avaritiæ conditionem, & respondimus, si Episcopus noster data pecunia salvus esse posset, mille marcas impendere non recusaremus. Tandem ipse Pontifex respondit; illius cura liberandum esse Arnulphum, propter quem captus esset.* Inde statutum, Papæ causa Judicium Arnulphi non esse differendum, & in memoriam revocatum exemplum Episcoporum Africæ in Concilio ducentorum & septendecim Patrum, quos inter S. Augustinus numerabatur, qui Romanorum fastum repulissent. Nempe in Causa Apiarii Presbyteri.

Sæculum X. A.C. 991.

Conc. Carth. VI. an. 419. Sup. lib. XXIV. §. 2. & 35.

§. XXV.

Arnulphi Aurelianensis Sermones.

Arnulphus Aurelianensis hac super re tum publice multa ad omnes Episcopos cogregatos, tum ad illos, qui proximi sedebant, dixit. Omnia vero ad pauca capita redigi possunt. *Credimus*, inquiebat, *Ecclesiam Romanam ob memoriam S. Petri semper esse bonorandam;*

c. 28.

Sæculum X. A. C. 991.

nec Decreta Pontificum rejicere nobis animus est, salva tamen auctoritate Concilii Niceni, aliorumque Canonum, quorum vigorem oportet esse æternum. Curæ enim nobis esse debet, ne vel Papæ silentium, vel nova Decreta antiquos Canones evertant. Ergo Papæ Privilegium suum abrogabimus? minime gentium. Si eum Scientia & virtus commendent, non est, cur metuamus, ne in Canones peccet, nobisve noceat, multo autem minus timendus est, si vel ignorantia erret, vel pravo affectu turbetur, vel, quod nostra ætas vidit, Romanorum Tyrannide opprimatur.

Quanta vero est calamitas Romanæ Urbis, quæ postquam superioribus Sæculis clarissima lumina Ecclesiæ dedit, nuper tenebrarum monstra effudit, quæ tota exhorresceret posteritas! Scimus, in Petri Cathedra olim sedisse Leones, & Gregorios, Gelasium, Innocentem, Pontifices maximos, quorum Sapientia & Eloquentia omnem humanam Philosophiam superabat & nihilominus fortunata illa ætate Episcopi Africæ Romanorum Pontificum voluntati obsistendum esse existimarunt, credo, non tam quod illos, qui tunc ad Ecclesiæ clavum sedebant, fastus arguere vellent, quam quod mala futura, quibus hodie premimur, pertimescerent. Quæ probra nostro ævo vidimus? imo quæ non vidimus? obstupuimus in Sede Roma-

na

na Joannem cognomento Octavianum† fœ- Sæculum X.
dissimis voluptatibus immersum hominem, A. C. 991.
& contra Ottonem, quem ipse Imperatorem † Joannem
creaverat, conjuratum. Eo ejecto Sacræ XII.
Sedi imponitur Leo Neophytus (nempe
Leo VIII.) *sed Ottone Imperatore Roma* Sup. l. LVI.
egresso, redit Octavianus, Leonem expel- §. 5. 7. 9. 10.
lit, nares, dextræ digitos, & linguam
Joannis Diaconi amputari jubet, permul-
tos nobilissimos Romanos interficit, &
ipse post breve temporis spatium e vivis
eripitur. Octaviano Romani Benedictum
Diaconum, dictum Grammaticum, subro-
gant (Benedictum V.) *quem Leo Neophy-*
tus paulo post Imperatoris sui potentia
fretus aggreditur, capit, deponit, & in
Germaniam missum, perpetuo exilio da-
mnat.

Ottoni Imperatori alius Otto (nem- Sup. l. LVI
pe Otto II.) *& Romæ in Cathedra Petri* §. 36.
successit immane monstrum, Bonifacius
mortalium omnium pessimus, Antecesso-
ris sui (*) *sanguine pollutus* (Franco hic
est, alio nomine Bonifacius VII.) *hic quo-*
que ejectus & in Synodo condemnatus.
Mortuo vero Ottone Imperatore, Romam
reversus, non nisi proprii juramenti fide
nixus Papam, maximum virum, prius

(*) Arnulphus Aurelianensis credidisse videtur, Bonifacium VII. dictum, non Antipapam, sed verum Pontificem fuisse.

Sæculum X. A. C. 991.

Ecclesiæ Romanæ calamitates.

Episcopum Ticinensem (nempe Joannem XIV.) *deponit, & in carcere miserrime contabescere cogit. Num lex aliqua existit, qua tot Episcopi, Doctrina & virtutibus ornatissimi, per totum terrarum orbem diffusi, fatalibus hujusmodi Ecclesiæ portentis, publica infamia notatis & Rerum Divinarum humanarumque scientia destitutis, subjiciuntur?* (*) *Attamen in quos culpam rejiciemus, quod Ecclesiarum Caput* (**) *olim sublime, atque gloria & honore coronatum, hodie abjectum tanta ignominia laboret? nostra profecto hæc culpa est, nostra, inquam, quia, quæ nostra sunt, & non quæ JEsu Christi quærimus.*

Si in quolibet, qui ad Episcopatum assumitur, morum gravitas, virtus & scientia

(*) Extat hæc lex Matth. XXIII. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, servate & facite: secundum opera vero eorum nolite facere &c.* Sed id ipsum agnoscit Arnulphus verbis quæ sequuntur.

(**) Doctrinam excellentissimam hic Arnulphus Aurelianensis Protestantibus tradit; deflendas omnino esse Romanæ Ecclesiæ calamitates, nunquam vero universalis Communionis vinculum, quo omnium Ecclesiarum Caput & membra connectuntur, ab his, qui Orthodoxi esse volunt, esse abrumpendum.

Sæculum X. A. C. 991.

tia requiruntur, quibus non dotibus inſtructum eſſe illum oportet, qui omnium Epiſcoporum Doctor videri vult? Quare ergo ad primam Sedem evehitur, ultimo loco inter Sacerdotes indignus? quid denique de homine ſentiendum putatis, in throno excelſo collocato, auro & purpura, quibus tegitur, fulgente? ſi charitate deſtitutus ſola ſcientia inflatur, Antichriſtus eſt in Templo Dei ſedens, & Deus videri volens. Si nec Charitatem, nec ſcientiam habeat, in templo Dei verſatur Idoli inſtar, ex quo tam parum bonum conſilium, quam ex ſilice aquam elicueris. (*) *Expectemus itaque, tamdiu quamdiu poterimus, Præpoſitorum* (**) *noſtrorum emendationem, & interea Verbi Divini prædicationem, eſcam animarum noſtrarum, alibi quæramus. Præſentes non nulli in hac Synodo teſtes optime norunt, in Belgio & Germania, provinciis nobis vicinis, Epiſcopos reperiri Religionis zelo & doctrina præſtantiſſimos. Quare, niſi Regum vixis cohiberemur, inde potius Epiſcopo-*

2. Theſſ. 2. 4.

(*) Hæc acerbe nimis prolata ipſe Fleurius in ſequente Reflexione mitigat. Atque etiam penſata illius temporis depravatione, Arnulphi Aurelianenſis juſto dolori non nihil indulgendum.

(**) His confirmatur Doctrina paulo ſuperius Proteſtantibus expoſita.

Sæculum X. A. C. 991.

ſcoporum Judicium accipiendum eſſet, quam Roma, ubi omnia venalia ſunt, & Judicis proferenda ſententia auro æſtimatur. Si cum Gelaſio objicias, Romanam Sedem in tota Eccleſia judicare, ipſam vero judicari a nemine. Dent nobis Romani Papam, cujus Judicium reformari non mereatur. Sed & iſtud impoſſibile eſſe Epiſcopi Africæ arbitrati ſunt, cum di-

ep. Ep. Afr. to. 2. p. 1675.

xerunt: Quis credat, Deum cuiquam noſtrum Juſtitiam ſuggeſturum, quam innumeris Epiſcopis Synodice congregatis deneget? cum vero hodie propemodum nemo Romæ literarum ſtudiis operam det, qua fronte docere audebunt, quod non didicerunt? Etſi in aliis Epiſcopis ignorantia utcunque diſſimulari poſſet, in Papa tamen intolerabilis eſt, cui de Fide, de moribus, de Epiſcoporum vita, verbo, de cauſis Eccleſiæ univerſæ (*) cognoſcere & judicare

VII. ep. 65.

incumbit. A vero non aberravit S. Gregorius, cum dixit: *Si quisquam Epiſcoporum peccaverit, nullum novi, qui non Sacræ Sedi ſubjiciatur, ſed ſi ceteri officio ſuo rite fungantur, virtus Humilitatis omnes æquales faciat.*

Sup. lib. XXXVI. §. 15.

At demus, alterum Damaſum hodie Romæ ſedere, quid tandem contra ejus Decretum peccavimus? Hic Arnulpho ſermo

c. 20.

(*) Tertium Arnulphi Aurelianenſis contra Proteſtantes Teſtimonium.

mo est de illa epistola, quæ a Damaso Papa Episcopis Africæ scripta credebatur, & prosequitur sermonem in hunc modum: *In primo illius Decreti articulo, nisi me fallat memoria, statuebatur, ut Episcoporum, omnesque majores Ecclesiæ causæ Romam deferrentur. Sed causam, de qua hic agitur, non modo Episcopi, sed etiam Rex noster, Papæ perscripserunt, eique plenam libertatem, & longum temporis spatium, quo de causæ adjunctis cognoscere & Sententiam proferre potuisset, reliquerunt. Nos enim tunc demum hanc causam ad Judicium nostrum traximus, quando Papam eam judicaturum non amplius sperare potuimus, urgente necessitate, quæ populo Christiano nova Ordinatione Archiepiscopum dari postulabat. Verum illud quidem, quod Damasus Metropolitis non nisi potestatem Causas majores discutiendi tribuat, Sententia sibi reservata; sed huic opponitur S. Gregorius Magnus, qui comperto, Paulum Episcopum Thyellanum fuisse depositum, neutiquam reprehendit, quod id sine suo Judicio factum sit.* Ex pluribus aliis auctoritate S. Gregorii probat Arnulphus, hunc Pontificem nullatenus fuisse invitum, quod Episcopi rei in ipsis locis, Sacra Sede inconsulta, judicarentur. Nec sine fundamento, quoniam Lector ex tota hac Historia cognoscere potuit, ita antiquum

Sæculum X. A. C. 991.

Sæculum X. A.C. 991.

tiquum jus obtinuisse, nulla alia re, quam falsis Decretalibus turbatum. Sed quia Arnulphus falsas a veris non discernebat, vix se se ab ejusmodi objectionibus extricare poterat.

Tum prosequitur: *Ut nihil dicamus de casu, quo nemo querelas defert, quid faciemus, si Proceres armati certis indiciis cognoverint, uxores suas stupro vitiari? quid si Reges irati Episcopum criminis læsæ Majestatis convictum habuerint, & deprehenderint, nos protracta Judicii forma tricisque infinitis sibi illudere? an ærarium suum auro, quod Romam ad impetrandam sententiam mittant, exhauriri patientur? an reus Romanis pecuniæ avidis aureos montes promissurus non est, si hoc impendio emersurum se speret?* Affert deinde exempla Ægydii Archiepiscopi Remensis sub Rege Childeberto, & Ebbonis sub Ludovico pio, Papa inconsulto, depositorum; unde infert, causas liquidas, in quibus non datur ad Sacram Sedem appellatio, in Concilio Provinciæ esse definiendas. Ad illud, quod in Epistola Damasi suppositicia dicitur, nullum Concilium sine Sacræ Sedis auctoritate celebrari posse, respondet: *Quid ergo faciendum, si Barbarorum armis Romam ire prohibemur? aut si ipsa Roma alicujus Barbari tyrannidi subjecta, Domini sui cupiditati serviat, ut se alicujus*

Arnulphi Aurelianensis Oratio.

c. 72.

Regni

Regni potestati subtrahat, nullum inter- Sæculum X.
ea Concilium celebrari possit? & forsan A. C. 991.
omnes Orbis Episcopi, non sine injuria Principis sui, leges ab inimicis suis sibi adventuras expectabunt? Concilium Nicenum, quod Ecclesia Romana semper venerata est, Concilia bis in anno celebrari præcipit, nulla auctoritatis Papalis injecta mentione.

Ne vero perperam disputemus, Ecclesiam Romanam majori veneratione prosequamur, quam olim Episcopi Africæ, consulamus eam, si per regnorum pacem id fieri possit, quod in hac ipsa Arnulphi †✝ *Remensis. causa fecimus. Si justa est sententia, lubenti animo recipiemus, si non est, obediemus præcepto Apostoli, & nec Ange-* Gal. 1. 8. *lum etiam contra Evangelium loquentem audiemus.* (*) *Si Papa taceat, ut hodie tacet,*

(*) Episcopi hujus Concilii, cui aliquis futurus Pontifex (Silvester secundus) interfuit, certe non in eo sensu, quo hodie Scriptores non nulli, Romani Pontificis potestatem & infallibilitatem in materia fidei & morum explicare videntur, sed credidisse, satis esse, si dicatur, Infallibilitatem a JEsu Christo Ecclesiæ suæ promissam residere principaliter & tanquam in Capite in Romano Pontifice, ac in ceteris Episcopis, sive in Concilio congregati sint, sive non sint, tanquam in ejus Fratribus, Collegis, Adjutori-

Sæculum X. A. C. 991.

tacet, Canones consulemus. Quo enim convertamur, cum Roma ab omni Divi-

no

† *S. Pat. N. Bened. XIV de Syn. Diœcef. Lib XIII cap. II. num. II. Fleur. Tom. I. Lib. I. §. XXXII*

toribus, & in Ecclesia Catholica † Judicibus, quos, teste S. Paulo Act. c. 20. *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, & de quibus Christus Dominus dixit ad Petrum: *Confirma Fratres tuos Luc. XXII. v. 32.*

Est vero omnino reflexione dignum, hic non dixisse: Confirma *oves meas*, multo minus, subditos tuos, sed *Fratres tuos.*

Existimat aliquis Scriptor clarissimus & zelosissimus, in suo *Brevi Apparatu Erudit. de Font. Theol. Aug. anno* 1760. *editis, Part. III. p.* 149. solidum contra Protestantes esse fundamentum illam Assertionem: *Quoties Romanus Pontifex loquitur de Cathedra, & tanquam Vicarius Christi toti Ecclesiæ proponit aliquam veritatem Fide divina credendam, toties est infallibilis, etiam extra Concilium & prævie ad Ecclesiæ assensum.* Sed neutiquam fixum & constans contra Protestantes est hoc principium; quia hæc ipsa Resolutio, quod Romanus Pontifex *toti* Ecclesiæ aliquam veritatem Fide Divina credendam, etiam *extra Concilium*, & prævie ad Ecclesiæ (id est Episcoporum) assensum proponens, loquatur ex Cathedra, a quibusdam Catholicis admittitur, a quibusdam abjicitur, & diversi diverse pro suo arbitrio, quando & quomodo Summus Pontifex ex Cathedra & infallibiliter doceat, explicant. Nam, ut nihil dicam, quod Historia Ecclesiastica ostendat, Romanos Pontifices, S. Petri exemplum secutos, Hæreses

novas,

no humanoque auxilio destituta, quin & sibi ipsi in extrema necessitate deesse videatur? Post Romani Imperii occasum Roma Ecclesias Alexandrinam, & Antioche-

Sæculum X. A. C. 991.

novas, & quoad rei substantiam ab Ecclesia nunquam ante damnatas, semper in Concilio damnasse, exploratum certe est, quod tempore, exempli causa, Arii aut Lutheri, Fideles summi, medii, infimi ordinis, nempe tota Ecclesia, una voce affirmaverint, Concilium Universale non utile modo, sed etiam esse necessarium. Ceterum optandum omnino, ut quilibet Scriptor Catholicus, eo consilio scribens, ut Doctrina Catholica non solum inter Orthodoxos confirmetur, sed etiam adversus Heterodoxos defendatur, talia Asserta poneret, quæ ab Ecclesia definita sunt, & a nullo, si Orthodoxus audire velit, negari possunt. Quandoquidem si Vir Orthodoxus disputans cum Acatholico Propositiones statuat, quas alii viri, sincere, haud dubie, Catholici, rejiciunt, non vincet pervicacem. Quomodo enim feliciter bellum geret? quomodo victoriam reportabit de hostibus exteris a bello intestino & domestico non expeditus? Dicet enim Protestans; Quid tu mihi argumentum affers, quod a Fratribus tuis subruitur? Itaque non privatorum Doctorum opiniones, sed totius Ecclesiæ Auctoritas Protestantibus opponenda est; secus enim inutiles disceptationes inter Theologos & Canonistas Catholicos efficiuntur perpetuæ, & contra Protestantes nihil probatur.

Sæculum X. A. C. 991.

tiochenam amisit. Atque ut de Africa & Asia nibil dicam, Europa ipsa paulatim ab ipsa deficit. (*) *Ecclesia Constantinopolitana eam deseruit, & Provincia interiores Hispaniæ* (**) *Romanorum Judicia non noverunt. Hæc igitur illa est non Gentium modo, sed etiam Ecclesiarum seditio, quam prædixit Apostolus; propinquus enim esse dignoscitur Antichristus, cujus Ministri occupatis Galliis perniciem nostram omnibus viribus accelerant.* In fine dicit inspiciendos esse Canones, unde cognoscatur, quantus Episcopo-

2. Thess. 2. 3.

Hinc Ecclesiastes Ecclesiæ Cathedralis Augustanæ Soc. Jesu. Vir de Re Catholica præclare meritus, in suis Concionibus toties Protestantibus inculcare cogitur, ipsos frustra circa Quæstiones in Schola agitatas tricari, cum nihil habeant, quo Doctrinam a tota Ecclesia receptam refellant.

(*) Hæc facta Arnulphus non approbat, sed deplorat; quod verba sequentia satis indicant. Ceterum etsi tunc Ecclesia Constantinopolitana vacillaret, necdum tamen a Communione Ecclesiæ Romanæ recesserat.

(**) Hispani, ut Historia docet, semper Romanæ Ecclesiæ fuere addictissimi. Illis vero temporibus non tam sua culpa, quam Saracenorum in Hispania dominantium tyrannide prohibiti, Romam frequenter non pergebant, quia sufficiebat Episcoporum Orthodoxorum Judicium.

coporum numerus ad unum condemnandum requiratur, & qua ratione ille judicandus sit, qui defendere causam suam recusat. (*) Sæculum X. A. C. 991.

§. XXVI.

Reflexio in superiorem Sermonem.

In isto Arnulphi Aurelianensis Sermone, si ad rigidum examen vocetur, sine dubio aliqua justo acerbius dicta occurrunt, & quæ Sacræ Sedis contemptum prodere videntur. Sed vix quemquam illius ætatis Scriptorem invenire est, qui res ipsas exacte proponat, & moderata dictione utatur. Æquitas vero postulat, verba Episcopi canitie venerabilis & doctrina, qui hujus Concilii spiritus & anima dici possit, in benigniorem partem accipere. Denique si Orationis summam spectemus, tantum abest, ut schisma intendat, ut potius in principio sermonis profiteatur, Ecclesiam Romanam venerari oportere, & Decretis Pontificum obedire, atque etiam diserte affirmet, Papæ esse in tota Ecclesia judicare. Probi omnes impatientissime ferebant horrenda flagitia, quibus Romana civitas per unum jam Sæculum polluebatur, unde tam ipsorum Pontifi- p. 63.

(*) Multa bene dixit Arnulphus; utinam etiam in causa manifeste bona!

Sæculum X. A. C. 991.

cum, quam Decretorum reverentia perib at. Quamvis enim legis valor a dotibus Perſonæ Præpoſiti inhærentibus abſolute non dependeat, non tamen extra curam ſunt, & eo libentius Præſuli obedimus, quo magis pium doctumque eſſe credimus. Quod ſpectat ad nomen invidioſum Antichriſti, comparatio eſt non affirmatio, nec Arnulphus aliud dicit, quam quod Prælatus ſine charitate eo modo ſit Antichriſtus, quo Præpoſitus ignorans Idolo ſimilis eſt. Saltem illud exploratum, noluiſſe dicere, quemquam Summorum Pontificum fuiſſe Antichriſtum, cum in fine Sermonis alium denotet, quem eſſe propinquum ex eo augu-

p. 74. guratur, quod ejus ſatellites Gallias invaſiſſent. Certe etenim loquitur de quibusdam Barbaris, ſive Hungaris, ſive aliis, qui Antichriſti præcurſores credebantur. Si quis vero hunc Sermonem Gerberto, qui eundem literis mandavit, tanquam auctori tribuere voluerit, multo major vis inerit, cum Gerbertus Papa factus nihil retractaſſe legatur.

§. XXVII.

Arnulphus Remenſis in Concilio.

c. 19. Cum Arnulphus Aurelianenſis finem dicendi feciſſet, lecti ſunt non nulli Canones Africæ de Judiciis Epiſcopo-

c. 30. rum. Tum, qui Arnulphi Remenſis cau-

causam defendebant, dicta sua utcunque retractarunt, omnibusque visum, forum in hac causa esse competens. Ergo in Concilium introducitur, & inter Episcopos locum occupat. Arnulphus Aurelianensis ei lenibus verbis beneficia a Rege accepta, & mala, quæ ipse reddidisset, in memoriam revocat. Cui Arnulphus Remensis respondit; se non modo contra fidem Regi datam nullatenus peccasse, sed ob fidem Regi servatam in civitate sua ab hostibus fuisse captum, Rege opem nullam ferente. Arnulphus Aurelianensis reposuit; Presbyterum illum, qui portas ipsius jussu aperuisset, præsentem esse. Remensis dicere; testem esse perfidum & subornatum. At Adalgerus Presbyter dixit: *Nemo me ad te accusandum compulit. Potuissem fugere, semper fidissimum me habuisti. Nulla alia causa mihi fuit indicium hoc faciendi, nisi ut me a proditionis infamia liberarem. Nihil enim mihi nisi obedientia tibi præstita nocet.* Sæculum X. A. C. 991.

Arnulphus Remensis dixit; se in manus inimicorum suorum incidisse, nec unquam, quod sciret, Episcopum tam male habitum fuisse, unde oppressum respondere non posse. Tum Guido Suessionensis interrogavit, cur tamdiu respondere recusasset, toties a Rege & ab Episcopis interpellatus, *ipse ego*, adjecit,

Sæculum X. A.C. 991.

militum præsidium, quantum repellendis hostibus sufficiens fuisset, tibi obtuli. Cumque responderes, te captivum esse Caroli, cui fidem jurasses, convici, captivitatem simulari, teque sacramentis Hugoni Regi tuo dictis multo magis ligari, quam juramento, quod Carolus, hostis tuus, vi extorsisset.

Rainerius deinde advocatus, quem Arnulphus arcanorum omnium conscium habuerat, ad Arnulphum: *An non meministi, quid ad me dixeris in ripa Axonæ fluvii, priusquam urbs caperetur? Neminem tibi in hac vita esse cariorem Ludovico Caroli filio. Quod si gratum tibi facere vellem, eum periculo eriperem & curarem, ut salvus esset. Age igitur! confitere Episcopis crimina tua, ut saltem serves animam tuam. Sin minus, ego ea coram omnibus Episcopis & toto populo, qui ad fores stat, manifestabo. Atque ut fidem faciam, dicta juramento confirmabo, & dabo virum, qui probationem ferri candentis (*) sustineat.* Aliqui ex Abbatibus dixerunt; Arnulpho Archiepiscopo potestatem esse faciendam secedendi in locum separatum, ubi quoscunque elegisset consuleret. Quod postquam concessum, surgit ille, &

(*) Nempe nudis pedibus super ferrum candens ambulando.

& Seguinum Archiepiscopum Senonensem, Arnulphum Episcopum Aurelianensem, Brunonem Lingonensem, Gotesmannum Ambianensem sequi se rogans in Sacellum subterraneum se contulit; tumque Episcopis ingressis clausa est janua. Sæculum X. A. C. 991.

§. XXVIII.

Confitetur Arnulphus & abdicat.

Illis absentibus lecti sunt in Concilio complures Canones Concilii Toletani contra Episcopos Principi suo rebelles. *c.* 31. 32. 33. *&c.* *c.* 40.

Tandem vero Episcopi, qui cum Arnulpho Archiepiscopo secessserant, advocatis etiam aliis dixerunt; ipsum ad pedes eorum prostratum inter lacrymas crimina admissa fuisse confessum, & dixisse, quod se Episcopatu abdicaret, quo se indignum reddidisset. Episcopi ceteri, ut tanti momenti declarationem ex ipsius ore audirent, prius Arnulphum in nomine Domini exhortati sunt, ne metu turbatus crimen falsum de se ipso confiteretur. Mox intrare jubent triginta circiter Abbates & Clericos piissimos doctissimosque, cum iis consulturi, quid agendum esset. Primo omnes opinati sunt, non amplius locum esse querelæ, contemni S. Sedem, cum jam Arnulphus Remensis sibi Judices delegisset,

Sæculum X. A. C. 991.

gisset, unde ad aliud tribunal se convertere non liceret. Quæsitum deinde, quis Ritus in ejus Depositione esset servandus, an illum quem Canones, vel quem
c. 41. 42. 43. Consuetudo introduxisset? Modus deponendi Clericum secundum Canones eo absolvebatur, quod pronunciaretur Sententia, qua reus Sacerdotio indignus declarabatur. Consuetudo aliquam Cæremoniam addiderat; scilicet vestes Sacerdotales condemnato detrahebantur, quod postea Degradatio appellatum.
c. 44. 45. Itaque Sententia pronunciatur; Arnulphum annulum, Baculum pastoralem &
c. 47. Pallium reddere oportere. Sed vestes non proscinderentur more Romanorum. Præterea libellum traderet, quo se juste depositum profiteretur. Hæc in prima Sessione Concilii Remensis gesta.

Altera die Episcopis iterum in Ecclesia S. Bassoli congregatis, cum Arnulphum Remensem omnes tanquam condemnatum haberent, alios ejus Nobilitas, alios juventus, omnes vero Collegæ sui opc. 50. probrium movebat. Tunc autem Reges Hugo & Robertus cum Procerum præcipuis Concilium intrant, gratias agunt Episcopis, quod in arduo negotio fidem præstitissent, petuntque, summatim sibi referri, quæ in Concilio acta fuissent. Arnulphus Aurelianensis dixit; Archiepiscopum Remensem primo quidem crimen

Sessio secunda.

men negasse, sed cum deinde se convi- Sæculum X.
ctum intellexisset, consilium virorum A. C. 991.
prudentum expetiisse, & tandem omnia c. 51.
fuisse confessum.

Introducitur Arnulphus, simulque omnis populus admittitur, & postquam præco silentium imperasset, Arnulphus Aurelianensis Arnulphum Remensem hortatur, ut loqueretur. Quia vero confusa videbatur oratio, & satis capi non poterat, Arnulphus Aurelianensis interrogavit, an in eadem sententia, in qua pridie sub noctem fuisset, persisteret, & an se Episcopatu abdicare vellet. Annuit Arnulphus Remensis dixitque, se fidem Regi debitam violasse; at rogavit Arnulphum Aurelianensem, ut causam suam explicaret. Brochardus Comes instabat, ut Arnulphus Remensis publice proditionis crimen fateretur, sed obsistebat Arnulphus Aurelianensis, dicens, satis esse, quod peccata sua Episcopis secreto confessus, publice se Sacerdotio indignum profiteretur. Mox Arnulphum Remensem hortatur, ut coram Regibus in terram se demittens vitæ gratiam flagitaret. Fecit ipse, quod monebatur, & prostratus extensis in formam Crucis brachiis, altum ingemiscens, ex omnium oculis lacrymas elicuit. Daibertus quoque Archiepiscopus Bituricensis ad Regum genua provolutus gratiam

Sæculum X. A. C. 991.

Arnulpho fieri orabat. Flecti se passi sunt Reges, promiseruntque, salvum fore, nisi in crimen morte dignum relaberetur. Demum e terra surgens, interrogatur, an solemni ritu secundum Canones abdicare vellet; ipse facturum se, quod Episcopi suaderent, respondet. Igitur Regi restituit, quod a Rege acceperat (credo annulum & Pedum) Episcopis vero cetera Dignitatis pristinæ Insignia futuro Successori reservanda. Legit deinde in medio Conventus Actum Abdicationis, eadem Formula ac olim
c. 54. Ebbo, cujus Summa erat; quod pro peccatis, quæ Episcopis secreto confessus fuisset, (*) se ipsum Episcopatu indignum agnosceret, renunciaret, & consentiret, alium sibi ordinatione legitima subrogari, nec ullo tempore se contra hoc factum reclamaturum. Subscripserunt Episcopi præsentes, & Arnulphus Remensis

(*) Ipsa vero in Act. Conc. Tomi VI. Part. I. sunt: *Pro reatibus meis, in quibus peccasse me secreto ipsis confessus sum & de quibus publice arguebar &c.* His satis diserte fateri videtur, eadem fuisse, quæ Episcopis secreto confessus erat, & de quibus publice arguebatur. Ceterum eo etiam magis excusari debebat Arnulphus Remensis, quod Caroli Magni Familiæ, ex qua ipse progenitus erat, Imperium avitum eripi cerneret.

mensis Clericos populumque a juramento, quo sibi obstricti fuerant, absolvit. Sæculum X. A. C. 991.

§. XXIX.

Adalgerus deponitur.

His peractis Adalgerus Presbyter Regum genibus accidens querebatur, quod pœnam excommunicationis sustinere cogeretur, quia imperata feciſſet Archiepiscopi sui, cui resistere non potuisset. Sed confitentem, quod portas civitatis Remensis aperuisset, & hostilem impetum in Ecclesiam feciſſet, Episcopi, neutiquam meliorem conditionem, quam Episcopum suum, meritum rati, eligere jubent, ut vel perpetuo anathemate innodatus viveret, vel ab Ordine suo depositus. Postquam diu deliberasset, & deponi maluisset, Episcopi vestes Sacerdotales indui jusso singulas deinde detraxerunt, ablatis omnibus Ordinibus, usque ad Subdiaconatum. Tum Ecclesiæ reconciliatum, & ad Communionem Laicam admissum, Pœnitentiam subire coegerunt. Tandem Anathema iterum omnibus, qui civitatem Remensem prodidissent, & ad pœnitentiam suscipiendam non venissent, dixerunt. Hæc sunt Acta Concilii Remensis, qualia nobis literis mandata Gerbertus reliquit. (*) §. XXX. c. 55.

(*) De his Actis Eminentissimus Baronius ad

Sæculum X.
A.C. 991.

§. XXX.

Gerbertus Archiepiſcopus Remenſis.

Chr.virid. p. 137. *Frag. Chr. tom.* 4. *Duchesne p.* 142. *Aimoin. v. c.* 64.

Duo alii Hiſtoriæ Scriptores, illi tempori proximi, rem aliter referunt. Quorum alter dicit, Arnulphum Archiepiſcopum coactum fuiſſe inter duo mala eligere, ut nempe vel ſe perjurii reum confiteretur, vel utroque lumine orbari pateretur. Alter narrat, quod Rex Hugo progeniem Lotharii Regis exterminaturus, juſſerit Arnulphum Gradu Sacerdotali dejici, obtendens, non decere Archiepiſcopalem Dignitatem hominem ſpurium, ex concubina natum, & deinde eum in Civitate Aurelianenſi carceri dari, ubi jam ante Princeps Carolus ipſius nepos cuſtodiebatur. Porro Seguinum nec ad deponendum Arnulphum, nec ad ordinandum Gerbertum conſenſum præbuiſſe, ſed cupiditati Regis, cujus iram in ſe concitaſſet, fortiter obſtitiſſe. Ceteros Epiſcopos, urgente Regis metu, dixiſſe, ſe conſentire.

---

ad annum 992. *His igitur quanta ſit fides adhibenda, quæ Adverſarius* (Gerbertus) *exæſtuans furore ob ademptam ſibi a Romano Pontifice Cathedram* (nempe Remenſem anno 998. vid. Fleur. inf. §. LVI.) *tam ſublimis Eccleſiæ ſcripſit .... quisque animo liber nulla privata præpeditus affectione conſideret &c.*

re. Ista excerpta sunt ex Chronico Hugonis Monachi Floriacensis ad Ligerim amnem. Huic Monasterio tunc Abbas præerat Abbo, qui præter alios causam Arnulphi Remensis defendendam susceperat. Ut ut res se habeat, ex iis, quæ in nostra Historia sequuntur, videbit Lector, vel Arnulphum Archiepiscopum invitum se abdicasse, vel brevi pœnitentiam facti eum subiisse. Sæculum X. A.C. 991.

Itaque Gerbertus, Diaconus, Archiepiscopus Remensis eligitur & consecratur. Ad nos usque pervenit Decretum Electionis. Tum sequitur ejusdem Professio Fidei, in qua quatuor tantum Conciliorum Generalium mentionem facit. Aliquo post tempore cum Episcopis Provinciæ suæ Synodum celebravit, de qua nihil nobis supereſt, quam Admonitio ad illos, qui Bona Ecclesiarum diripiebant, directa. Supereſt etiam epistola de eadem materia ad Fulconem Episcopum Ambianensem data, juvenili furore æstuantem, qui in propria sua Diœcesi jura sua defensurus Bona Ecclesiastica rapuerat, & cum armatis in quamdam Ecclesiam irruperat. Quamobrem eum Gerbertus Archiepiscopus severe objurgat. Ceterum, jam tunc senili ætate gravis erat Gerbertus, quando Sedem Remensem conscendit; id enim ipse fatetur in epistola ad Abbatem monachos-

tom. 9. Conc. p. 739.

ibid. p. 740.

ep. 40. bis.

ibid. & Gerbert. ep. 470. bis.

Ep. 35. bis.

Sæculum X. A. C. 991.

nachosque S. Geraldi Auriliaci data, in qua negotiorum vim, & fastidia, sibi in illa Dignitate constituto devoranda, deflet.

§ XXXI.

Abbonis Floriacensis Exordia.

vit. Sæc. 6. Ben. p. 38.

Abbo Floriacensis, Arnulphi Remensis Defensor, vir illa ætate clarissimus, natus erat in Territorio Aurelianensi, parentibus non quidem Nobilibus, liberis tamen, & ex progenie Deum timente satis, qui filiolum suum secundum Regulam S. Benedicti, in Abbatia Floriacensi obtulerunt. Mater pueri duos viros agnatione proxima se contingentes in illo monasterio habebat; Abbatiali munere autem fungebatur Wulfadus postea Episcopus Carnutensis. Is Abboni juveni habitum monasticum tradidit, & ad scholas celebres erudiendum misit, ubi tam in literis, quam in pietate mire profecit, inprimis societatem seniorum quærens. Cum inter coætaneos emineret, ei cura alios edocendi demandata est, quam per aliquot annos gnaviter gessit. Grammatica, Arithmetica & Dialectica satis instructus, ceteras quoque Artes liberales addiscere cupiens celeberrima scientiarum emporia, Scholas Parisiensem & Remensem adiit, ubi Philosophiæ Doctoribus usus, Astronomiæ studuit;

ſtuduit; ſed ejus diſcendi, & arcana hu- Sæculum X.
jus ſcientiæ perſpiciendi ardori neuti- A. C. 991.
quam ſatisfactum. Aurelianum reverſus Muſicæ operam dedit, magnis expenſis, & occulte, ne invidorum malevolentiæ pateret. Itaque quinque Artibus Liberalibus inſtructum ſubiit cupido reliquas etiam duas ſibi comparandi. Ne Rhetoricam ignoraret, Victorinum legit, atque prima Geometriæ elementa didicit. Illo tempore quædam Scripta de Figura Syllogismorum, de Circino, de Numeris Aſtronomicis, & curſu Planetarum edidit.

Inter hæc, poſtquam Ordine Diaco- *Sup. l. LV.*
natus fuiſſet inſignitus, in Angliam a S. §. 32.
Oſualdo Epiſcopo Vigornienſi vocatus pervenit ad Monaſterium Rameſienſe ab eodem S. Præſule fundatum, cujus Abbas, nomine Germanus, e Monaſterio Abbo in Anglia.
Floriacenſi ad Ligerim advenerat. Biennio ibi verſatus Abbo aliquot illius loci monachos erudivit. Regem ſalutavit, a quo comiter exceptus eſt, tum etiam Ducem Heluinum Monaſterii Rameſienſis Fundatorem, qui diſcedentem muneribus cumulavit. Non ſolum S. Oſualdum, tunc Archiepiſcopum Eboracenſem, ſed etiam S. Dunſtanum ſibi amicos conciliavit, inter quos humaniſſimum interceſſit diſſidium, quis eorum cariſſimum hoſpitem in ſua domo aleret.

Cum

Sæculum X, A. C. 991.

Cum vero Abbas Floriacenſis data ad Abbonem epiſtola eum amantiſſime rogaſſet, ut rediret, valedixit duobus Præſulibus, qui donis plurimis abiturum onerarunt. S. Dunſtanus ei dedit vaſa argentea magnifici operis S. Benedicto offerenda. Oſualdus Abbonem Presbyterum ordinavit, & omnia, quæ ad officium Sacerdotale peragendum neceſſaria ſunt, præter alia, Calicem aureum & plura argentea donavit. Haud diu poſt reditum Abbonis Oiboldo Abbate Floriacenſi defuncto major Pars Congregationis eum Succeſſorem elegit; ſed obſiſtebant quidam Monachi, qui aliquem de Congregatione tanto muneri imparem, a ſe electum, ſuis machinationibus in poſſeſſionem Regiminis miſerunt. Quod ex pluribus epiſtolis Gerberti circa annum 987. nomine Abbatum Diœceſis Remenſis, Adalberonis Archiepiſcopi, & ſuo nomine tum ad Monachos Floriacenſes, tum ad S. Majolum Abbatem Cluniacenſem, & Ecbertum ſeu Eberardum Abbatem S. Juliani Turone, ſcriptis cognoſcimus. Omnes autem epiſtolæ iſtæ eo tendebant, u monachi ad rejiciendum Uſurpatorem permoverentur. At maximo monaſterii bono poſt breve temporis ſpatium e vita migravit. Vicit itaque major & ſanior pars Congregationis, atque Electionem Abbonis Rex Hugo ſuo

Mabill. Sæc. V. p. 776. 777.

Gerbert. ep. 70. 81. 87. 88. 89. 90.

vit. Abb. n. 7.

suo consensu confirmavit. Abbo Monasterii Floriacensis Regimen anno nongentesimo octogesimo octavo suscepit. Sæculum X. A. C. 991.

Monachis suis suadebat, ut post jejunia & orationem literarum studium tanquam eximium pietatis conservandæ præsidium amarent. Ipse legere, scribere, aut dictare nunquam cessabat. Postquam Dialecticæ & Astronomiæ operam navasset, lectioni S. Scripturæ & SS. Patrum se dedit, unde complura effata excerpsit, & in unum Opusculum collegit, arma semper præsto habiturus, quibus causam suam adversus Arnulphi Episcopi Aurelianensis postulatum defenderet. Quippe ille Præsul contendebat, Abbatem Floriacensem, Jurisdictioni suæ Spirituali aliunde subjectum, etiam ad juramentum fidelitatis tanquam Vasallum sibi præstandum obligari. Recusavit id vero Abbo, quoad vixit, dicens, Monasterium suum, quantum spectaret ad temporalia, nemini nisi soli Regi esse subditum. Inde nata est inter Episcopos & Abbates lis universalis, quæ prius locum non habuerat, quia Monasteria erant in potestate Principum Laicorum, aliorumve Episcoporum, qui hujus generis postulata facile excussissent. Verisimile est Episcopos credidisse, id juris sibi competere, quia in Ordinatione Presbyterorum eos ad quoddam juramentum præ- *Mabil. præf. Sæc. 6. 3.* *Conc. Cabil. 6. 13.*

Sæculum X. A. C. 993.

præstandum compellere solebant; quæ consuetudo postea in Concilio secundo Cabillonensi anno 813. sublata est. Quippe inter Cæremonias Benedictionis Abbatialis etiam hæc erat, quod Episcopi hoc juramentum fidelitatis sibi præstare Abbates juberent.

Sup. l. LVI. §. 5.

§. XXXII.

S. Udalricus Sanctis adscribitur.

tom. 9. Conc. p. 741.

Sub idem tempus Joannes XV. Papa Concilium celebravit, in quo S. Udalricus, anno post obitum ejus vigesimo, in Sanctorum numerum relatus est. Habitum est hoc Concilium Romæ in Palatio Lateranensi ultima die Januarii anno 993. Indictione sexta. Liutolfus Episcopus Augustanus surgens in medio Cœtus dixit: Legantur, rogo, coram vobis Scripta, quæ affero, de vita & Miraculis Udalrici, olim Episcopi Augustani, & deinde, quod visum fuerit, decernite. Hæc Scripta illi duo libri esse creduntur, qui hodieque supersunt, a Gerardo Presbytero, S. Udalrici Discipulo, compositi. Postquam ergo memorata Scripta in Concilio perlecta sunt, statutum, ut S. Udalrici memoriam omnes venerarentur, ut honor Sanctis, eorumque Reliquiis, exhibitus redundaret in Dominum, qui dixit: *Qui vos recipit, me recipit*, atque proinde, ut nos illorum precibus & meritis

Act. SS. Sæc. 5. p. 471.

ibid. p. 415.

Matth. 10. 40.

ritis adjuvemur. Bullæ hujus rei teſti Joannes Papa, quinque Epiſcopi Civitati Romanæ proximi, Presbyteri Cardinales novem, & Diaconi tres ſubſcripſerunt. Hæc prima occurrunt Acta authentica *Canonizationis* a Papa edita, quamvis hanc vocem Fideles longe poſteriori tempore demum uſurpaverint.

Sæculum X. A. C. 993.

Mabill. Præf. Sæc. 5. n. 99.

§. XXXIII.

Literæ Gerberti adverſus Arnulphum.

Utcunque conjecturæ locus eſt, in eodem Concilio Romano Joannem XV. Papam Depoſitionem Arnulphi Archiepiſcopi Remenſis, & Ordinationem Gerberti nullam pronunciaſſe. Illud vero exploratum, quod, ubi id factum fuiſſe comperit, ſtatim damnaverit, omnibusque Epiſcopis, qui Concilio Remenſi interfuerant, Sacris interdixerit. At Gerbertus, ratus, non teneri ſe huic decreto obtemperare, hac de re ad Seguinum Archiepiſcopum Senonenſem ſcripſit in hunc modum: *Dicunt Adverſarii noſtri, quod in Arnulphi dejectione Romani Epiſcopi judicium expectandum fuit. Poteruntne docere, Romani Epiſcopi judicium Dei judicio majus eſſe?* Nempe Gerbertus præſumit, Canonicum Epiſcoporum judicium eſſe judicium Dei. Sed quæſtio ſupererat, an judicium Concilii Remenſis Canonicum fuerit. Tum proſequitur:

Fragm. Chr. Duche. to 4. tom. 9. Conc. p. 744. poſt. Conc. Rem. p. 146.

Sæculum X. A. C. 993.

quitur: *Constanter dico, quod si ipse Romanus Episcopus in fratrem peccaverit, sæpiusque admonitus Ecclesiam non audierit, hic, inquam, Romanus Episcopus præcepto Dei est habendus sicut Ethnicus & Publicanus. Quanto enim gradus altior, tanto ruina gravior est.*

Quod si propterea sua Communione nos indignos ducit, quia contra Evangelium sentienti nullus nostrum consentit, non ideo a communione Christi nos separare poterit, nec a Regno Dei excludere. Neque vero Gregorii Sententia in populum lata, ad Episcopos extendi potest, dum inquit: sive juste, sive injuste obliget Pastor, sententia Pastoris gregi timenda est, non enim Episcopi grex, seu oves dicuntur, sed populus. (*) *Itaque non suspendi debebas a Communione ob crimen objectum nec confessus, nec convictus, nec haberi tanquam Rebellis, quia ad Concilia venire nunquam detrectasti.* (**) *Non est ergo danda occasio nostris æmulis, ut Sacerdotium,*

(*) Memorem iterum oportet esse Lectorem, futurum Summum Pontificem, Silvestrum il. ita loqui.

(**) Addidit hic Gerbertus, quod Fleurius omisit, illud S. Gregorii: *Sententia sine Scripto prolata nec nomen Sententiæ habere meretur.* Act. Conc. Tomi VI. Part. I. pag. 731. Unde cognoscimus, vel nullam Sententiam fuisse scriptam, vel saltem in Franciam non pervenisse.

tium, quod ubique unum est, ita uni subjici videatur, ut ipso pecunia, gratia, metu, vel ignorantia corrupto, nemo Episcopus esse possit, nisi quem ipsi hæc vitia commendaverint. Leges communes Ecclesiæ sunt Scriptura, Canones, & Decreta Sedis Apostolicæ ab his non discordantia. (*) *Quicunque per contemtum ab his deviaverit, per hæc judicetur; porro hæc servanti sit pax perpetua. Vale, & a Sacris Mysteriis suspendere te noli, ne nocens efficiaris.* Sæculum X. A. C. 993.

Gerbertus hac ampliorem dedit epistolam ad Wilderodum Episcopum Argentoratensem, qui de ejus causa edoce- *Post. Conc. Rem. p. 123.*

(*) Natalis Alexander respondens ad objectionem Censorum Religiosorum Tom. XI. in Joan. XV. hæc habet: *Loquens tamen de Epistola Gerberti (qui postea Summus Pontifex fuit Silvester II.) ad Seguinum Senonensem Archiepiscopum hanc in ea non spernendam sententiam observo: Sit Lex communis Ecclesiæ Catholicæ Evangelium, Apostoli, Prophetæ, Canones Spiritu Dei constituti, & totius Mundi reverentia consecrati, Decreta Sedis Apostolicæ ab his non discordantia: & qui per contemptum ab his deviaverit, per hæc judicetur, per hæc abjiciatur. Hæc Gerbertus. De meo nihil addo.... Sed ipsis* (Censoribus) *displicet, quod præclaram illam Sententiam descripserim, ex qua colligi potest, Ecclesiam secundum Canones, non arbitraria potestate regi.*

Sæculum X. A. C. 993.

ri petierat. Hanc Gerbertus exponit in hunc modum: *Arnulphus, qui filius Lotharii Regis dicitur, quod Episcopum suum* (nempe Laudunensem) *deceptum unacum urbe prodidisset, unde multum sanguinis effusum, atque latrocinia & incendia secuta, in Concilio Episcoporum totius Galliæ damnatus est. Mortuo deinde Adal-*

Sup. §. 18.

berone Archiepiscopo, a solo Episcopo Laudunensi reconciliatus, obtinuit Sedem Remensem, amore pacis ei concessam, & diris omnibus se ipsum devovit, nisi fidem suam, quam Regi astringebat, servaret. Sed en, perfidiam! post Ordinationem suam sex mensibus vix dum exactis, civitatem hosti tradidit, Sanctuarium expilatum profanavit, Clericos populumque in captivitatem redegit. Tum ut cautius falleret raptoribus anathema ipse dixit, & a Suffrageneis suis dici jussit. At Ecclesiæ suæ fundos Vasallis suis, qui ipsi juramentum fidei præstiterant, ereptos, hostibus dedit, & rebellis militem contra Regem suum sub signis Caroli pugnaturum misit. Inter hæc Nuncii diriguntur ad Papam, deferuntur ad eundem literæ Synodicæ, quibus Ecclesiæ malis mederi rogabatur. Ipso silente, cum Episcopi deliberassent, monitus Arnulphus, necessarium esse, ut se Canonice purgaret, & per menses octodecim tergiversatus, tandem intelligens, se a Principibus deseri, ad Regem venit, novis-

novisque iterum Sacramentis obstrictus convivio adhibetur. Tunc vero ratus, se præterita diluisse, fidem datam recenti defectione fregit. Itaque, quorum intererat amplius a perfido non falli, Arcem Laudunensem vi armorum superant, Arnulphus inter Regis hostes captus, Concilio sistitur, & fidei toties læsæ rationem reddere compellitur. Tandem postquam diu tum solus, tum cum amicis consultasset, ultro crimina sua confessus est, seque Dignitate Episcopali abdicavit.

Sæculum X. A. C. 993.

Postquam Gerbertus rem ita narravit, addit: *De veritate criminum Partes utcunque consentiunt, sed ejus Defensores diversa afferunt. Alii dicunt, Regem ei ignovisse, postmodum autem Arnulphum nihil nisi venia dignum admisisse. Alii contendunt, injuriam Papæ esse illatam, cum Arnulphus sine ipsius Auctoritate depositus fuit.* Ad istud responsurus Gerbertus inter Legem & Consuetudinem distinguit. Ipso arbitro, in materia Ecclesiastica Leges sunt Sacra Scriptura, Canones Conciliorum, & Scripta Patrum. Tum subjungit: *Si omnes Episcopi Canones sancte servarent, Pax & concordia in omnibus regnaret Ecclesiis. Nulla de Bonis jurgia, nulla de Ordinationibus, nulla de Privilegiis nascerentur.* Agit deinde de criminum diversitate & Ordine Judiciorum; affirmatque, quan-

p. 128.

p. 132.

Sæculum X. A. C. 993.

doquidem crimina Arnulphi fuiſſent manifeſta, Epiſcopos nihil aliud egiſſe, niſi quod ea effectui dederint, quæ olim Legibus ſtatuta fuiſſent, ac contumaciam unius anni ad eum, etiam inauditum, condemnandum ſufficere potuiſſe.

Quod ad Papam ſpectat, inquit deinde Gerbertus, *nulla ei illata eſt injuria, quoniam octodecim menſium ſpatio per literas & per nuncios cauſam edoctus reſpondere noluit. Nec ejus ſilentium, nec novæ Conſtitutiones Legibus in Eccleſia dudum receptis præferri debent. Vos igitur, qui Fidem Regibus veſtris datam ſervatis, qui paricidii & proditionis nomen horretis, favete nobis, nobis inquam, Epiſcopis, qui obedimus Deo magis quam hominibus. Dicunt, Arnulphum a ſolo Papa judicandum fuiſſe; quin confeſſus ab Epiſcopis ſecundum Concilium Nicenum deponendus fuit, quamvis etiam falſa de ſe confeſſus fuiſſet, quia tunc ſaltem falſi contra ſeipſum teſtimonii reus eſſet.* (*)

Gerberti Epiſtolæ. p. 139.

Aliis in Defenſionem Arnulphi afferentibus, quod ei Rex qualemcunque culpam remiſiſſet, Gerbertus reſpondet; Regibus haud datam eſſe poteſtatem in animas hominum, ſed Epiſcopis, quorum eſſet ligare & ſolvere, id eſt pœnas Spirituales, quales eſſent Depoſitio & Excommu-

(*) Nimius hic eſt Gerbertus.

comunicatio, delinquentibus irrogare. Quamobrem Regum gratia Arnulphi peccata remitti non posse, qui præterea post receptam veniam iterum perjuriis & Sacrilegiis se inquinasset. In fine epistolæ Gerbertus Wilderodum rogat, ne calumniatoribus suis fidem adhibeat dicentibus, quod Sedem Remensem invasisset, & Arnulphum captum hostibus tradidisset, sed potius apud Episcopos & apud Regem suum (nempe Rudolphum III. Burgundiæ Superiori dominantem) innocentiam suam defendat. Sæculum X. A. C. 993. p. 143.

Rex Hugo Epistolam ad Summum Pontificem exaravit in hæc verba: *Beatitudini vestræ ego & Episcopi mei per Archidiaconum Remensis Ecclesiæ literas misimus, in quibus Arnulphi causam vobis explanavimus. Sed hoc nunc obsecrando superaddimus, ut de me meisque justa decernatis, nec dubia pro certis recipiatis. Nihil nos contra Apostolatum vestrum egisse scimus. Quod si absentibus non satis creditis, præsentes vera cognoscite. Gratianopolis civitas in finibus Italiæ & Galliæ sita est, ad quam Romani Pontifices Francorum Regibus occurrere soliti fuerunt. Illuc, si vobis placet, iter facite. At si nos & nostra invisere libet, summo cum honore descendentem de Alpibus excipiemus, morantem ac redeuntem debitis obsequiis prosequemur.* tom. 9. Conc. p. 743. post Conc. Rem. in fin.

Sæculum X. A. C. 993.

§. XXXIV.

S. Majoli Cluniacenſis Obitus.

Sub idem tempus Rex Hugo S. Majolum Abbatem Cluniacenſem, quem ſingulari veneratione proſequebatur, rogavit, ut ad reformandam Abbatiam S. Dionyſii veniret. Tunc vero ſaltem triennium evolutum fuerat, ex quo S. Abbas ſibi Coadjutorem elegerat; quippe annis & infirmitatibus fractus more Anteceſſorum ſuorum curam geſſit, ne Abbatia vacaret, & ſe vivo Succeſſorem ſibi dari voluit. Ergo Odilonem elegit, in Arvernia ex nobiliſſima Familia Mercurienſi * natum. Eum in prima ætate Clericis S. Juliani Brivatis adſcriptum, ubi adolevit, ingens deſiderium ſubiit mundum relinquendi; cumque S. Majolus in Arverniam veniſſet, & de Odilone juvene, in conſpectum ſuum deducto, optimam ſpem concepiſſet, ambo tam tenero affectu juncti ſunt, ut poſt breve temporis ſpatium Odilo relictis Brivatis * Cluniacum convolans Inſtitutum & habitum Monaſticum amplexus fuerit. In via perfectionis ſtrenue progredientem S. Majolus dignum cenſuit, qui ſibi in Regimine ſuccederet. Actum hoc eſt circa annum nongenteſimum nonageſimum primum, quod ex pluribus diplomatibus annorum ſequentium, in quibus

Mabill. Sæc. 5. *Ben. p.* 780. *c.* 8.

* Mercoeur.

Mabil. Elog. S. Odil. Sæc. 6.

* Brioude.

Odilo

Odilo Abbas dicitur, diſpicimus. Decretum ejus Electionis illi ſimillimum eſt, quod editum, cum S. Majolus eligeretur, atque ex quibusdam inſertis verbis ſatis colligitur, eligentes cavere voluiſſe, ne Odilo oblatam Dignitatem ullo prætextu rejicere poſſet. Subſcripſerunt primo S. Majolus, deinde Rudolphus Rex Burgundiæ, Buchardus Archiepiſcopus Lugdunenſis, Hugo Epiſcopus Genevenſis, Henricus Lauſanenſis, Hugo Matisconenſis, Gualterius Auguſtodunenſis, quidam alii Præſules aut Proceres, & centum ſeptuaginta ſeptem Monachi. Tantus erat Monachorum Cluniacenſium numerus. Hæc conſuetudo, quod in Electione Abbatum tot viri ſummis Dignitatibus conſpicui intereſſent, non nullum in Regula S. Benedicti fundamentum habebat, atque exinde hujusmodi Acta omni exceptione majora efficiebantur. Nihilominus S. Majolum tanquam Abbatem usque ad obitum ſuum omnes venerati ſunt, ut ex compluribus Decretis, quibus ſubſcripſit, patet. Sæculum X. A. C. 993. *to. 6. Spicil. p. 425.*

S. Majolus ingraveſcente ſenectute non modo de vitæ rigore nihil relaxabat, ſed etiam multo ferventius Deo ſervire conabatur. Biennio prius quam e vita diſcederet, in publicum prodire nolens in Monaſterio aut in ædibus illius ditionis ſe continebat. Fratribus tamen præcepta *vit. c. 19.*

Sæculum X. A. C. 993.

cepta salutaria suggerebat, ipse inprimis orationi & lectioni intentus. Ex oculis sæpe lacrymæ labebantur, cum cogitaret viros, olim sibi notos, Spiritu Ascetico plenos, qui Religionem unice amabant, & pro Ecclesia omnibus viribus decertabant. Horum memor terrena omnia fastidiebat, & ardenter cupiebat esse cum Christo. In illa solitudine hærentem invenere a Rege Hugone missi cum mandatis, quibus ad Monasterium S. Dionysii proficisci jubebatur. Itaque, quamquam finem suum haud procul abesse augurabatur, itineri se tamen dedit, ratus, se nulla alia ratione melius quam in tam pio labore cursum vitæ consummaturum. Accidit quod optabat; nam cum in Arvernia ad Monasterium sui Ordinis, quod tunc Silviniacum hodieque *Souvigni* dicitur, duabus leucis a Molinis* positum, Diœcesis Claromontanæ perveniisset, correptus est morbo, ex quo moriturum se cognovit, atque die Veneris altera post Ascensionem Domini die, undecima Maji, anno nongentesimo nonagesimo quarto, postquam Abbatiam Cluniacensem rexisset annis quadraginta & uno placidissime animam Deo reddidit. Sepultus est in Ecclesia S. Petri, Rege Hugone, cum exequiæ ducerentur, præsente, qui ejus Sepulchrum, multis editis miraculis postea clarum, magnis

* Moulins.

Sup. l. LV. §. 36.

gnis donis decoravit. Ibidem posterio- Sæculum X.
re tempore erectum est Altare, & cor- A.C. 993.
pus e terra elevatum; Ecclesia vero ejus *Mart. Rom.*
memoriam die qua obiit celebrat. 11. *Maji.*

§. XXXV.

Monasteria a S. Majolo reformata.

Sanctus Majolus magna Ecclesiæ obsequia præstitit, per ingentem numerum Discipulorum suorum, & Monasteria, in quæ Disciplinæ rigorem reduxit; quippe eo consilio Regum & Principum amicitiam colebat, in paucis carus Ottoni Imperatori, Adelheidi Imperatrici, Ottoni II. eorum filio, Conrado Regi Burgundiæ Imperatricis fratri, Mathildi Reginæ ejus uxori, Henrico Duci Burgundiæ, Guilielmo Duci Aquitaniæ, Richardo Duci Normanniæ, Principibus Italiæ, Guilielmo Duci Provinciæ, & Archembaldo Borbonii Dynastæ, qui maxima in Monasterium Silviniacense beneficia contulit. Cum Otto Magnus Imperator Monasteria, quæ ipsi tanquam Regalia subjiciebantur, tam in Italia, *Elog. c. 6.*
quam in Germania curæ S. Majoli com- *p. 373. c. 9.*
misisset, in Italia Monasterium S. Apollinaris prope Ravennam, Cœli aurei prope Ticinum, & S. Pauli Romæ reformavit. *p. 785.*
In Francia Disciplinam Regularem postliminio invexit in Monasterium Martyrum *, S. Germani Antissiodori, * Marmoutier.
S. Be-

Sæculum X. A. C. 993.

S. Benigni Divione, Fescanense, & Fossatense S. Mauri. Quatuor præcipui S. Majoli Discipuli fuere Odilo ejusdem Successor, Guilielmus Divionensis, Teuto S. Mauri, & Heldricus Antissiodorensis, qui prius in Regia Ottonis Magni in Italia versatus, uxore & ampliſſimis prœdiis relictis, Cluniaci Monachum induit. Cum deinde Henricus Dux Burgundiæ, Hugonis Capeti frater, S. Majolo Abbatiam S. Germani Antissiodori, quæ jam longo tempore Abbatibus privata a Præpositis regebatur, contulisset & S. Abbas disciplinam reduxisset, ibidem anno 989. Heldricum Abbatem præfecit. Eum omni virtutum genere splendentem Henricus Dux, & Hebertus Episcopus Antissiodorensis, Ducis Frater, Hugonis Magni filius ex Amica genitus, magno in pretio habuit.

Inter hæc Buchardus Comes Parisiensis etiam Monasterium S. Mauri reformari curavit. Mainardus illa tempestate hujus Monasterii Abbas, vir nobili genere natus, sæcularium mores sectabatur. Venationi impense deditus, quando e Monasterio exibat, depositio habitu monastico, pretiosa corporis capitisque vestimenta induebat. Monachi Abbatis sui exemplum sequebantur. Attamen aliquis eorum, scandalum non ferens, secreto ad Comitem Buchardum se confert,

vit. Burc. Com.

Monasteria O. S. B. reformantur.

fert, & rogat, ut efrenem licentiam Abbatis ſiſteret. Comes Regem Hugonem adit, & ſibi hanc Abbatiam, quæ inter Regales numerabatur, concedi petit, eo potiſſimum conſilio, ut eam reformaret. Qua obtenta, Cluniacum contendit, & S. Majolum inſtantiſſimis precibus fatigat, ut hujus Monaſterii Diſciplinam collapſam reſtitueret. Cui S. Abbas: *In Regno veſtro magnum Monaſteriorum numerum habetis, ab iis opem quærite. Cur ad nos ignotos & longe a vobis poſitos venitis?* Nempe Monaſterium Cluniacenſe in Ditione Regis Burgundiæ exiſtebat, & difficile erat commercium cum hominibus alteri Regi ſubditis. Sæculum X. A. C. 993.

Nihilominus S. Majolus, cum Dynaſta inter continuas preces etiam ad genua renuentis ſe ſe demitteret, flecti ſe paſſus cum delectis exploratæ virtutis monachis viæ ſe dedit. Ubi ad Matronam, nobilem amnem pervenerunt, Comes miſſis nunciis totam S. Mauri Congregationem ad ſe trans flumen venire jubet. Parent Monachi, quid ageretur, ne quidem ſuſpicati. Tunc vero Buchardus denunciat; illis, qui cum Majolo Abbate vitam ducere, eique ſubeſſe vellent, poteſtatem fieri ad Monaſterium ſuum redeundi, ceteri autem, qui ei ſubjici recuſarent, abirent, quo luberet, nihil præter veſtimentum, quo tegerentur, auferen-

Sæculum X. A. C. 993.

ferentes. Monachi discedere maluerunt, & Meinardus Abbas Monasterio Glandifolienſi, Monasterio S. Mauri subjecto, præfectus est, ad S. Maurum vero S. Majolus Teutonem, quem Cluniaco secum adduxerat, Abbatis munere fungi jussit.

Act. SS. Ben. Sæc. 6. p. 322.

Guilielmum Abbatem, S. Majoli Discipulum, in Italia natum, parentes nobiles & divites Deo consecraverant, in Monasterio S. Januarii Locediæ prope Vercellos deinde educatum. Mortua matre, filius patrem suo hortatu eo adduxit, ut & ipse eidem Congregationi adscribi voluerit, in qua Sancte obiit. Episcopo Vercellensi Guilielmum Diaconum ordinare volenti, juramentum ei præstare detrectavit, affirmans, hunc morem abusum esse, & aliquod Simoniæ genus.

Guilielmus S. Majoli Discipulus.

Postquam fama percepisset, præclara Disciplina Cluniaci vigeret, desiderium subierat eo commigrandi, cum opportune accidit, ut Majolus Locediam veniret. Ei ergo Guilielmus consilium secreto aperuit, quo approbato S. Abbas promisit, se ubi Roma rediret, eum secum in Franciam deducturum. Ita Guilielmus relicta patria, familia & regione, in qua fundos amplissimos possidebat, S. Majolum Cluniacum secutus, tantos in vita spirituali progressus fecit, ut uno anno elapso S. Abbas eum Presbyterum ordinasset,

set, nisi ipse se tanto honore credidisset indignum. Sæculum X. A. C. 993.

S. Majolus exinde Guilielmum misit ad reformandum Monasterium S. Saturnini ad Rhodanum, vulgo *S. Saurin*, atque eundem post octodecim mensium spatium revocavit, ejus opera Divione usurus. Nam Bruno Episcopus Lingonensis, Monasterium S. Benigni reformare cupiens, S. Majolum adierat, qui monachorum suorum præcipuos numero duodecim, Guilielmo præposito, Episcopo misit. Henricus Dux Burgundiæ Guilielmo postmodum Monasteria Verziacense & Bezense commisit, ut in iis collapsam disciplinam restitueret.

§. XXXVI.

S. Wolfgangi Ratisbonensis extrema.

Eodem anno, quo S. Majolus, Sanctus Wolfgangus quoque Episcopus Ratisbonensis, postquam illam Ecclesiam annis viginti rexisset, obiit, qui Disciplinam Regularem inter Canonicos, Monachos, & Sacras Virgines reduxit, cum in ipsa civitate Ratisbonensi Monachorum S. Emmerami teporem videret, sæpe dicere auditus: *Si monachos haberemus, non deesset nobis reliqua.* Et respondentibus, plures quam opus esset ubique locorum dari monachos, flens ajebat: *Quid prodest Sanctitas Habitus sine operibus?* Mo-

vit. Sæc. 5. Ben. c. 15. p. 819.

Sæculum X. A. C. 993

nachi Regulam ſervantes bonis Angelis, & tepidi malis ſimiles ſunt. Cauſa mali erat, quod jam longo tempore Epiſcopi Ratisbonenſes ſimul Abbatia S. Emmerami fruerentur & Monaſterii reditibus in ſuos uſus converſis Monachos vitæ neceſſaria ſibi ipſis comparare cogerent. S. Wolfgangus, ut Diſciplinam reſtitueret, quemdam S. Monachum nomine Ramuoldum, qui olim cum ipſo Henrico Archiepiſcopo Capellanus ab obſequiis fuerat, e Monaſterio S. Maximini Treviris evocatum, Monaſterio S. Emmerami Abbatem præfecit.

vit. Ramuol. Sæc. 6. p. 3.

Non nullis, Epiſcopo a conſiliis, minime probantibus, quod reditus pingues Succeſſoribus ſuis ſubtraheret, quibus Anteceſſores potiti eſſent, reſpondit: *Nolo in me ſuſcipere onus viribus meis majus. Satis laboris eſt munere Epiſcopali bene fungi, nolo curas Abbatis ſuperaddere. Abſit, ut Bona Monaſterii S. Emmerami diſtrahan, ſed in hunc uſum impendam, cui a Fundatoribus addicta ſunt.* Ita Ramuoldus Abbas Regulæ rigorem in hoc Monaſterium reduxit, cum opes abunde non modo ad alendos monachos, ſed etiam ad hoſpites advenientes excipiendos, & eleemoſynas erogandas ſuppeterent. Simili induſtria S. Wolfgangus etiam Virgines Sacras, & Canonicos ad obſervandam Regulam compulit.

Sæpe

Sæpe dicebat ad populos ſuos magno fervore Paſtorem auſcultantes. Simplex erat oratio & captu facilis, gravis tamen & movens. Usque ad intima cordium penetrans ſaluberrimas lacrymas eliciebat. Dœceſim ſuam viſitans S. Epiſcopus Parochos officii ſui commonebat; inprimis vitæ puritatem conſervarent, & ne putarent, quod aliqui ſibi perperam fingebant, Sanctam Communionem eorum peccata ſine præcedente pœnitentia delere. Cum comperiſſet, quosdam invenire eſſe, qui deficiente vino in aqua pura, vel in alia re potabili Miſſam celebrarent, hos ſevere reprehendit, atque ut omnem prætextum auferret, vinum e ſua cella Sacrificio adhibendum iis ſuppeditavit.

Otto II. Imperator, ut novellam Chriſti vineam in Bohemia rigaret, Sedem Cathedralem in quodam loco, Diœceſi Ratisbonenſi ſubjecto fundaturus, miſſis ad S. Wolfgangum Legatis rogari eum juſſit, ut pro illa regione, in qua novus Epiſcopatus conderetur, alios in Bohemia fundos reciperet. S. Wolfgangus de hac re cum Clericis ſuis conſultavit, qui omnes rejiciendum eſſe Imperatoris poſtulatum cenſuerunt. At viro Sancto alia ſententia ſtetit, optatiſſimam occaſionem fidem Chriſti propagandi negligere nolenti. Ergo & hanc permuta-

Sæculum X. A. C. 993.

c. 17. 18. c. 19.

c. 23.

Miſſa in aqua.

c. 24.

c. 29.

Sæculum X. A. C. 993.

tionem ratam habuit, & ipse sua manu Decretum conscripsit. Nova hæc Cathedralis Ecclesia non nominatur; Pragensis vero non fuit, utpote jam anno nongentesimo sexagesimo nono, nempe annis sex, priusquam S. Wolfgangus Episcopatum susciperet, fundata.

Sup. l. LVI. §. 17.

Tandem ad partes Bavariæ, qua Orientem spectat, iter facientem febris corripuit; cumque ad locum *Lupping* dictum in ripa Danubii positum perveniisset, ingravescente morbo subsistere coactus in quoddam Sacellum S. Otmari deferri voluit. Ibi aliquantisper resocillatus, peccata sua confessus est, accepit Viaticum, & humi prostratus in eo situ perseveravit. Ecclesiæ custodes, & qui Episcopo a cubiculis erant, omnes accurrentes excedere excepta ipsius familia & cognatis jubebant; sed vir Sanctus dicebat: *Aperite portas, cunctos, quicunque voluerint, finite huc intrare. Nullius rei nisi tantum peccatorum nostrorum in morte nos pudeat. JEsum Christum, mortis Imperio neutiquam subditum, non puduit nudum in cruce mori. Quilibet, cum me morientem videt, discat, quid sibi aliquando pertimescendum sit, quid ante mortem fugiendum. Deus misereatur mei, peccatoris, jam jam morituri, & omnium illorum, qui mortem cum timore Domini & humili corde suscipient.* Hæc effatus, oculos

c. 38.

oculos clausit, & in pace expiravit, ultima die Octobris anno nongentesimo nonagesimo quarto. Ratisbonam translatum Hartwicus Archiepiepiscopus Salisburgensis in Ecclesia S. Emmerami sepelivit. Ceterum sicut prius vivus, ita etiam mortuus in Sepulchro multis prodigiis claruit. Ecclesia vero ejus memoriam ipsa obitus die colit. Sæculum X. A.C. 994. *Mart. Rom. 31. Octob.*

§. XXXVII.

Concilium Mosomense.

Joannes XV. Papa, ut causam Ecclesiæ Remensis finiret, misit Legatum in Franciam, SS. Alexii & Bonifacii Romæ Abbatem, qui Pontificis nomine Concilium in Diœcesi Remensi indixit. Cui initium datum est Mosomi in Ecclesia Dominæ Nostræ, secunda die Junii, Indictione octava. Sed plures haud interfuere quam Liutolfus Archiepiscopus Trevirensis, & tres Episcopi, Aymo Virdunensis, Notgerus Leodiensis, & Sigefridus Monasterienſis, ex Regno Germaniæ omnes. Leo Legatus in medio eorum consedit, & Gerbertus Archiepiscopus in parte adversa, tanquam Ordinationis suæ rationem redditurus. Complures Abbates quoque, & Godefridus Dux Lotharingiæ cum quibusdam aliis Laicis aderant. Silentio a præcone imperato, surgens Aymo Episcopus Virdu- *tom. 9. Conc. p. 747.*

Sæculum X. A. C. 994.

nensis profatus est, lingua Gallica utens (id est, ut opinor, lingua Romana seu Latina vulgari, unde nostra originem duxit) dixit vero; Joannem Papam, postquam Episcopos Galliarum ad celebrandum Aquisgrani Concilium, unde postea Romam venirent, in cassum hortatus fuisset, tandem in Provincia Remensi Concilium indici voluisse, ut ex Legato suo perciperet, quænam argumenta Pars utraque de Depositione Arnulphi & Electione Gerberti afferret. Mox protulit Bullam plumbeo sigillo munitam, quam dissolvens coram omnibus recitavit.

Qua perlecta surgens Gerbertus dixit: *Semper quidem, Reverendissimi Patres, hanc diem præ oculis habui, spe ac voto ad eam intendi, ex quo a Fratribus meis admonitus istud Sacerdotii onus non sine periculo capitis mei subii. Tanti erat apud me pereuntis populi Salus, tanti erat illorum auctoritas, qua me tutum fore existimabam. Recordabar præteritorum beneficiorum, atque dulcis Benevolentiæ vestræ, quam sæpe expertus fueram; cum eccè subitus rumor vos offensos insinuat. Horrui, fateor, & quos ante formidabam, gladii inimicorum meorum, indignatione vestra minus malum videbantur. Nunc vero, quia propitio Numine coram illis sto, quibus salutem meam semper commisi, paucis de innocentia mea disseram.*

Ego

Sæculum X. A. C. 994.

Ego quippe post obitum Ottonis Augusti, cum a clientela Patris mei Adalberonis non discedere statuissem, ille non cogitantem ad Sacerdotium evexit, & moriturus coram illustribus viris futurum Ecclesiæ, quam deserebat, Pastorem designavit. Sed Simoniaca hæresis me repulso Arnulphum prætulit. Cui tamen plusquam oportebat fidum obsequium præbui, donec ipsum seditionem movere manifeste cognoscens, ab eo & omnibus conscriis recessi, nulla spe, aut ambitione permotus, sed ne flagitii particeps fierem. Postquam deinde diu frustra citatus fuit, & præfixum contumacibus tempus effluxit, cum nihil aliud restaret, nisi ut Principis Judicio coerceretur, & tanquam rebellis ab Archiepiscopali Cathedra pelleretur, iterum a Fratribus meis & Regni Optimatibus commonitus sum, ut curam derelicti & oppressi populi susciperem. Diu distuli, & invitus acquievi, quoniam quanta pericula me comitaventur, perbene intellexi. Hæc, coram Deo, viarum mearum simplicitas fuit.

Gerbertus causam dicit, *ep.* 24. *bis.*

Accusor, quod Dominum meum prodiderim, carceri mancipaverim, ejusque Sedem invaserim. An vero Dominus meus fuit, cui nullum Sacramenti genus unquam præstiti? etsi enim ad tempus famulatus sum, id ex imperio Patris mei Adalberonis feci, qui, me in Ecclesia Re-

Sæculum X. A. C. 995.

menſi commorari, præcepit, quoadusque dignoſcerem, quibus moribus novus Epiſcopus viveret. Quod dum operior, boſtium præda factus ſum, & quæ veſtra munificentia magnorumque Ducum largitas in me contulerat, violenta prædonum manus abſtulit, meque pæne nudum gladiis ſuis ereptum doluit. Denique poſtquam Rebellem reliqui, nullo modo ei communicavi. Quomodo ergo eum boſtibus tradidi, qui ubi tunc temporis fuerit neſcivi? Sed nec ego cauſa ſum, quod carceri incluſus fuerit, qui nuper præſentibus viris fide dignis Regem Dominum meum rogavi, ne ad momentum propter me in cuſtodia detineretur. Si enim mea apud vos valeret auctoritas, usque adeo Arnulphus vileſceret, ut mihi nulla ratione obeſſe poſſet. Quod ſi ſententia veſtra, quod abſit, mihi adverſetur, mea parum interet, utrum Arnulphus vel alius Remorum Epiſcopus conſtituatur.

Illud deinde ſibi objectum, quod Sedem alterius invaſiſſet, Gerbertus non ſatis diluit, dicens, Arnulphum non potuiſſe haberi Sponſum Eccleſiæ, quam Simoniæ ſcelere perdidiſſet. Interrogat etiam, quomodo Eccleſiam populorum multitudine refertam advena & peregrinus nullis fretus opibus obtinere potuerit? Sibi ipſi poſtea objicit, maximi momenti Cauſam, inconſulta Sacra Sede per-

tractari, non debuisse, & respondet, Papam omnia causæ adjuncta fuisse edoctum, atque ejusdem per octodecim menses fuisse expectatam sententiam. Postea quoque Episcopis Galliæ tantam fuisse S. Sedis reverentiam, ut Arnulphum non nisi ore proprio confessum damnassent, & tunc denique quando innocens nulla amplius ratione haberi potuisset. Tum repetit, sibi reluctanti Archiepiscopalis muneris onus fuisse impositum, & si forte a Sacris Legibus in aliquo fuisset deviatum, id non malitia sed temporum iniquorum, a quibus nec Episcopi tuti essent, necessitate cogente factum. Sæculum X. A.C. 995.

Hæc Gerberti oratio magis ab arte bene dicendi, quam a candore commendatur, quod Lector ex superioribus, quæ retuli, præsertim ex ejus epistolis judicare potest. Cum peroraſſet, Scriptum Legato tradidit, a quo Papæ simul epistolam accepit. Tunc autem Episcopi e Concilio egressi cum Duce Godefrido deliberant. Moxque advocatum Gerbertum rogant, ut Joannem Leonis Abbatis Monachum ad Regem Franciæ honorifice deduci curaret. Gerberto id se facturum adpromittente, Episcopi Concilium prima Julii Remis celebrandum indicunt. Jamque Concilium Mosomense solutum videbatur, cum post aliquod temporis spatium Episcopi ad Gerbertum De Gerberto judicium.

Sæculum X. A. C. 995.

remeantes nomine Leonis Legati insinuant, ipsi usque ad Concilium Remense ab officio Divino esse abstinendum. Gerberto reclamante reditur ad Legatum, cui Gerbertus; Nec cuiquam Episcopo, nec Patriarchæ, nec ipsi Papæ potestatem esse Fidelem excommunicandi, nisi propria confessione vel aliunde convictum, aut in Judicium venire contumaciter recusantem. Sibi vero nihil eorum objici posse, quin se solum ex omnibus Galliæ Episcopis ad hoc Concilium contulisse. Denique cum sibi nullius culpæ conscius esset, neutiquam commissurum, ut a se ipso damnatus videretur.

Nihilominus tandem Liutolfo Archiepiscopo Trevirensi, cujus pietatem & modestiam diu perspectam habebat, victas manus dedit Gerbertus. Nempe Archiepiscopus fraterno affectu monebat, ne Adversariis suis occasionem scandali præberet, & speciem contumaciæ in Decreta Summi Pontificis, suadebatque, ut Sacræ obedientiæ studio Missam non celebraret usque ad primam Julii diem, qua alterum Concilium initium sumeret. Gerberto acquiescente tunc quidem Episcopi post Concilium Mosomense in diversa discesserunt. Sed longior quam credebatur inter istud & Remense Concilium intercessit mora; quippe quamdiu Rex Hugo in vivis egit, Gerbertus Archi-

Archiepiscopus Remensis, & Arnulphus in carcere Aurelianensi captivus fuit. (*) Sæculum X. A. C. 995.

§. XXXVIII.

Adalbero II. Episcopus Metensis.

Illa tempestate Ecclesiæ Metensi Episcopus præerat Adalbero II. ex Friderico Duce Lotharingiæ & Beatrice Regis Hugonis Capeti sorore genitus. Pro eo, in Abbatia Gorziensi primis literis imbuto, Episcopo Theodorico fatis functo, Beatrix mater Episcopatum Metensem ab Imperatrice Adelheide, cum Otto III. mino- *vit. Bibl. Labb. to. 1. p. 670. Mabill. Sæc. 6. Ben. p. 29.*

(*) In Actis Concil. Concilio huic Remensi apponitur annus 995. non vero, ut ex Fleurio sequitur annus 998. In margine tamen addita est Adnotatio Patris Grabrielis Cossartii S. J. in hæc verba: *Persuasit sibi Baronius, quem Binius, ut in omnibus solet, secutus est, tantam fuisse Hugonis Regis erga Rom. Pont. reverentiam, ut obsecutus sit huic posteriori Remensi Synodo, eductumque de carcere Arnulphum restituerit: quamquam ipsum ut germen Carolinæ Stirpis, sibi adversantem expertus esset. Hunc in errorem inductus est ab Aymoini continuatore .... at restitutum Arnulphum non fuisse, neque Aurelianensi e carcere eductum, nisi annis post Leonis Legationem ac Synodum tribus, jam functo Hugone Rege, Roberto solo regnante, Gregorio V. Pontifice, discimus ex Aymoino in libro de vita S. Abbonis &c.*

Sæculum X. A. C. 995.

minorennis esset, obtinuit. Electus est ergo Adalbero decima sexta Octobr. anno nongentesimo octogesimo quarto, & die Dominica vigesima octava Dec. in Festo Innocentium ab Ecberto Archiepiscopo Trevirensi consecratus, omnibus hominum ordinibus, etiam Judæis, carissimus. Monachos affectu tenerrimo & singulari complectebatur, unde sæcularibus conquerendi occasio nata, quod soli monachi totum Episcopi pectus occuparent. Monasterium S. Symphoriani & quædam alia, item Hospitium Metense, in quod Virgines Religiosas immisit, restauravit.

Adalbero Romam profectus, sedente Joanne XV. ab eo honorifice exceptus est. Missam celebrans aut Sacra Sacramenta administrans semper sub pretiosis vestibus cilicium gerebat. In Vigiliis solemnium Festorum nihil cibi sumebat, Quadragesimam in Monachorum consortio ut plurimum in Monasterio Gorzienſi transigebat, cuius loci disciplina & tranquillitate mire delectabatur. In eo autem maxime singularis charitas enituit, cum sæpe una die pauperes centum ardenti ulcere, communi illo tempore in Burgundia peste, afflictos suis manibus lavit, fovitque.

In quodam Concilio, sub initium Regni S. Henrici habito, Conradum Ducem Austra-

Austrasiæ propinquum suum intrepide detulit, quod feminam, quam proxima agnatione contingebat, duxisset, sprevitque periculum, cui exponebatur, potentem Principem offendens. RaptoresBonorum Ecclesiæ aut pauperum strenue persequebatur, & Censuras Ecclesiasticas contemnentes arrepto gladio sæculari castigabat, eorum agros vastabat, Arcesque diruebat. (*) Presbyterorum filios, ubi aliunde dignos judicabat, dissimulato natalium probro ordinabat. Creavit autem Presbyteros ultra mille, Clericis inferioribus non numeratis. Postquam hac ratione Ecclesiam Metensem annis plusquam viginti rexisset, obiit decima quinta Dec. anno 1005. & in Ecclesia S. Symphoriani sepultus est. Sæculum X. A. C. 995.

§. XXXIX.

S. Bernuardus Episcopus Hildesheimensis.

In Saxonia, Gerdago Episcopo Hildesheimensi fatis functo, Bernuardus, Regis Ottonis III. præceptor communi omnium consensu Successor eligitur, & com- *vit. n. 6. Act. SS. Ben. Sæc. 6. p. 204.*

(*) Omnino coercendi sunt Censuræ Ecclesiasticæ contemptores; non autem Episcopi sed Principis gladio. Unde Adalberonis zelus adversabatur mansuetudini Ecclesiæ, quæ gladio sæculari non utitur.

Sæculum X. A. C. 995.

Sup. l. LVI. §. 58.

compluribus aliis nobilibus, inter Clericos Palatii miniſtrantibus, præfertur. Eum Willegiſus Archiepiſcopus Moguntinus, ipſius Metropolitanus, decima quinta Januarii anno nongenteſimo nonageſimo tertio, Indictione ſexta, conſecravit. Adhuc juvenis morum gravitate ſenes ſuperabat, maximam noctis partem orationi dabat, in officiis divinis aſſiduus. Miſſa Solemni peracta, cunctos, qui in conſpectum admitti petebant, audiebat; tum ſuccedebat ejus Eleemoſynarius, per cujus manus plusquam centum pauperibus alimenta & non nunquam pecunias diſtribuebat. Artifices, quibus varia opera perficienda committebat, ſua præſentia ſæpius excitabat ad ſedulitatem. Hora nona prandebat multos Clericos Laicosque menſæ adhibens, cunctis ſilentium ſervantibus, ut lector exaudiri poſſet. Contra leges frugalitatis nunquam peccabat.

Omnium artium amantiſſimus, ubi Epiſcopus fuit, eas impenſius coluit. Libros deſcribi non ſolum in Monaſterio Eccleſiæ ſuæ Cathedralis, ſed etiam in pluribus aliis locis jubebat, unde Bibliothecam locupletiſſimam tam librorum Eccleſiaſticorum, quam Philoſophicorum collegit. Artem pingendi, opera muſiva, fabrilia, tam ex ferro, quam ex auro ad perfectionem deduci cupiebat, accu-

rate

rate conquirens dona, ab exteris Regi missa, quæ aliqua ars usque eo ignota commendabat. Juvenes, quibus naturâ raras dotes & ingenium dederat, his artibus informandos optimis magistris tradebat suis expensis alendos. Quamvis vero Bernuardus Boni Pastoris officiis semper esset intentus, tam strenue præterea Regi & Reipublicæ serviebat, ut aliis Optimatibus invidia dignus videretur. Piratas Barbarosque Saxoniam jam plurimis annis infestantes sæpius ipse vel suis turmis, vel etiam amicorum copiis auctus repulit. Verum prædones utraque Albis ripa, & fluvio navigiorum capaci, soli potiebantur, unde in totam Saxoniam diffusi, usque ad portas Hildesheimensis civitatis excurrebant. Quare Bernuardus, ut Barbarorum ferociam reprimeret, duas in diversis locis suæ Diœcesis Arces condidit, & impositis præsidiis securitatem patriæ præstitit. Sæculum X. A. C. 995.

Hisce expensis gravatus nihilominus Ecclesiam suam acquisitis multis fundis ditavit, pristinos excoluit, & pulcherrimis ædificiis decoravit. Ecclesiæ suæ Cathedralis parietes exquisitis picturis & laquearibus ornavit, permulta vasa argentea in officiis Divinis adhibenda, inter alia calicem aureum viginti librarum donavit, claustra muro & turribus circumdedit. Tandem Sacellum magnificentiæ

Sæculum X. A. C. 995.

centiæ ſingularis ædificavit, in quo pars veræ Crucis, a Rege Ottone III. dono accepta, quæ complura miracula edidiſſe ferebatur, aſſervaretur, atque illud anno nongenteſimo nonageſimo ſexto, ordinationis ſuæ quarto, decima Septembris Deo ſolemni ritu conſecravit.

§. XL.

S. Adalbertus in Bohemiam revocatur.

Act. SS. Ben. Sæc. 5. p. 870. Boll. 23. Apr. to. II. p. 183. Sur. vit. n. 25. p. 858.

In Bohemia Boleslaus Dux, intelligens quantum abſente S. Adalberto peri-clitaretur Eccleſia, poſtquam cum Clericis ſuis conſultaſſet, ad Willegiſum Archiepiſcopum Moguntinum nuncios miſit, qui dicerent: *Aut remitte nobis Adalbertum, Paſtorem noſtrum, quod præprimis exoptamus, aut alium nobis ordina.* Archiepiſcopus veritus, ne populus Neophytus in priſtinos errores relaberetur, Romam miſit Legatos duos, Radlam, S. Viri Diſcipulum, & Zraquam monachum, ambos Ducis fratres, cum epiſtolis, in quibus Papam rogabat, ut Adalbertum redire juberet. Igitur Joannes XV. Romæ in hac cauſa Synodum convocavit anno nongenteſimo nonageſimo quarto. Diu tenuit contentio inter Legatos Epiſcopum ſuum repetentes, & Romanos tantum virum retinere cupientes. Sed vicerunt tandem Legati,

gati, dixitque Papa: *Reddimus vobis virum ea conditione, ut eum populus fideliter custodiat, & præcipienti morem gerat; si vero Bohemi in peccatis suis perseveraverint, merito pervicaces deseret.* Sæculum X. A. C. 995.

Ita Legati Adalbertum reduxerunt, postquam annis quinque inter monachos eorumdem institutum professus fuisset. Pragam pervenientem omnis populus obviam procedens inter maximæ lætitiæ signa excepit, & prolixe fidem & obedientiam in omnibus, quæcunque præcepturus esset, promisit. Sed brevi post pristino subeunte tepore in vitia, quæ paulo ante damnaverant, relapsi sunt. Cum viri cujusdam nobilis uxorem accusatam, quod cum Clerico adulterio libidinata esset, Mariti propinqui pro more Gentis ad pœnam capitis deposcerent, illa ad Episcopum confugit, qui ut miserlæ vitam servaret, eam Monasterio feminarum S. Georgio Sacro inclusit, & homini fido clavem Ecclesiæ commisit. Adveniunt noctu ad ædes Episcopi mulieris insectatores, queruntur, quod obsisteret leges patriæ servantibus, & ream sibi tradi clamore ingenti postulant. Ille, fratres qui apud ipsum erant, osculatus, se se eorum precibus commendat. Tum in medium furiosorum ruens, *si me ad mortem quæritis*, inquit, *adsum.* Cui aliquis illorum: *Martyrii*

Sæculum X. A. C. 995.

gloriam ambis, quam neutiquam conſequeris. Sed niſi ſtatim adulteram reddis, fratres tui in poteſtate noſtra ſunt, in quorum uxores, liberos, agros iram conceptam effundemus. Dum in iſtis jurgiis morantur, neſcio quis proditor virum indicat, cui Epiſcopus loci, in quo femina deliteſcebat, cuſtodiam commiſerat. Hunc perſecutores illico mortis intentatæ metu eo adigunt, ut aditum aperiret. Tum mulierem infelicem, altaris cornu fruſtra complexam, abſtrahunt, & cervices abſcindunt.

aliavit.n.16. p.867.

S. Adalbertus poſt reditum ad convertendos Hungaros, populos Bohemiæ vicinos, animum adjiciens præmiſſis Prædicatoribus ipſe eo ſe contulit, & prima Religionis Chriſtianæ ſemina ſparſit. Hungari illa tempeſtate Ducem venerabantur Geiſam, cujus filium Adalbertus Sacro fonte abluit, vitæ Sanctitate poſtea illuſtriſſimum.

S. Epiſcopus indocilis populi pervicacia irritatus, ſecundo Romam profectus, ad monaſterium SS. Alexii & Boniſacii ſub Regimine Leonis Abbatis, ejusdem qui Legati munere in Francia defunctus fuerat, rediit. In illo Monaſterio verſabantur Græci, ſequentes Regulam S. Baſilii, & Latini ſequentes Regulam S. Benedicti. Porro ex utraque natione quatuor viri memoratu digni ſunt, quos

singularia merita celebrabant. Græci quatuor erant, Gregorius Abbas, Nilus Pater, nempe ut puto S. Nilus Roscianensis, Joannes Infirmus, Stratus, simplicitate & pietate Angelis comparandus. Quatuor Latinos, scilicet Joannem sapientia, Theodorum silentii studium, alterum Joannem innocentia, Leonem simplicem mirum donum prædicandi ex tempore Verbum Dei, commendabant. Leo olim Nonantulæ in Longobardia Abbas, postquam huic Monasterio annis duobus præfuisset, illud Ottoni Imperatori cum Baculo pastorali reddiderat. Romam deinde veniens, in Cænobio S. Bonifacii simplex monachus fuit, ubi vitam Sancto fine clausit. Hic alius est a Leone ejusdem Monasterii Abbate.

Sæculum X. A. C. 995.

Mabill. Sæc. 5. p. 898. 903.

§. XLI.

Manso Abbas Casinensis.

Aligerno Montis Cassini Abbati, anno nongentesimo octogesimo sexto vita functo, succedens Manso Monasterium annis decem rexit. Is antea S. Magni prope Fundos Abbas, Regimini Montis Cassini magis auctoritate Pandolfi, Principis Capuani, Propinqui sui, quam Monachorum consensu admotus est. Unde non nulli eorum præcipui ex illa domo migrare maluerunt, quam sub ejus potestate remanere. Ex illis postea duo ejus-

Sup. §. 2. Chro Cass. l. II. c. 12. Mabill. Sæc. 5. p. 652.

Sæculum X. A. C. 995

dem Monasterii Cassinensis dignitatem consecuti sunt, tres Jerosolymam peregrinati, quinque in Longobardiam profecti ibidem quinque Monasteriorum Ordinis sui Auctores extiterunt. Mansoni Abbati res Monasterii temporalis inprimis curæ fuit, quæ compluribus Donationibus, ipso clavum tenente factis, aucta est; sed principis magis quam monachi moribus vivebat. Permultos viros nobiles sibi ab obsequiis habebat, vestibus holosericis splendidos, ipse in Palatio Imperatoris frequens.

Cum S. Nilus quadam die Mansonem invisurus venisset, eum in Monasterio S. Germani infra montem, loco aquarum circumfluentium copia & situs amœnitate jucundissimo, habuit, balneo lotum & cum Primariis majoris Monasterii hilariter prandentem. Tum S. Vir eum in Ecclesia expectans audit Citharistam in Refectorio fidibus canentem; moxque ad socios: *Mementote verborum meorum, Fratres mei, non tarda in hos homines veniet ira Domini. Surgite abeamus hinc.* Nondum elapsus erat annus, cum S. Nilum vera dixisse omnes experti sunt.

vit. Nil. p. 149.

Quippe Manso Abbas civium Capuanorum invidiam, præsertim extructione novæ Arcis, usque adeo accendit, ut in ejus perniciem conjuraverint, suspicati,

Chro. c. 16.

Abba-

Abbatem ambitiosum Monasterio non contentum etiam Principatum affectare. Capuanorum furorem adjuvit nequitia Adalberici Marsorum Episcopi, qui Ecclesia sua cuidam filio, ex meretrice suscepto, tradita, Abbatiam montis Cassini sibi ipsi quærebat. Igitur, cum quibusdam pessimis monachis & civibus Capuanis consilium nefandum aperuisset, pollicitus est se centum libras Papiensis monetæ daturum, si excœcato prius Abbate Monasterium montis Cassini in suam potestatem redigerent. Idque ita inter illos firmatum, ut mediam partem pretii Adalbericus ante inceptum facinus, & alteram cum erutos Abbatis oculos ipsi tradidissent, solveret. Sæculum X. A. C. 995.

Itaque conscii Mansonem adeunt, rogantque, ut Capuam ad ipsos veniret, ubi litem justo Judicio finirent, & Abbate, qui suspectam eorum fidem habebat, negante, se tuto illuc commeare posse, super Sacra Evangelia jurant, se eum Capuam comitaturos, & postea ad S. Benedictum salvum & incolumem reducturos. His verbis insignis dolus adornabatur; nam cum vulgo mons Cassinus S. Benedicti Ecclesia diceretur, illi aliam Ecclesiam S. Benedicti intra muros Capuanæ civitatis mente intelligebant. Ita deceptus Abbas ducentes secutus est. Sed ecce, ubi ad illam Ecclesiam perve-

Sæculum X. A. C. 995.

nerunt, illico injectis manibus Abbati oculos evellunt, & diligenter linteolo involutos, Episcopi Adalberici nunciis transmittunt, qui acceptos ad Dominum suum delaturi viam ingrediuntur. Verum cum in quodam loco haud procul a Marsorum urbe itinere fatigati substitissent, cibum sumpturi & curaturi corpora, atque hominem illac prætereuntem per otium interrogassent, num aliquid novi sciret? ille respondit: *Episcopus hujus Diœcesis mortuus est.* Ipsis primo ridentibus & fidem non adhibentibus, viator rem ita se habere iterum affirmare, & diem horamque obitus accurate notatam referre. Tunc vero Nuncii, defossis in eodem loco, quos portabant, oculis, conscensis equis celeriter ad domum Episcopi convolant, & a narrantibus domesticis percipientes, qua die, qua hora extinctus esset, obstupescunt, eum illo ipso temporis momento expirasse, quo Abbati oculi effodiebantur. Abbas vero oculis orbatus exinde post menses circiter tres, scilicet octava Martii anno 996. e vita abiit.

§. XLII.

Ecclesia Constantinopolitana.

Cedr. to. 2. p. 702.

Constantinopoli Nicolaus Chrysoberges Patriarcha defunctus est, postquam annis duodecim & octo mensibus Pontificatum

ficatum gessisset. Complures Presbyteri & multi monachi, non obstante, quod pacta concordiæ anno nongentesimo vigesimo inita fuissent, ob quartas nuptias Leonis Philosophi Imperatoris ab aliorum Communione recesserant, qui sub hujus Patriarchæ regimine ad unitatem regressi sunt, in quodam Concilio, de quo nobis nihil nisi Acclamationes supersunt. Libet aliquas exscribere: *Annos plurimos Imperatoribus orthodoxis Basilio & Constantino! Annos plurimos Nicolao sanctissimo Patriarchæ Oecumenico!* Deinde memoriam & laudem æternam precantur defunctis Imperatoribus & Patriarchis, quibus Photius inter Ignatium & Stephanum inseritur. Anathematizantur omnia, quæ contra traditionem Patrum acta sunt. Item omnibus illis anathema dicitur, qui Ecclesiam calumniabantur, quasi vero quartas nuptias approbasset, & Disciplinæ (*) puritatem maculasset, quando in Leonis Imperatoris Nuptiis dispensatum, & superiore tempore transactio inita. Nicolao e vivis erepto Sisinnius Magister officiorum anno Mundi sexies millesimo quingentesimo tertio, JEsu Christi nongentesimo

Sæculum X. A.C. 995.

Sup. l. LIV. §. 55.

Jus Græco-Rom. lib. 2. p. 108.

(*) Plane, rem Disciplinæ Ecclesiasticæ in SS. Paginis nullibi prohibitam ad insaniam usque urgebant Græculi.

Sæculum X. A.C. 995.

nonageſimo quinto, Indictione octava, Patriarcha Conſtantinopolitanus ordinatus eſt, vir doctus, & arte medicinæ excellens. Sedem tenuit annis tribus. Succeſſorem habuit Sergium Abbatem Monaſterii de *Manuel*, ex familia Photii oriundum, qui annis viginti Sedem occupavit.

Cedr. ibid. p. 717.

§. XLIII.

S. Niconis Armeni extrema.

Primos, quibus Sergius ſedit, annos S. Nicon Armenus vitæ ſupremos habuit. Is relicta Inſula Creta in Epirum navigaturus Lacedæmonem † ſe recepit, unde cum S. Viri fama late ſpargeretur, circa annum nongenteſimum octogeſimum primum Baſilius Apocaucus, illius provinciæ Præfectus, miſſis nunciis rogavit, ut ad ſe Corinthum veniret, quippe ſe ſperare, S. Viri præſentia a morbo, quocum conflictabatur, liberari poſſe, & a metu Bulgarorum, qui Epirum depopulati, in Peloponeſum perniciem illaturi ferebantur. S. Nicon Corinthum appulit, & non ſolum ægrum ſanavit, ſed etiam formidinem abſtulit, ſignificans, Bulgaros alio curſum flexiſſe.

† hodie Myſitra

Sup. l. LVI. §. 25. vit. ep. Baro. an. 981.

Haud longo poſt tempore, S. Nicone Amyclis, alia Peloponeſi civitate, diverſante, primarii Lacedæmoniorum cives certatim ad eum convolant enixe oran-

orantes, ut eorum urbem a peſtifera lue purgaret. Ille petitioni annuit addita conditione, ſi Judæos urbe expellerent; quin etiam promiſit, ſi id facerent, ſe quod ſupereſſet vitæ apud ipſos ductu-rum. Judæis ejectis, quotidie ex univer-ſa Peloponeſo ægrorum omnis generis catervæ accurrebant, quas S. Vir, cum ſanitatem corporum tribueret, etiam pa-terno affectu ad pœnitentiam exhorta-batur. Unus erat Joannes Aratus, qui proſcriptos Judæos dolens S. Niconem conviciari audebat. Sed cum opificii cujusdam obtentu unum in civitatem introduxiſſet, obſtitit fortiter Nicon, & fuſte, qui propter jacebat, arrepto Ju-dæum male acceptum foras extruſit. Us-que adeo Hebraicam gentem averſaba-tur. Hac vero re comperta Aratus, fu-rens in S. Virum invehitur, qui nullo iracundiæ motu turbatus, *abi*, inquit, & *ad te ipſum redi, infelix! deſle ſcelera tua. Brevi enim ſenties, quæ arrogantiæ ſint præmia.* Nocte proxima Aratus ſo-mnio terrifico, in quo flagris cædi & car-ceri mancipari ſibi videbatur, punitus eſt, quod Servum Dei contumelioſe ha-bere non exhorruiſſet. Evigilans gra-vem ſtatim in febrem incidit, veniam facti a S. Viro petiit, & tertia die migra-vit e vita. Inde metus ingens & tre-pidatio Lacedæmonios invaſit.

Sæculum X. A. C. 995. *id. an.* 982.

Sæculum X. A. C. 995.

Quadam die Dominica, tempore quo Psalmi ad Vesperas cantabantur, Prætor, nomine Gregorius, in area ante Ecclesiam cum Sphæristis exercitabatur, tanto tumultu, ut ludentium & spectatorum clamore officium Divinum peragentes turbarentur. Nicon Ecclesia egressus virili libertate licentiam castigat. At Prætor ludi amantissimus, & tunc forte, quod ab adversa parte vinceretur, excitatior, Niconem contumeliose habitum a suis ex urbe expelli jussit. Non claudo pede secuta est vindicta, nam cum manum extendit, redeuntem pilam excepturus, ea primum, moxque omnia membra paralysi icta sunt. Igitur acutissimis doloribus excruciatus, cum remedia omnia infra malum essent, jussu Episcopi sui S. Niconem vocari præcipit, & supplex illatæ injuriæ veniam petit. Ille acceptæ contumeliæ immemor, nulla rei præteritæ mentione facta ægrum curavit, ex quo Prætor S. Viri amicitiam constanter coluit. S. Nicon ad Superos evolavit anno circiter nongentesimo nonagesimo octavo, vigesima sexta Novembris, qua die Ecclesia tam Græca, quam Latina ejus memoriam celebrat. Ejus Sepulchrum compluribus miraculis in ipsius Monasterio Lacedæmone claruit, ubi etiam ejusdem vera imago, per prodigium, ut ferebatur, picta

Mart. Rom. & Menolog. 26. Nov.

cta asservabatur, secundum quam vitæ S. Niconis Scriptor ipsius speciem nobis exhibet in hunc modum: *Erat statura procerus, nigris capillis, habitu eremitico & obsoleto, virgam manu gerens, cujus apex in crucem desinebat.* Hujus vitæ annis circiter centum quinquaginta postquam S. Vir ex hoc mundo abiisset, aliquis Abbas ejusdem monasterii Auctor fuit. Sæculum X. A. C. 995.

§. XLIV.

Apologia Abbonis.

In Francia nata inter Arnulphum Episcopum Aurelianensem & Abbonem Abbatem Floriacensem, ob petitum ab Episcopo & non præstitum juramentum, jurgia in dies magis accendebantur. Nam Abbonem Turonem ad celebrandum S. Martini Festum proficiscentem Episcopi Aurelianensis Vasalli noctu invadunt, insultant, & quosdam de ejus familia tam gravibus afficiunt vulneribus, ut de vita periclitarentur. Et Episcopus quidem Abbati satisfacturus, ex reorum numero aliquos ad eum adduxit, ipso præsente virgis castigandos; sed noluit Abbas ob hanc injuriam vindictam sumi. *vit. Abb. c. 8.*

Sub idem tempus ad S. Dionysium in Francia celebratum est complurium Episcoporum Concilium, in quo tractatum, an non oporteret decimas a Laicis, Monachis- *c. 6. tom. 9. Conc. p. 771.*

Sæculum X. A. C. 995.

nachisque possessas ipsis eripere & Episcopis restituere. Cui consilio omnibus viribus repugnans Abbo Monachos S. Dionysii & eorum Servos adversus Episcopos concitavit. Eousque sæviit seditio, ut Episcopi, re infecta, fuga saluti suæ consulere coacti fuerint. Seguinus Archiepiscopus Senonensis, Dignitate & canitie venerabilis, cum ceteris fugiens securi, ubi humeri junguntur, ictus, & luto injecto deformis ægerrime insectantium manus effugit. Omnibus Abbonem publici latrocinii Auctorem proclamantibus, ipse Apologeticum ambobus Regibus Hugoni & Roberto inscriptum edidit.

Post. Cod. Canon. Pitholi pag. 396.

Queritur, quod sibi causam Ordinis Monastici defendenti capitis periculum subeundum sit, & profitetur, se secundum Canones Judicio Episcoporum subjectum esse.

Abbo Floriacensis.

Christianos in tres hominum classes, in Laicos, Clericos & Monachos dividit; Clericis vero non alios accenset, quam Diaconos, Presbyteros & Episcopos, dicens, in Minoribus constitutos, quia uxores possent accipere, non nisi per abusum Clericos appellari. (*) Tandem affirmat, vitam Monachorum

(*) Idoneus testis contra Protestantes est Abbo, Clericis non licuisse habere uxores, quod non

chorum esse perfectissimam, quia cum Maria uni, quod est necessarium, vacant. Asserit, cum Ecclesia non alterius quam Dei sit, neminem aliquam Ecclesiam suam dicere debere. Quibus verbis sine dubio Episcoporum opinionem impugnat, & vult inferre, nihil interesse, Clericine an Monachi Ecclesiis ministrent. Inde occasione arrepta in Simoniam invehitur, & refutat argutias dicentium, neutiquam se gratiam Ordinationis, sed annexa Bona Ecclesiæ temporalia emere. *Hi similes mihi videntur*, inquit, *poscentibus ignem absque materia combustibili.*

Sæculum X. A.C. 995.

Luc. 10. 42.

Deinde ad querelas contra se motas transiens, *accusor*, inquit, *contra Canones sensisse, in Episcopos manum Monachorum incitasse, vestram Benevolentiam meo Episcopo subduxisse, & cum Excommunicatis communicasse. Sed, obsecro, cui Sententiæ Canonum repugnavi, qui in hoc Concilio vix apertum librum videre potui?* Nempe de Concilio Sandionysiano loquitur. *Quid in me singulariter statuerunt aut commiserunt Episcopi, ut eis vel cogitatione obesse vellem? præsertim cum non*

p. 400.

non nulli vel ex ignorantia, vel mala fide affirmant. De Subdiaconis nulla cura Abboni fuisse videtur, nisi forte sub nomine Diaconorum veniant.

Sæculum X. A. C. 995.

non inimicum, sed fide & opere mihi amicissimum graviora pericula pertulisse contigerit. Seguinus hic est Archiepiscopus Senonensis.

Tum digrediens ad Arnulphum Aurelianensem, *Qua suggestione*, inquit, *vos* (*) *decepi, ut vestram Benevolentiam optimis auferretis, male meritis conferretis? Num ego Deus sum, qui mutat mentes? vos offendit, vos, inquam, Reges, cum Bona nostra invasit, quorum Defensores estis & Domini. Objicit, quod cum excommunicatis communicaverim, cujus rei exemplum prior ipse mihi dedit, cum perditos homines, per nocturnas tenebras in caput meum grassatos, a Seguino ipsius * Archiepiscopo, ab Odone Episcopo Carnutensi aliisque viris summis anathematizatos, in Communionem recepit.* Abbo deinde de Excommunicationum frequentia fuse disserit, reprehendit, quod abusus irrepserint, & hortatur Reges, ut malo mederentur; *quippe, vix quemquam in Regno vestro*, ait, *reperire est, non excommunicatum, sive quod cum excommunicato mensæ assederit, sive quod saltem osculum pacis dederit.*

* Arnulphi.

Præterea Abbo quosdam alios abusus vigere Principes monet. *Primo, in Symbolo S. Athanasii*, inquit, *cum dicere debe-*

(*) Ad Reges Abbonis termo dirigitur.

deberent, Spiritum Sanctum, nec factum, nec creatum, nec genitum esse, solummodo dicunt, nec factum, nec creatum, prætexentes, in Epistola Synodica S. Gregorii dici, Spiritum Sanctum nec genitum esse, nec non genitum. (*) *Secundo, cum adhuc parvulus essem, de fine Mundi audivi eam doctrinam in Ecclesia Parisiensi populo proponi, statim post exactos mille annos venturum Antichristum, & paulo post Judicium universale seu extremum. Huic opinioni deinde omnibus viribus contradixi, adductis ex Evangeliis, Apocalypsi, & Libro Danielis compluribus locis; cumque Richardus Beatæ memoriæ Abbas literas de hac Quæstione ex Lotharingia accepisset, ab eo fabulam refutare jussus sum. Quippe absurda opinio vix non omnium animos impleverat, illum annum, quo Festum Annunciationis in Parasceven incideret, infallibiliter toti mundo supremum fore.* Richardus jam anno nongentesimo sexagesimo secundo Abbatiæ Floriacensi præerat; Festum vero Annunciationis in Parasceven incidens anno nongentesimo nonagesimo secundo congruit,

Sæculum X. A. C. 995.

(*) Nec non genitum, id est, neutro originis modo procedentem. Quare, errabant tam illi, qui Spiritum Sanctum a Patre eodem modo ac filium procedere, quam illi, qui nulla ratione procedere, credebant.

Sæculum X. A. C. 995.

gruit, cum Festum Resurrectionis vigesima septima Martii fuit celebratum. Tertio loco tanquam abusum notat Abbo, etsi Jejunium Adventus quatuor Septimanis absolvi oporteret, huic tamen non nullos ante vigesimam septimam Novembris initium dare.

§. XLV.

Canones ab Abbone collecti.

Postquam hanc Apologiam obtulisset, Abbo Regibus Collectionem Canonum quoque inscripsit officia Regum & Subditorum continentem, ut nascentem Dominatum horum Principum, & Jura Ordinis Monastici, quem defendere iisdem incumbebat, firmaret. Illud exploratum, Regem Hugonem semper S. Benedicti Cultorem eximium extitisse, & Monachos paterne foviisse. Multa Monasteria a Canonicis Sæcularibus occupata & libertatem Abbates suos eligendi iisdem restituit. Collectio Canonum dividitur in Articulos quinquaginta duos, atque sequentia in iis notatu digna mihi visa.

to. 2. Analect. p. 248.
ibid. p. 341.

* Avoüez.

Art. 2.

Ecclesiæ Advocati * dicebantur Viri nobiles, quibus Episcopi vel Abbates agros Ecclesiarum suarum in feudum tradiderant, ea lege, ut eas tuerentur, & adversus aggressores defenderent. Abbo hujus rei originem refert desumptam ex

ex Conciliis Africæ, in quibus ſtatutum fuerat, ab Imperatoribus petere Scholaſticos, id eſt Advocatos, qui Eccleſiarum cauſas in Judiciis ſæcularibus agerent, unde Eccleſiarum Defenſores appellabantur. Ex quo autem Francorum Imperium occiderat, & undique hoſtes ingruerant, hujusmodi Defenſores, ſive Advocati Eccleſias ſolis armis tueri ſolebant, & Abbo conqueritur, Eccleſias ab illis, a quibus defendi deberent, expilari. *Bona Eccleſiaſtica*, inquit, *ab hoſtibus diripi patiuntur, & ne quidem verbis reſiſtunt, ſed poſtquam graſſatores receſſerunt, ipſi quæ ſuperſunt conſumunt, non Advocatorum, ſed Dominorum more, agricolas ad extremam egeſtatem redigunt, Clericos monachosque peſſime habent. Inde eſt, quod tot Eccleſias deſtructas, & collapſa videamus monaſteria, quia complures cupiunt eſſe Advocati, ut hoc muniti prætextu majorem redituum partem fuventur.*

Sæculum X. A. C. 995.

Sup. lib. XXII. §. 14.

Ut probet, quam gravi obligatione Subditi Regibus fidem ſervare teneantur, auctoritatem quarti Concilii Toletani affert, & cunctos viros militares officia ſua docet. Affirmat, ob neceſſitatem in Legibus diſpenſandum eſſe, cujus rei exemplum adducit Epiſcoporum Translationes, quæ paulatim frequentius, quam ſuperiore tempore, fiebant. Non

Art. 4. 10. Concil. Tol. IV. c. ult. Sup. lib. XXXVIII. §. 50. art. 50. 51.

Sæculum X. A.C. 995.

neglexit referre Canones prohibentes, ne Episcopi monasteria libera opprimerent, aut aliorum Episcoporum jura læderent. Item Canonum auctoritate ostendit, Clericos ad continentiam obligari. Textus S. Gregorii, aliorumque Sanctorum Patrum colligit de frequenti celebratione S. Sacrificii, de frequenti Communione, & dispositionibus ad recipiendum Sacramentum necessariis. In quibusdam locis, quæ affert, dicitur, non differri Communionem Monachis pœnitentibus præbendam, quod fieri soleret, si alterius conditionis homines pœnitentiam subirent. Non nunquam Librum Legum, videlicet Novellas Justiniani, citat.

art. 9. art. 28. &c.

§. XLVI.

Joannis XV. obitus. Gregorius V. Papa.

vit. c. II.

Abbo profectione Romam suscepta, delecto comitum numero, quantus dignitati suæ congruebat, confirmationem privilegiorum Monasterii sui petiturus, Joannem XV. Papam adiit, quem neutiquam talem, qualem esse oportebat, habuit, sed avaritiæ macula fœdum, utpote cui omnia erant venalia. (*) Exhorruit

(*) Hæc Fleurius, sicut etiam Natalis Alexander

horruit ſorditiem, & poſtquam limina Apoſtolorum inviſiſſet, coemptis pannis ſericis, quibus Eccleſiæ ſuæ parietes & Altaria ornaret, ad ſua remeavit. Obiit Papa Joannes XV. ex febre violenta anno 996. exeunte menſe Aprili, poſtquam annis decem ſummum Pontificatum geſſiſſet. Rex Otto III. tunc temporis in Italia verſabatur, & poſtquam Feſtum Paſchale, quod in duodecimam Aprilis inciderat, celebraſſet, caſtra ad Ravennam urbem poſuerat. Ibi commorantem Legati a Senatu & Romanorum præcipuis miſſi adeunt, deſiderium profeſſi, quo Principem intra muros ſuos conſpicere geſtirent; nunquam enim Romæ fuerat, ex quo parens ejus e vita deceſſerat. Præterea Ottonis mandata expetebant, quem eligi Papam vellet. Porro Rex Otto inter Clericos Sacelli Cæſarei alebat nepotem ſuum, Brunonem, ex Sorore ſua Juditha & Ottone Marchione

Sæculum X. A. C. 996.

Chron. Hildes. to. 3. Duchesne. p. 516.

Chro. Sax. vit. S. Adal. Prag. n. 30.

der ex Aimoino Floriacenſi. At Palatius ex Manlio poſitum Joanni XV. Epitaphium recitat in hunc modum:

Clauditur hoc tumulo venerabilis ille Joannes,
Qui Legis Sacræ diffundere noverat amnes.
Egregius Doctor verbo quæcunque docebat,
Moribus & vita tribuens exempla gerebat.
Hunc a Canonici deſtricto jure rigoris,
Non timor, aut *lucrum*, non gratia flexit amoris &c.

Sæculum X. A. C. 996.

Epit. ap. Baron. a. 989.

ne (*) Veronensi genitum. Is optimam indolem sortitus & literis humanis instructus, tres linguas Germanicam, Latinam ad literam (**), & vulgarem callebat, sed ætatis annos non plures quam viginti quatuor numerabat. Huic Rex Papatum destinat, atque ex nutu suo a Clericis & populo electum, a Willegiso Archiepiscopo Moguntino & alio Episcopo, nomine Adelbaldo, Romam deduci jubet; ubi ille honorifice exceptus & Papa ordinatus Gregorius V. dici voluit, Germanorum primus, in Sacram Sedem evectus. Quamvis vero esset juvenis non plus tamen duobus annis & novem mensibus sedit. Otto Rex Romam deinde profectus, a Gregorio Papa in Festo Ascensionis Domini, vigesima quinta Maji anno 996. Imperator coronatus est. Cum deinde cum Romanis consultasset, & Crescentium, qui defunctum Pontificem sæpe male affecerat, exilio damnare statuisset, Gregorii Papæ precibus dedit, ut veniam reo concederet.

Her-

(*) Hic Otto a Natali Alexandro Dux Saxonum, in Palatio, Dux Sueviæ & Bavariæ dicitur.

(**) Nempe Latinam antiquam, & ex ea natam Italicam seu Welsch.

Herluinus electus Episcopus Camera- Sæculum X.
censis ab Archiepiscopo Remensi, Metro- A. C. 996.
polita suo, Arnulpho & Gerberto de possessione Sedis Remensis contendentibus, consecrari non potuerat; unde Romam profectus, a Gregorio V. Papa Episcopus ordinatur. Idem in Synodo querelas movit contra Optimates Bona Ecclesiæ suæ diripientes, atque a Papa epistolam mense Majo, hoc anno nongentesimo nonagesimo sexto datam, in quibus Pontifex reis pœnas Ecclesiasticas comminatur, obtinuit. *tom. 9. Conc. p. 1245.*

§. XLVII.

S. Adalbertus in Bohemiam remissus.

In illa Romana commoratione Imperator S. Adalbertum Pragensem, adhuc in Monasterio S. Bonifacii degentem sæpe vocabat, suo lateri adhærere volebat, ejusque colloquio familiari delectabatur. At Archiepiscopus Moguntinus antiquas querelas renovabat, quod Adalbertus, Suffraganeus suus, Ecclesiam Pragensem deseruisset, atque vehementissime urgebat, ut eo reverteretur. Quin & in Synodo a Papa congregata, postulatum suum Canonum auctoritate suffulsit, publice affirmans, æquum non esse, ut sola hæc Ecclesia suo Pastore privaretur. Tum in reditu in patriam constitutus per epistolas ad Pontificem datas instare non

Sæculum X. A. C. 996.

ceſſabat, donec tandem Papa, quod petebat, conceſſit. S. Adalbertum mœſtiſſimum, quod Monaſterium dilectum relinquere cogeretur, & bene gnarum, quod in Bohemia operam & oleum perditurus eſſet, ſpes reficiebat, fore, ut Apoſtolatu inter Infideles exteros defungi poſſet.

Igitur cum inter amaras lacrymas Monachis valedixiſſet, comitante Notchario, Epiſcopo Leodienſi, viro prudentiſſimo, Alpes ſuperavit, atque confecto duorum menſium itinere Moguntiam pervenit, ubi Imperator ex Italia redux ſubſtiterat. Ibi S. Adalbertus iterum longo tempore moratus, non ſecus ac ſi Ottoni a cubiculis eſſet, diu noctuque in Palatio permanebat, ſæpe Sancta libertate Principi dicere auditus: *Noli cogitare, te eſſe potentiſſimum Imperatorem, ſed memineris, hominem te eſſe, moriturum, atque formoſiſſimum hoc corpus in cineres & putredinem abiturum.* Nam Otto III. haud vulgari vir ſpecie erat. Hoc fundamento poſito S. Adalbertus Imperatorem docebat, præſentem vitam contemnere, Bona æterna anhelare, omnis generis operibus ad perfectionem perducentibus incumbere. Interim ipſe Vir Sanctus humilibus actibus exercitabatur, in Palatio verſantibus varia charitatis obſequia exhibebat, usque adeo

rebus

rebus abjectis delectatus, ut noctu eo rum ocreas & calceos purgaret, nescientium, a quo beneficium acciperent. Sæculum X. A. C. 996.

Illo etiam tempore in Franciam commigrans Sanctorum Sepulchra invisit. Parisiis ad Sepulchrum S. Dionysii, Turone ad Sacra ossa S. Martini, & Floriaci ad Reliquias S. Benedicti oravit. Inde ad Imperatorem reversus, cum Principi vale supremum inter mutuos amplexus dixisset, viam, quæ ad suam Diœcesim ducebat, capessivit. Ecce vero, priusquam illuc perveniisset, fama affert, Bohemos odium, quo in Adalbertum flagrabant, exercuisse in ejus germanos, omnesque trucidasse. Sex fratres fuerant Adalberto, natu minimus, nomine Gaudentius ipsum in itinere comitabatur, natu maximus cum Duce Poloniæ militabat sub Imperatoris signis, quatuor reliqui in Bohemia remanserant, iisque Incolæ fidem juraverant. Sed cum Sancto Missæ Sacrificio in quadam urbe, quæ *Lubic* dicebatur, interessent, Festum S. Wenceslai celebrantes, irrumpunt in Ecclesiam perfidi, jugulant obvios quosque, nulli sexui parcunt, & quatuor Adalberti fratribus ante aram cervices amputant. Tum, civitate incensa, ingenti præda onusti recedunt. S. Adalbertus. *Chro. Magdeb.* 995.

S. Episcopus comperta suorum strage ad Boleslaum Ducem Poloniæ, apud

Sæculum X. A. C. 996.

quem frater ejus primogenitus merebatur, se contulit, rogavitque, ut Nuncios in Bohemiam mitteret, qui explorarent, an ipsum redeuntem recepturi essent. Illi respondent: *Nos peccatores sumus pervicacissimi, ipse vero Vir Sanctus & amicus Dei, non possumus pacem sperare. Verum, quid rei est, quod iterum ad nos redire cupiat, toties profugus? fallere incautos vult Adalbertus, & sub pulchro Charitatis nomine fratrum suorum necem ulciscí. Nolumus hunc virum recipere.* Quo responso accepto Adalbertus conscientiam suam levatam credidit, si gregem rebellem desereret, atque ad conversionem Infidelium animum adjecit. Cum deinde deliberasset, quo conatus suos verteret, in Borussiam ire constituit, conterminam & Duci Poloniæ magis cognitam provinciam. Itaque conscensa nave cum triginta militibus, quos ad præsidium Dux dederat, primo Gedanum appulit; ubi magnum Catechumenorum numerum baptizavit, tum Missa celebrata, & Sacra Communione Neobaptizatis data, reliqua, quæ de Evchariſtia supererant, servavit, periclitantibus, tanquam Viaticum, præbenda. (*)

§. XLVIII.

(*) Inde contra Protestantes Ecclesiæ consuetudo probatur.

Sæculum X.
A. C. 996.

§. XLVIII.

Martyrium S. Adalberti.

Altera die, postquam iis valedixisset, mari se commisit, atque diebus aliquot navigando consumptis, e navigio, quod cum militibus remisit, in proximum litus descendit, & neminem nisi duos monachos retinuit, quorum alter, Ordine Presbyter, Benedictus vocabatur, alter Gaudentius erat, ipsius minor natu frater.

Parvam Insulam, quam amnis circumfluebat, ingressos, & magna fiducia JEsum Christum prædicantes, Insulæ Domini supervenientes, pugnis contusos ejecerunt. Unus Barbarorum arrepto cimbæ remo S. Adalbertum Psalmos canentem inter scapulas grandi ictu feriit. Cecidit e manibus liber, & ipse pronus corruit, Deum benedicens in hæc verba: *Gratias tibi ago, Domine! quod saltem ictum unum pro illo sustinui, qui pro me crucifixus est.* Tum ad adversam fluvii ripam transiens, ibi die Sabbati mansit, & cum sub noctem proximi pagi præcipuus S. Virum eo deduxisset, undique agrestes concurrunt incondito clamore, ut viderent, quid de eo decerneretur, & aperto rictu, quasi advenam devoraturi, circumstant. Interrogatus, quis esset, & quare venisset, respondit: *Sum*

Sæculum X. A. C. 997.

natione Sclavus, nomine Adalbertus, professione Monachus, olim Episcopus, hodie vester Apostolus. Causa itineris mihi fuit Salus vestra. Abjicite Idola vestra surda & muta, & agnoscite Creatorem vestrum, unum Deum. Si in ejus Nomine credideritis, vitam habebitis, & mercedem in Cœlo æternum gaudium recipietis. Barbari vix mora paucula verba hæc proferendi concessa vociferantur, conviciantur, mortem minantur. Aliqui fustes, prius terræ ter quaterve impactos, deinde S. Viri capiti admoventes & dentibus frendentes dicebant: *O te beatum hominem, quod in hanc usque horam salvus sis! abi cito, si vitam amas. In toto hoc imperio, in cujus finibus sumus, una lege & uno more vivitur. Vos vero, quibus alia fides est & ignota, nisi hac nocte effugeritis, crastina nobis temeritatis pœnas morte dabitis.* Illa etiam nocte navigio impositi in quoddam oppidum revehuntur, ubi quinque dies manserunt. Tunc autem S. Adalbertus ad duos socios ait: *Habitum nostrum Clericalem Infideles execrantur. Sinamus capillos & barbam crescere, & similia, quibus ipsi utuntur, vestimenta induamus. Securius latebimus, familiariter inter eos versabimur, & de labore manuum nostrarum vivemus.* Quin ad populos, quos Luiticos dicebant, pergere statuerat, quod

quod eorum linguæ gnarus esset, & ibi nunquam ante visus. Die sequente iter ingressi, postquam silvas inter psallendum fuissent emetiti, in apertum campum ad meridiem positum emergunt. Ibi Gaudentius Missam celebravit, communicarunt socii, & postea cibum sumpserunt. Iterum exinde viam suam prosecuti, exhaustis viribus subsistunt, membra quiete refecturi, & in somnum labuntur. In dormientes irruunt Barbari, & inermes vinciunt. Tunc S. Adalbertus comites exhortari, ut pro JEsu Christo Martyrium fortiter subirent; at Siggo latronum Dux & Sacrificulorum Princeps furiose invectus, quanto poterat annisu Viri Sancti pectus jaculo transverberat, aliisque exemplum sequentibus, septem telis collapsi corpus confoditur. Fluebat ex latis vulneribus sanguis, & Martyr oculos levabat ad cœlum. Mox vinculis solutus extensis in modum Crucis manibus elata voce pro sua & persecutorum suorum salute oravit. Mortuo deinde Barbari caput amputant, quo perticæ impositio, vociferantes ad sua revertuntur. Ita passus est S. Adalbertus Feria VI. vigesima tertia Aprilis, anno nongentesimo nonagesimo septimo, cujus memoriam Ecclesia eadem die colit. Boleslaus Dux Poloniæ S. Martyris caput corpusque, a Paganis in lacum projecta, magno

Sæculum X. A. C. 997.

Sæculum X. A. C. 997.

magno pretio redemit, Imperator vero Romæ degens comperta ejus morte Deo Gratias egit, quod Regni sui tempore Sanctissimum virum Martyrii gloria coronasset.

§ XLIX.

Joannes XVI. Antipapa.

Imperator Romam iterato petierat, Crescentium rebellem repressurus. Quippe Imperatore in Germaniam reverso, Crescentius Urbe (*) ejecerat Gregorium V. Papam, qui rebus omnibus spoliatus primo in Thusciam & deinde in Longobardiam fugit. In ejus locum Crescentius suffecit hominem Græcum, nomine Philagathum, qui Joannes XVI. dici affectavit; Is Rosciani in Calabria humili loco natus, & vitam monasticam amplexus, Ottonis II. favorem opera Theophaniæ conjugis suæ, ex Gente Græcorum, adeptus est. Initio alebatur titulo paupertatis, paulatim vero Clientum præcipuis adnumeratus usque ad obitum Ottonis II. gratia valuit. Crevit Græculi auctoritas regnante Ottone III. adolescente, unde Episcopo Placentino

(*) Ex ejusmodi seditiose factis sexcenties constat, nihil non egisse Romanos, ut exclusis tam Summis Pontificibus, quam Imperatoribus Principatu potirentur. Sed frustra.

centino defuncto effecit Philagathus, ut viro probo & idoneo, qui electus fuerat, repulso ipse ordinaretur, adjecto titulo Archiepiscopi, illam Ecclesiam contra fas Jurisdictioni Sedis Ravennatis subducens. Eundem Otto III. Imperator cum alio Episcopo Legatum Constantinopolim miserat, cum mandatis, quibus Imperatoris Græci filiam in matrimonium ipsi petere jubebatur; nam Philagathus in utraque Orientis & Occidentis Regia notissimus erat. Romam redeuntem anno nongentesimo nonagesimo septimo honorifice excepit Crescentius, & ingentis pretii donis, quæ Constantinopoli attulerat, captus Papam eligi curavit.

Sæculum X. A. C. 997. *Greg. V. ep. 1.*

Inter hæc Gregorius V. Papa, hoc anno nongentesimo nonagesimo septimo, convocato Ticini plurimorum Episcoporum Concilio, Crescentium excommunicavit; cumque nuncii attulissent, electum fuisse Joannem XVI. eum quoque omnes Episcopi Italiæ, Germaniæ, Franciæ & Galliæ excommunicarunt. Igitur Otto Imperator, malis Romæ grassantibus remedium allaturus, Germanici Regni cura Mathildi, Amitæ suæ, Abbatissæ Quedlinburgensi, commissa, quam mulier, supra sexum sapiens, feliciter gessit, in Italiam iter ingressus est. Cum Ticini Imperator Gregorium V. habuisset, cum eo Romam contendit, unde Joan-

Chr. Hildes.

Schisma XVI.

Chro. Saxo.

Sæculum X. A. C. 997.

Joannes Antipapa exceſſit, Creſcentius vero in Arcem S. Angeli ſe recepit. Verum aliqui Imperatoris Duces fugientem Antipapam conſecuti, quia credebant, ſi in manus Imperatoris traderetur, mitiſſimi ingenii Principem graviſſimi ſceleris veniam facile conceſſurum, miſero linguam exſecant, nares abſcindunt, oculos eruunt, & ita affectum in carcerem detrudunt.

§. L.

S. Nilus Romæ.

vit. S. Nili. p. 151.

Ubi S. Nilus triſtem Philagathi ſortem comperit, properavit, auxilium allaturus, infelici, & populari ſuo. Quamprimum ad aures S. Viri perveniſſet, Philagathum usque ad Papalis Dignitatis faſtigium fuiſſe eluctatum, datis literis amice hortatus eſt, ut hujus Mundi gloriam abjiceret, cui jam ſatis vixiſſet, poſtquam ad ſupremum honoris apicem perveniſſet, & ad monaſticæ vitæ quietem rediret. Reſpondebat ſapienter monenti Philagathus, id ipſum ſe animo conſtituiſſe, & executurum propediem. Tergiverſatus eſt autem, usque dum ut retuli captus a Cæſareis & fœde mulctatus eſt. Tunc vero S. Nilus dolore obrutus credidit, iter ſibi Romam eſſe ſuſcipiendum, etſi ſenilis ætas, morbus, & temporis adjuncta, nam Quadrageſima ageba-

agebatur, obsistere viderentur. Ubi Ottoni Imperatori & Gregorio Papæ a nunciis relatum, Nilum advenire, obviam procedunt, atque alter dextram, alterque sinistram Senis prehendens in Palatium Patriarchale deducunt, in medio considere jubent, hinc & illinc S. Viri manus osculati. Ingemiscebat ille, tantum honorem refugiens; utcunque tamen id patiebatur, ut eo facilius obtineret, quod sperabat. Dicebat vero: *Parcite mihi, per Deum! hominum omnium peccatori maximo, Seni semivivo, his honoribus indigno. Meum potius est vestris pedibus adsterni & supremas in vobis Dignitates venerari. Non gloriæ aut divitiarum desiderium me excitavit, ut ad vos venirem, sed amor viri, qui plurima vobis obsequia præstitit, quem pessime affeciſtis, qui vos ambos e fontibus Baptismi levavit, cui vos oculos effodi jussistis. Obsecro, hunc mihi virum date, mecum intra Monasterii parietes abscondatur, ubi communibus lacrymis peccata nostra defleamus.*

Sæculum X. A. C. 997.

His auditis Imperator, lacrymas non satis tenens, nam non omnia, quæ acta fuerant, ipsi probabantur, S. Nilo respondit: *Omnia quæ exoptas faciemus, si tu quoque precibus nostris aliquid dederis, Monasterium in hac urbe, quodcunque placuerit, tibi delegeris, semperque apud nos manseris.* Sancto Seni in Urbe habitare recu-

Sæculum X. A.C. 997.

recusanti Imperator Monasterium Anastasianum, extra tumultum positum, & semper Græcis concessum, obtulit; jamque S. Nilus, ne sibi, quod petebat, negaretur, consenserat. Sed Papa illis cruciatibus, quos Philagathus tulerat, non contentus indutum Sacerdotali veste, ab insultantibus in ejus corpore dilacerata, aversa facie impositum asino, caudam manibus tenentem in tota Civitate per ludibrium circumduci jussit.

Petr. Dam. lib. 1. ep. ult. ad Ca.

Quæ res S. Nilum usque adeo afflixit, ut exinde non amplius Philagathum ab Imperatore sibi donari rogaverit. Cum vero Imperator quemdam Archiepiscopum, comitari se in itinere solitum, virum facundum, ad S. Nilum misisset, is impatientior, *vade*, inquit, *ad Imperatorem & Papam, quibus meo nomine dices: hæc vobis senex ille delirans renunciari præcepit. Virum excæcatum mihi donastis, non ideo utique, quia me timebatis, aut potentiam meam formidabatis, sed solius Dei amore. Itaque novas contumelias, quas adjeciſtis, non tam illi imposuistis quam mihi; seu potius ipsi Deo injuriam feciſtis. Quare scitote, quod, sicut viri, quem Deus in manus vestras tradidit, miserti non estis, ita etiam a Patre vestro Cœlesti peccatorum vestrorum veniam non estis consecuturi.* Tum Archiepiscopo verba facere & Imperatorem

rem Papamque excusare non cessante, S. Senex inclinato capite somnum simulavit, vidensque Præsul se surdas aures pulsare, recessit. Illico S. Nilus equum conscendit, & cum fratribus, qui eum secuti fuerant, tota nocte iter faciens ad suum monasterium reversus est. Sæculum X. A. C. 997.

§. LI.

S. Nili Monasterium prope Cajetam.

Sanctus Nilus Monasterium in Valle lucis prope montem Cassinum reliquerat, postquam ibi annis ferme quindecim fuisset, quod hac familia numero, opibus, fama, aucta monachorum fervorem remittere, & Disciplinam corrumpi videret, quam ruinam Manso Abbas montis Cassini, vir avaritiæ deditus & pietatis inimicus neutiquam sustinebat. Quapropter S. Nilus ex illa Valle migrans locum quærebat, ubi monachi de labore manuum suarum vivere cogerentur, & paupertate in officio continerentur. Hinc a compluribus vicinis civitatibus oblata Bona, & Monasteria ad habitandum jam prius præparata, acceptare noluit, quia, quod maxime optabat, solitudinem, & procul ab hominum tumultu quietem non inveniebat. *Nam vita commoda*, inquiebat, *& ab omni cura vi-*

Sup. §. 11. *vit. p.* 146.

Sæculum X. A. C. 998.

ctum quærendi libera hujus ætatis monachis non convenit, quia dulci otio non ad orandum, contemplandum res Cæleſtes, & Sacram Scripturam pervolvendam utuntur, ſed optimas horas confabulando, mala cogitando, & curioſa inquirendo perdunt. Cum vero manuum labore occupatur animus, pravæ cogitationes & mala innumera fugantur. Denique nihil homini tam ſalutare, quam panem in ſudore vultus ſui comedere. Non nulli illorum Monachorum, quibus S. Viri rigor non ſapiebat, in Valle lucis remanſerunt; ſed poſtea domeſticis rixis diviſi, nulli Magiſtro ſubjecti, & in omnem licentiam effuſi, tandem omnes ex illo loco ejecti ſunt.

Interim S. Nilus cum Stephano & ceteris, qui diſcedentem ſecuti fuerant, loco quodam haud procul a Cajeta deſertum, aridum & anguſtum invento, cum ſuo propoſito aptum crederet, ibi ſedem fixit. Initio quidem omnia deerant, ſed brevi confluentibus pluribus fratribus abundantia ſucceſſit ex labore continuo, cui frequentiſſimam Pſalmodiam, plurimas genuflexiones, abſtinentiam voluntariam, & obedientiam ſine repugnantia, jungebant. S. Senis fervor creſcebat in dies deficientibus corporis viribus. Nihil enim ſive ob infirmitates, ſi-

ve

ve ob decrepitam senectutem, quippe usque ad annum ætatis nonagesimum quintum pervenit, de consueto rigore relaxavit. Nunquam ante horam a Regula præscriptam vel cibum vel potum sumpsit, nunquam comedit carnes, nunquam balneo usus est. Consuetudo abstinendi ita in alteram naturam transierat, ut eam violare, si voluisset, ne quidem potuisset. Sæpe a sensibus abstractus præsentes non videbat, interea aliquos Psalmos, aut aliqua verba ex Liturgia, qualia sunt *Sanctus Sanctus!* recitans. Sibi postea redditus & interrogatus, ubi fuisset, aut quid ipsi accidisset, respondebat: *Senex sum, fili mi, desipio, a Dæmone obsessus, nescio, quid faciam.*

Sæculum X. A. C. 998.

Cum Principis Cajetani uxor maritum rogaret, ut se ad invisendum S. Abtem deduceret, *id prius ei per nuncium significemus*, ait Princeps, *ne offendamus Abbatem subito adventu nostro, ne fugiat, & tantum virum amittamus.* Quippe sciebant omnes, Nilum feminarum occursum devitare, easque nunquam non ab aditu sui Monasterii arcere. Nuncio, Principes venturos indicanti, respondit: *Per Deum! parcite mihi. In Sæculo olim agens vexabar a Dæmone, postquam Monachum indui, liberatus sum, sed quando*

Sæculum X. A. C. 998.

feminam aſpicio, iterum a Dæmone crucior. Hoc reſponſo multo magis accenſa deſiderio Sanctum videndi Princeps rogare non ceſſavit, donec ei licentiam veniendi dedit, ea lege, ne eam alia mulier vel ancilla comitaretur. Ubi in conſpectu fuit, Sanctus Vir de vitæ puritate, de merito eleemoſinæ, de timore Dei diſſeruit, & magno ſolatio refectam dimiſit. Cum Sæculi principibus colloqui S. Nilo intolerabile videbatur, idque ſolicite cavebat, tanquam fomitem ſuperbiæ. Nullum ei, neque per literas, cum viris potentibus commercium fuit, niſi cum in rebus adverſis conſilio & auxilio indigerent.

§. LII.

S. Romualdus apud Imperatorem.

Chro. Saxo. ann. 998. vit. S. Rom. n. 35.

Otto Imperator Feſtum Reſurrectionis Domini, quod hoc anno nongentesimo nonageſimo octavo in decimam ſeptimam Aprilis incidebat, Romæ celebravit, & octava die exacta arietes & ſcalas admoveri juſſit arci, in quam Creſcentius confugerat, nempe caſtro S. Angeli, quod inſuperabile credebatur. Veritus ergo, ne vi aperta deſtinata perficere non poſſet, opera uſus eſt cujusdam Germani, nomine Thammi, usque adeo ſibi cari, ut non modo eum menſæ adhiberet,

beret, sed etiam ex eadem patina cibum sumere vellet, & vestibus Regiis decoraret. Is itaque jubente Imperatore, Papa conscio, Crescentio, addito juramento, fidem dedit, incolumem fore. Sed e munimentis egressum Imperator capite truncari, corpusque e turri dejectum pedibus suspendi jussit. Nihilominus Otto occisi viduam Concubinam accepit. (*) Sæculum X. A. C. 998.

(*) Imo perniciem suam. Nam Scriptores plurimi ferunt Ottonem III. veneno ab hac Furia propinato occubuisse. Nihilominus Palatius dicit: *Ditmarus tamen, qui his diebus vixit, & ferme Diarios composuit, nil prorsus de commixtione Othonis cum vidua Crescentii; nec veneno dicit defunctum. Sed potius mœrore, cum in eum Subditos suos moliri prænovit. &c.* Nec adeo obstupescendi locus est, si sæpius contra prudentiæ leges peccavit Otto, & Dominus, & juvenis, vix vicenario major. Porro præter Cardinalem Baronium Palatius in Aquil. Saxon. insolens factum memorat in hæc verba: *Maria Augusta (si fides Krantzio, Sifrido & Sigonio) Comitem Mutinensem in amorem pellicere sui conata, postquam libidini suæ reluctari vidit, ira furens se ab illo de stupro tentatam apud Othonem insimulavit; ut eum Imperator inauditum decollari præciperet . . . . .*

Sæculum X. A. C. 998.

Tiburtini quoque, Mazolino Duce suo interfecto, ab Imperatore defecerant, quos S. Romualdi prudentia Principi reconciliavit, ea quam referam occasione. Otto, Monasterium Classense reformaturus, cum monachis præcepisset Abbatem bonum, quem vellent, eligere, illi unanimi consensu Romualdum nominarunt. Quia verò, si ad Regiam vocaretur Vir Sanctus, imperium detrectaturus videbatur, Imperator ad eum se contulit, in Abbatis lectulo familiariter cubavit, atque altera die ad Palatium addu-

vit. S. Rom. n. 31.

Conventu inde populis ad Roncalias instituto, ut viduis & pupillis jus diceret, adfuit & fœmina (uxor occisi) *caput Comitis secum habens, quæritque qua morte sit dignus, qui injuste aliquem occidisset? Othone respondente, capitis privatione; ait illa: Tu es ille vir qui maritum meum ad suggestionem uxoris tuæ injuste occidi mandasti. Simulque in medium mariti sui caput projecit .... atque mox inspectantibus cunctis ferrum ignitum jussu Othonis allatum sine ulla offensione prehendit .... Otho muliere collaudata Reginam igne cremari jussit.* Hæc Palatius addens quod Sigonius Gotfridum Viterb. citet. At P. Pagi ad annum 998. affirmat, Ottonem III. nunquam uxorem duxisse, & narrationem hanc de adulterio & supplicio Mariæ Aragonicæ ad fabulas ablegat.

adductum vehementer rogavit, ut Abbatiæ Claſſenſis curam in ſe ſuſciperet. Primo hoc munus conſtanter recuſanti comminatus eſt Imperator juſtæ petitioni repugnantem ab omnibus Epiſcopis eſſe excommunicandum, tandemque ad ſubeundum onus compulit. Tunc vero, cum Romualdus monachos, cunctos Regulæ apices exacte ſervare, cogeret, nulla in quocunque vel nobilitatis, vel eruditionis habita ratione, tanti rigoris impatientes pœnitentia duci cœperunt, quod ipſum elegiſſent, & in acerbas querelas eruperunt. Unde Vir Sanctus intelligens homines iſtos converti non poſſe, quin ſe ipſum in via perfectionis non progredi, ſed regredi, Imperatorem ante mœnia Tiburtinorum agentem adit, atque præſente etiam Archiepiſcopo Ravennate, projecto Baculo paſtorali, Dignitati Abbatiali renunciat. Sæculum X. A. C. 998.

Singulari autem Numinis beneficio miſſus S. Romualdus videbatur, ut Tiburtinos Cæſaris iræ eriperet. Quippe obſeſſis perſuaſit; deditionem facerent, partem murorum deſtruerent, obſides darent, & percuſſorem Ducis ejus matri traderent, quam deinde facile perpulit, ut amore JEſu Chriſti inimico parceret. Præterea Tibure commorans Romualdus n. 54.

Sæculum X. A.C. 998.

Thammum illum convertit, cujus astutia deceptus Crescentius perierat. Nam cum ei idonea & vehementi oratione impostura & perjurii enormitatem depinxisset, commotus Thammus mundo valedicere statuit, & ab Imperatore Ordinem monasticum amante facultatem facili negotio impetravit.

Ipse Imperator illud crimen S. Romualdo confessus, pœnitentiam hujusmodi subiit; nudis pedibus de Romana Urbe egrediens ad S. Michaelem in Gargano monte perrexit. Per totam vero Quadragesimam sequentem anno 999. in Monasterio Classensi mansit, jejunans & Psalmodiæ prout valebat intentus, cilicio ad carnem indutus, exterius auro & purpura fulgens. Et licet lectus Regio cultu stratus adesset, ipse in storea ad quietem capiendam membra ponebat. Promisit denique S. Romualdo se Imperium relicturum, & Habitum Monasticum susceperturum. At propositum non implevit.

§. LIII.

Imperator S. Nilum invisit.

vit. S. Nili p. 155.

De monte Gargano rediens Imperator ad S. Nili Monasterium divertit. Cui appropinquans & ex colle monachorum tugu-

tuguria circa Sacellum extructa prospi- Sæculum X.
ciens ait: *Ecce Tabernacula Israelis in* A. C. 998.
Deserto! isti sunt cives Regni Cælorum, qui non incolarum, sed peregrinorum more in hoc mundo versantur. S. Nilus thus accendi & præferri jubet, seque cum tota Congregatione sua obvium inferens, omnibus humilitatis & reverentiæ signis venientem Principem salutat. Imperator Sancti Senis manum prehendens Sacellum intrat, & persolutis precibus ait: *Priusquam in Cælum migres, Pater venerabilis, futuræ filiorum tuorum necessitati prospice, ne si te amplius non habuerint Ducem, hujus eremi asperitate deterriti in diversa spargantur. Dabo eis, si vis, Monasterium & subsidia, in quocunque Imperii mei loco sedem eis elegeris.* Respondit Vir Sanctus: *Si vere monachi fuerint, ille qui eorum meique hucusque paternam curam gessit, me absente multo minus sperantes in se deseret.* Postquam sermonem aliquamdiu protraxissent, & Imperator abiturus surrexisset, iterum in S. Nilum respiciens dixit: *Pete a me tanquam a filio tuo quodcunque volueris.* Ille dextram pectori Principis admovens ait: *Nihil a te peto, Auguste, nisi ut Salutem tuam cures. Ut ut Imperator sis, sicut ceteri homines, morieris, & omnium actionum tuarum rationem reddes.* Impera-

Sæculum X. A. C. 998.

tor lacrymas non tenens coronam ſuam in manus Sancti Senis tradidit, & demum tam ipſe, quam cuncti eum comitantes, benedictione accepta, inceptum iter proſecuti ſunt. Quibusdam Monachis deinde murmurantibus, quod S. Senex Principis gratiam rejeciſſet, & Monaſterium aliquod non expetiiſſet, S. Nilus dixit: *Stulte locutus ſum fateor; ſed breve tempus docebit, an vos modo ſapiatis.* Poſtea comperto Ottonis Imperatoris præcoci fato Sancti Viri prudentiam admirati ſunt.

§. LIV.

Franco & Buchardus Epiſcopi Wormatienſes.

vit. Burch. Wormat. Ditm. l. 4. p. 47.

In hac ſecunda profectione Romana Otto Imperator itineris comitem habebat Franconem, cui brevi abhinc tempore, defuncto Hildebaldo, Cathedram Wormatienſem contulerat, juveni quidem, ſed eximiæ virtutis Clerico. Singularem in eo Imperator poſuerat fiduciam, nec quidquam gravioris momenti, non requiſita Franconis ſententia, ſtatuere ſolebat. Cum Romæ commoraretur, aliquando cum hoc Epiſcopo in quodam antro Eccleſiæ S. Clementis ſecreto ſe abdidit, ubi ambo nudipedes & ciliciis

liciis induti jejunando, vigilando & orando dies quatuordecim transegerunt. Sæculum X. A. C. 998.

In illa ſolitudine Epiſcopo Cœlitus revelatum, imminere ſibi ſupremam diem; quod cum Imperatori aperuiſſet, is erumpentibus lacrymis inſtabat, ut virum nominaret, quem ſibi in Epiſcopatu Succeſſorem cuperet. Nominavit Franco Buchardum fratrem ſuum, promiſitque Imperator, addito juramento, ſe eum Eccleſiæ Wormatienſi præfecturum, quod ne e memoria elaberetur, voluit ſibi a Francone Libellum ſupplicem dari, eumque in peram, in qua commentarii ad ejus Teſtamentum pertinentes ſervabantur immiſit.

Obiit Franco ſicut prædixerat, ſepultusque eſt Romæ, poſtquam vix brevi tempore ultra annum, quem in Italia apud Imperatorem conſumpſit, Sedem Wormatienſem tenuiſſet. Francone fatis functo, Imperator, datæ fidei immemor, & importunis ſupplicum precibus cedens, Epiſcopatum conceſſit duobus aliis ſibi ſuccedentibus, quorum alter, poſtquam fuiſſet nominatus, non plus tribus, alter non plus quatuordecim diebus in vivis fuit. At in Saxoniam reverſus Otto triſtem eventum narravit Willegiſo Archiepiſcopo Moguntino, qui ad

ſe

Sæculum X. A. C. 998

se venerat, Buchardo, alumno suo, comitante. Noverat Imperator Buchardum, atque antea sæpe ad se vocatum muneribus cumulaverat. Cum igitur inter comites Archiepiscopi eum vidisset, ad se accedere jubet, quid defuncto fratri ipsius promisisset, indicat, & urget, ut Episcopatum acciperet. Non prius consensit Buchardus, quam cum Archiepiscopo consultasset, a quo post elapsos aliquot dies consecratus est. Istud circa annum millesimum actum.

Buchardus natus erat in Hassia, nobilibus parentibus, a quibus in prima ætate Confluentiam ad literas discendas missus, inde ad diversa Gymnasia, atque inter alia Lobiense Monasterium & Leodiensem civitatem, ubi Canonicus fuisse dicitur, ut operam scientiis daret, divertit. Tandem Willegiso Archiepiscopo Moguntino se addixit, a quo Sacris Ordinibus & Diaconatu initiatus, cum Regimen Ecclesiæ pauperis accepisset, eam tam in temporalibus, quam in Spiritualibus magnifice restauravit. Tandem Archiepiscopus Buchardum Cubiculariis suis & toti civitati Moguntinæ præfecit.

§. LV.

Sæculum X.
A. C. 998.

§. LV.

Abbo Floriacenſis Romæ.

Abbo Floriacenſis iter Romam ſecundo ſuſcepit, ſedente Papa Gregorio V. qui minabatur toti Regno Franciæ anathema dicere, niſi Arnulphus in Sedem Remenſem reſtitueretur, affirmans, ſine Judicio legitimo fuiſſe dejectum. Hugo Rex (*) mortuus erat anno nongenteſimo nonageſimo ſexto, vigeſima quarta Octobris, poſtquam annis novem & menſibus ferme quinque regnaſſet, Robertus vero eius filius Bertam duxerat, Odonis I. Comitis Bleſenſis & Carnutenſis viduam. Erat Berta, filia Conradi Regis Burgundiæ, & Mathildis, Sororis Lotharii Regis Franciæ, quorum Mater

Mabill. vit. Abb. c. 1. Præf. Sæc. 6. §. 6.

(*) Legimus in Eminentiſſimo Cardinali ad annum 987. *Hugonem hunc ipſum Magni Hugonis filium ex eadem* (Caroli Magni) *eſſe progenie demonſtrat Chronicon Wilelmi Mangii Monachi S. Dionyſii . . . . quin & Auctor, qui texuit Genealogiam S. Arnulphi . . . . profitetur hoc etiam Innocentius Papa in Epiſtola ad Ludovicum Regem hujus nominis ſextum &c.* Sed affirmat Abbas Calmet Tom. VIII. Hiſt. univ. Quod vero Hugo Capetus ex genere Caroli Magni proceſſiſſe dicatur, nullibi probatur.

Sæculum X. A. C. 998.

ter Gerberga Soror erat Adwigis, Roberti Aviæ. Unde Robertus & Berta ex sobrinis geniti erant. (*) Porro Robertus Rex, sperans sic se facilius impetraturum, ut hæ nuptiæ ratæ haberentur, Leoni Abbati S. Bonifacii Romæ promiserat, effecturum se, ut Arnulphus in Sedem Archiepiscopalem Remensem restitueretur. Hæc igitur præcipua causa fuit, cur Abbo a Roberto Rege rogatus Romam profectus fuerit.

Gerbert. ep. 151. *Mabill. ibid. §.7.*

Gerbert. ep. 151. *Mabill. ibid. §.7.*

Quo postquam perveniisset & Papam ibi non habuisset, iter Spoletum ingressus Regis nomine Gregorium salutavit. Is Abbonem adveniisse gaudens desiderium professus est, quod se videndi virum, fama jam dudum notum, subiisset. Inter varios sermones interrogavit Papa, quomodo S. Benedicti corpus in Franciam translatum fuisset, & qualia Transalpini hujus rei haberent documenta, rogans, ut sibi Translationis historia mitteretur. Quod Abbo postea in Franciam reversus præstitit. Octo prope dies apud se

(*) Hodie petitur Dispensatio, quæ etiam in secundo consanguinitatis gradu conceditur; quod nostra ætate factum in nuptiis Principum Bavariæ & Saxoniæ.

se versatum Papa sæpe mensæ adhibuit, & in Franciam remisit, postquam omnia, quæ petebat, concessisset. Neutiquam vero pecuniam more Antecessoris sui ab eo petiit, quin thure eum donavit & Casula, qua Missam celebrans uteretur. Privilegio etiam Abbatiam Floriacensem munivit, in quo præter alia statuebatur, ne liceret Episcopo non invitato ad eam venire, & nulli Episcoporum (*) fas esset eidem Monasterio Sacris interdicere, etiamsi toti Galliæ interdiceretur. Sæculum X. A. C. 998.

§. LVI.

Gerbertus Archiepiscopus Ravennas.

Abbo in Franciam redux Arnulphum, quem Rex e carcere (**) liberaverat, in Sedem

(*) Justa causa extitisse poterat prohibendi, ne pro illo tempore Episcopus Diœcesanus Monasterium Floriacense Interdicto subjiceret. An vero etiam Episcopi Successores, innocentes, Jurisdictione in hoc Monasterium sibi jure Divino collata & acquisita privari potuerint, difficilis est quæstio. Observabit Lector Historiæ Ecclesiasticæ studiosus, hoc Sæculo usum Plenitudinis potestatis Pontificiæ ad plura, quam prioribus Sæculis, extendi cœpisse.

(**) De Carolo, Franciæ Principe, etiam in carcere

Sæculum X. A. C. 998.

Sedem Remenſem reſtituit, eique Pallium de manu Pontificis acceptum tradidit. Data deinde ad Summum Pontificem epiſtola rationem factorum reddidit, nempe integerrima fide ſe ejus mandata executum, Robertum vero Regem Sacræ Sedis Decreta ſubmiſſe venerari, Papam rogans, ut Arnulphum ſuo hortatu ad reconciliandos Clericos ſuos, & *Abb. ep. 1.* Bona Eccleſiæ ſuæ per litem inter ipſum & Gerbertum exortam amiſſa iterum vindicanda excitaret. In illa Epiſtola Abbo ſe tam Arnulphi, quam Gerberti amicum profitetur.

Gerbertus hoc modo Archiepiſcopatu Remenſi privatus ad Ottonem Imperatorem ſe contulit, & apud ipſum Magdeburgi verſatus conſtruxit horologium ſua poſitione ad ſtellam Polarem directum. Poſtmodum eidem Imperator Epiſcopatum Ravennatenſem contulit, & Gregorius Papa Pallium miſit, addita epiſtola, in qua hanc Eccleſiam multis opibus donabat, ejusque privilegia antiqua omnia confirmabat. Hæc epiſtola menſe Aprili, Indictione undecima, nempe anno nongenteſimo nonageſimo nono,

Greg. 5. ep. 2.

tom. 9. Conc. p. 753.

carcere Aurelianenſi detento, ejusque filiis, nihil certi amplius Hiſtoria tradit.

nono, data est. Anno superiore idem Papa Joanni Archiepiscopo Ravennatensi, Gerberti Antecessori, Ecclesiam Placentinam, ipsi a Joanne Papa XV. injuste (*) ablatam, ut eam in Archiepiscopatum evectam Philagatho conferret, reddiderat. Gregorius V. eidem Episcopatum Monteferetranum subjecit. Prima die Maji, eodem anno nongentesimo nonagesimo octavo, Indictione undecima, Gerberto Archiepiscopo Concilium celebranti, adfuere Episcopi novem, omnes Suffraganei. Tres Canones conditi. Primus damnat pessimam consuetudinem in consecratione Episcoporum introductam, qua Subdiaconus Corpus Domini Nostri, id est, Hostiam quam inter consecrationis Cæremonias accipiebant, eis vendebat. Prohibetur etiam, ne Sacrum Chrisma Archipresbyteris venumdetur. Canones de Irregularitate, quæ Ordinationem impedit, servari jubentur. Cavetur, ne quis pro sepultura pretium exigat.

Sæculum X. A. C. 998.

Greg. V. ep. 1.

tom. 9. Conc. p. 766.

c. 3.

§. LVII.

(*) Sunt verba ipsius Pontificis Gregorii ep. 1. ad Joann. Ravenn. Archiep. Act. Conc. pag. 739. ad ann. 998.

Sæculum X.
A. C. 998.

§. LVII.

Concilium Romanum.

tom. 9. Conc. p. 772. Ad eundem annum nongentesimum nonagesimum octavum refertur Concilium, a Gregorio V. Papa Romæ, præsente Imperatore Ottone III. celebratum. Interfuere Episcopi viginti octo, ferme omnes Itali, quos inter eminent Papa & Gerbertus Archiepiscopus Ravennæ. Octo Canones conditi. Atque in primo decernitur, ut Rex Robertus Bertam, propinquam suam, quam contra Canones duxisset, dimitteret, & septem annorum pœnitentiam secundum gradus ab Ecclesia præscriptos subiret, sub pœna anathematis. Eadem pœnitentia Bertæ injungitur. Archembaldus Archiepiscopus Turonensis, qui
c. 2. Benedictionem nuptialem Sponsis impertitus fuerat, & omnes Episcopi tunc
c. 1. præsentes, a Sacra Communione suspenduntur, donec Sacræ Sedi satisfecerint.

c. 5. Stephanus Episcopus Anicii Velaunorum in eodem Concilio deponitur, quod ad eam Dignitatem a Guidone Avunculo suo & Antecessore, sine consensu Clericorum & populi, delectus fu-
c. 6. isset, atque post ipsius obitum a duo-

bus

bus tantum & diverſarum provincia-Sæculum X.
rum Epiſcopis ordinatus. Erant hi Dai- A. C. 998.
bertus Archiepiſcopus Bituricenſis & c. 7.
Rodenus Epiſcopus Nivernenſis. Po-
pulo & Clericis Anicienſibus poteſtas
tribuitur eligendi alium Epiſcopum,
quem Papa deinde conſecret. Rober- c. 8.
tus Rex Stephanum Epiſcopum depoſi-
tum non tueatur, ſed potius illum,
quem populus & Clerici elegerint. Sal-
va Regi debita obedientia. Sequitur, ne-
minem tunc credidiſſe, vel pœnitentiam
Principi injunctam, vel comminatio-
nem anathematis, Supremæ ejus Pote-
ſtati quidquam ſubtrahere.

Porro in eo etiam Concilio ſtatu- c. 3.
tum, ut Epiſcopatus Merſeburgenſis, in
quodam Concilio a Papa & Ottone I.
Imperatore creatus, & ſine Concilio ab
Ottone II. ſuppreſſus, reſtitueretur. Epiſcopatus
De Giſilerio autem, qui relicta Sede Mer- Merſebur-
ſeburgenſi ad Sedem Magdeburgenſem, genſis,
ſuam Metropolim, tranſierat, decretum, c. 4.
ut ſi canonice probare poſſet, ſe Clericis
populoque id expetentibus fuiſſe transla-
tum, Eccleſiam Metropoliticam retine-
ret, ſi non vocatus a populo illam Ec-
cleſiam adiiſſet, nullius tamen ambitio-
nis vel avaritiæ reus, ad Eccleſiam Mer-
ſeburgenſem rediret, ſi vero ambitio-

Sæculum X. A. C. 998.

nis & avaritiæ crimen diluere non poſſet, ex utraque Sede dejiceretur.

Ceterum Robertus Rex non niſi poſt longas moras Decretis hujus Concilii obtemperavit; nam per duos tresve annos Bertam retinuit. Erat ergo excommunicatus, atque hæc cenſura exactiſſime ſervabatur. Omne cum Rege commercium cuncti fugiebant, duobus ſervulis exceptis, qui vitæ neceſſaria præbebant, & omnia vaſa, ex quibus Rex cibum potumve ſumpſerat, in ignem projiciebant. Iſta in hunc modum literis mandavit Petrus Damianus, qui annis exinde ſexaginta ſcripſit. Idem Scriptor refert, Bertam ex illo matrimonio monſtrum, collo & capite anſerino, peperiſſe.

Ep. 5. ad Deſid. Caſſ.

Eodem anno, quo hoc Concilium habitum, vigeſima Sept. Indictione duodecima, anno nempe Pontificatus Gregorii V. tertio, Salutis nongenteſimo nonageſimo octavo, Imperator Ticini verſatus Conſtitutionem edidit, qua reprimebantur abuſus, qui in contractus Emphyteuticum & Libellaticum irrepſerant, unde Clerici prætextum nanciſcebantur, ſarta tecta non cuſtodiendi, & Principi obſequia, quæ Feudorum

rum ſuorum cauſa præſtare tenebantur, non exhibendi. Ergo Princeps jubet, ejusmodi contractus non diutius valere, quam in vita Beneficium concedentis, iisque Succeſſorem nullatenus obligari. Sæculum X. A. C. 998.

§. LVIII.

Eccleſia Hiſpaniæ.

In Hiſpania Bermundus II. Regnum Legionenſe ab anno nongenteſimo octogeſimo ſecundo moderabatur. Is cum Gudeſtum Epiſcopum Ovetanum, nulla juſta cauſa exiſtente, cuſtodiæ traditum, per annos tres detineret in carcere, atque ingentem terræ ſiccitatem diramque famem ob hoc peccatum a Deo immiſſam omnes crederent, commotus captivum libertati reſtituit; moxque decidens pluvia agrorum fertilitatem revexit. Idem Rex tribus Servis Eccleſiæ Compoſtellenſis Epiſcopum ſuum criminis, quod omnes boni abominantur, accuſantibus faciles aures dedit, juſſitque Præſulem taurorum ferociſſimo objici, qui cornua ſua in manibus Epiſcopi reliquiſſe fertur. Ceterum Bermundus II. repudiata uxore legitima aliam duxiſſe, duasque præterea ſorores concubinas aluiſſe legitur. *Sup. l. LVI. §. 43.* *Pelag. Ov. p. 7.* *Roderic. l. 5. p. 4.*

Sæculum X. A. C. 998.

In pœnam graviſſimorum peccatorum a Numine permiſſum credebatur, quod in Regnum Bermundi Arabes irruperint, Duce *Mahomet Almanzor*, Iſſem Principis ignavi, Cordubæ reſidentis, Præfecto. Cum *Almanzor* militabant quidam Comites, olim a Bermundo Rege in exilium miſſi, & fama hoſtium adventum nunciante Sanctorum Reliquiæ, quæ Legione & Aſturicæ quieſcebant, quin etiam Regum corpora ibi ſepulta, in loca tutiora translata ſunt. *Almanzor* integro pæne anno Legionem obſedit, eaque ad deditionem compulſa, portas turresque dejecit. Aſturicam quoque, & complures alias urbes cepit, theſauros Eccleſiarum abſtulit, ipſamque S. Jacobi Eccleſiam diripuit. Tandem duodecim, quibus bellum geſſit, annis res Chriſtianorum ita accidit, ut vix tempore Roderici Regis, cum primo Arabes invecti ſunt, pejore loco ſteterint. Nihilominus poſt tot clades Bermundus Rex Legionenſis Garcia, dicto *Tremente*, Rege Navarræ, & Garcia *Fernandez*, Comite Caſtiliæ, auxilia ferentibus, inſignem de Arabibus victoriam reportavit, qua accepta clade Almanzor probri impatiens occubuit anno Hegiræ 393. JEſu Chriſti 1003. Bermundus II. Rex poſt annum

Roder. hiſt. Arab. c. 31.

annum Christi millesimum ex podagræ doloribus decessit, relinquens Successorem Alphonsum V. quinquennem puerum, qui annis viginti novem imperavit. Sæculum X. A. C. 998.

Bermundo II. regnante, Legionensi Ecclesiæ præerat Froilanus, vir Sanctitate illustris. Qui Luci Augusti in Galæcia natus (in ea provincia ipsius Mater Froila honore SS. mulieribus exhiberi solito colitur) anno ætatis decimo octavo Institutum monasticum amplexus est. Inde elapsis aliquot annis in desertum secessit, ubi confluentibus postea compluribus Discipulis Monasterium fundavit, in quo ipse Abbas & S. Attilanus ipso jubente Prior fuit. Attilanus Taraconæ nobilibus parentibus anno circiter nongentesimo trigesimo nono in lucem editus, iis relictis, jam anno ætatis decimo monasterium ingressus est, ex quo S. Froilani fama attractus non multo post tempore migravit. Ramirus III. Rex, Froilano Legionem ad se vocato, magnam pecuniæ vim largitus licentiam quoque dedit, in quocunque Regni sui loco vellet, monasterium ædificandi, ubi Fratres Deum orarent pro tranquillitate Reipublicæ, quam non minus intus Christiani rebelles, ac foris Infideles turbarent. Igi- *Act. SS. Ben. Sæc. 6. p. 58. & 82.*

Sæculum X. A C. 998.

tur Froilanus extructo Tabarensi monasterio, atque etiam alio minore, † ducentos plus minus monachos collegit, complurium aliorum monasteriorum Restaurator eximius.

† Morcruele.

Episcopo Legionensi fatis functo, Bermundo II. Rege jubente, Froilanus invitus huic Sedi præficitur, quam postquam annis circiter sexdecim rexisset, anno 1006. tertia Octobris, qua die Hispania ejus memoriam colit, migravit ad Dominum. Quo tempore S. Froilanus Ecclesiæ Legionensi præfuit, ejus Discipulus S. Attilanus Zamorensem rexit, atque ambo una die in Festo Pentecostes consecrati dicuntur. Attilanus postquam sedisset annis decem, spiritu pœnitentiæ ductus, relicta Ecclesia sua, ad loca pia peregrinatus est. Post biennium reversus, cum Ecclesiam suam annis octo exinde rexisset, quinta Octobris anno millesimo nono, septuagenarius, beato fine quievit. Ceterum inter Sanctos ab universa Ecclesia colitur.

Martyr. Ro. 5. Octob.

§. LIX.

Gregorii V. obitus. Silvester II. Papa.

Quamquam juvenis esset Gregorius V. Papa,

Papa, non plus tamen annis duobus & novem menſibus ſedit, obiitque (*) decima octava Februarii anno 999. Sepultus eſt in Baſilica S. Petri prope S. Gregorium Magnum. Ottonis Imperatoris cura Gregorio ſuffectus eſt, ipſius quondam præceptor Gerbertus, (**) poſtquam Sedem Ravennatenſem uno anno tenuiſſet, qui Silveſter II. appellari voluit. Quia vero ad gravem Senectutem pervenerat, vix ultra annos quatuor ad clavum Eccleſiæ ſedit. Paulo poſt Otto Imperator, a Silveſtro rogatus, Eccleſiæ Vercellenſi ipſam urbem

Sæculum X. A.C. 999.

Papeb. Conat. Epitaph. Greg.

ap. Baron. ann. 999. in fin.

(*) Natalis Alexander in Tom. XI. pag. 257. *Obiit Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ſtudioſiſſimus Pontifex .... ut teſtatur Epitaphium ad ejus Sepulchrum, in Baſilica S. Petri exaratum, quod & illius effuſam in pauperes beneficentiam prædicat .... Ipſum juvenem fuiſſe, cum in Sedem Apoſtolicam evectus eſt, ex eodem Monumento conſtat. Septem Electorum Imperii Romani Inſtitutio ipſi perperam tribuitur.*

(**) De ſe ipſo in litera R. ita luſiſſe legitur Neo Pontifex: Scandit ab R. Gerbertus in R. poſt Papa vigens R. Scilicet quod olim Archiepiſcopus *Remenſis*, deinde Ravennatenſis, & tandem Romanus eſſet. Ceterum fuit ex Ordidine S. P. N. Benedicti & Pontificum, natione Gallorum, primus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæculum X. A. C. 999.

Vercellenſem, Comitatum ejusdem nominis, & Comitatum S. Agathæ cum tota annexa poteſtate publica, donavit, omnibus, cujuscunque conditionis eſſent, prohibens, ne Epiſcopum in poſſeſſione hujus Juris turbaret, addita mille librarum auri pœna. Hujus Donationis Decretum ſeptima Maji, anno nongenteſimo nonageſimo nono, Indictione duodecima Romæ datum eſt, nec aliud prius in Hiſtoria occurrit exemplum, Jurisdictionem publicam & ſæcularem cuidam Eccleſiæ adeo diſerte fuiſſe collatam.

Quamquam Arnulphus Archiepiſcopus Remenſis Auctoritate Gregorii V. reſtitutus fuerit, habemus tamen epiſtolam Silveſtri II. qua licentiam ei tribuit, ut munere Epiſcopali fungatur, gerat Pallium, Reges Franciæ & Epiſcopos Suffraganeos ſuos conſecret & ungat, & omnibus privilegiis, quibus Prædeceſſores ipſius uſi fuiſſent, gaudeat. Additur, ne quicunque vel Laicus vel Clericus ei crimen, ob quod depoſitus fuiſſet, exprobrare audeat. Forſan gratiſſimum fuit Arnulpho in Sede Remenſi confirmari, ab eo ipſo, qui æmulus fuerat, & Gerberto optatiſſimum, quod publice profiteri poſſet, condemnationem

nem Arnulphi non fuisse retractatam tanquam injustam, sed tanquam Papæ consensu & auctoritate destitutam, prout in hac epistola clare affirmat, & sic tandem maculam usurpatæ Sedis Remensis elueret. Sæculum X. A. C. 999.

§. LX.

S. Adelheidis extrema.

Eodem anno, quo Gregorius Papa e vivis abiit, Ottoni III. Imperatori tanta jactura afflicto, alias quoque duas personas ipsi carissimas mors eripuit, nempe agnatam suam Mathildem, Ottonis II. sororem, Abbatissam Quedlinburgensem, cui, absente Imperatore nepote suo, pars maxima regiminis in Germaniæ Imperio incubuerat, tum etiam Adelheidem Imperatricem, utriusque aviam. *Chron. Saxon. an.* 999.

Adelheidis, mortuo filio suo unico Ottone II. Imperatore, multas injurias tulit illatas sibi a nuru sua Theophania Græcæ nationis femina & furiosa. Sed hæc Adelheide prior e vivis migravit. Adelheidis vero pietatem testatam faciunt plurima fundata monasteria; nam in omnibus regnis, quæ cum tribus Imperatoribus Marito, filio, & nepote possedit, plurima ædificavit monasteria. In *vit. Bibl. Clun. p.* 356.

Saxo-

Sæculum X. A. C. 999.

Saxonia Monaſteria Virginum, pium conſilium ſuggerente Mathilde Abbatiſſa, filia ipſius unica, magnis reditibus auxit. Annis autem ante obitum ſuum ferme duodecim, civitatem & monaſterium Salſenſe, ſeu *Schlen*, in Diœceſi Argentoratenſi fundavit, eique Abbatem Eccemagnum, virum, quem ægre a latere ſuo avelli patiebatur, nempe ſuum in Sacris literis præceptorem, præfecit. Permultæ aliæ tam Canonicorum quam Monachorum Congregationem S. Adelheidis munificentiam expertæ ſunt; cumque piiſſima Imperatrix, more aliarum Reginarum, corporis ſui cultum auro & gemmis nitere nollet, ea vel ad ornandas Cruces & libros Evangeliorum, vel in ſubſidium pauperum impendebat.

Extremo vitæ ſuæ anno in Regnum Burgundiæ profecta, ut inter Vaſallos Rudolphi Regis, nepotis ſui, pacem re-
Sup. §. 54. duceret, cum ad S. Mauritium in Valleſia moraretur, comperit, Franconem Epiſcopum Wormatienſem Romæ e vita ceſſiſſe, quem, virum pietatem inſignem, Imperatori, nepoti ſuo (eum enim comitatus fuerat) ereptum vehementer doluit. Inde Genevam, tum Lauſanam & tandem Orcam progreſſa, mune-

ra

ra misit ad permultas Ecclesias, ad S. Benedictum ad Ligerim, Cluniacum, ad S. Martinum Turonensem, quo Ecclesia nuper incendio vastata reparari posset. Rogavit precibus adjuvari Odilonis Abbatis Cluniacensis, cujus vestimento osculum impressit, dicens, quod vultum ejus non amplius esset visura. Tum Salsam * reversa, febre correpta est, & beatam animam efflavit, extrema unctione atque Viatico munita, decima sexta Decembris anno 999. quinquaginta octo annos nata. Sepulta est in eodem loco, vitamque ejus Odilo Abbas scripsit, addito libro separato, in quo miracula per ejus interceſſionem patrata referebantur.

Sæculum X. A. C. 999.

* Forte Selestadium.

§. LXI.

Archiepiscopus Gnesnensis.

Hoc quoque tristi nuncio afflictus est Imperator in Italia commorans; cumque in reditu ad eum delatum fuisset, quam crebris miraculis Sepulchrum S. Adalberti Pragensis fulgeret, illo se conferre statuit. S. hic Martyr terræ mandatus fuerat Gnesnæ, tunc Metropoli Poloniæ; quippe Dux Boleslaus ejus Reliquias data pecunia redemerat. Imperatori adventanti Boleslaus obviam procedens Principem summi honoris signis exce-

Ditm. lib. 4. p. 43. Fragm. Sæc. 5. Act. Ben. p. 871.

Sæculum X. A. C. 999.

excepit. Imperator vero, ubi urbem Gnesnam procul conſpexit, pedibus calceamenta detraxit, & ab occurrente Epiſcopo Ungaro in Eccleſiam deductus, effuſis lacrymis S. Martyris Interceſſionem imploravit. Ceterum S. Adalberti honori dedit, ut Gnesnam in Archiepiſcopatum evehi vellet, cum prius ne quidem Sedes Epiſcopalis ibi fuiſſet, ſed Diœceſi Posnanienſi ſubjiceretur.

Imperator in illa Sede primum Archiepiſcopum conſtituit Gaudentium S. Adalberti fratrem, eique Suffraganeos tres, videlicet Epiſcopos Colbergenſem *, Cracovienſem & Wratislavienſem, ſeu Breslavienſem in Sileſia, ſubjecit; quia vero Ungarus Epiſcopus Posnanienſis huic inſtitutioni repugnabat, eum ſub Jurisdictione Archiepiſcopi Magdeburgenſis, cujus erat Suffraganeus, reliquit. Hæc a Scriptoribus coævis tanquam contra Regulas Eccleſiaſticas facta, quod nempe Epiſcopus Diœceſanus & Metropolitanus adverſarentur, adnotantur.

* Sals-Colberch.

Quod ad Epiſcopatum Pragenſem ſpectat, jam anno nongenteſimo nonageſimo ſeptimo, ſtatim poſt Sancti Adalberti obitum, Boleslaus Dux Bohemiæ, miſſis ad Imperatorem nunciis roga-

Act. Ben. p. 870.

rogavit, ut Ecclesiæ suo Pastore orbatæ Episcopum daret, ne in tenebras infidelitatis, e quibus vix emersérat, relaberetur, adjiciens, neminem in Bohemia existere tanto muneri parem. Imperatori & Proceribus omnibus visum, nullum huic Officio magis idoneum esse Thietdago, uno ex regiis Capellanis, qui, licet esset natione Saxo, linguæ tamen Sclavonicæ erat peritissimus. Ergo eum Imperator ad Archiepiscopum Moguntinum mittit cum imperio, ut Episcopum Pragensem consecraret. Ipse septima Julii anno 998. ordinatus, a populo suo magnam lætitiam profitente excipitur, atque in angulo Altaris S. Vito Cathedralis Ecclesiæ Patrono Sacri in Solium Episcopale evehitur. Sæculum X. A.C. 1000.

Ex Polonia redux Otto Imperator Magdeburgum se contulit, ubi Dominicam Palmarum anno Domini nostri millesimo celebravit. Altera die lunæ convocato Episcoporum Concilio Gisilerium vehementer hortatus est, ut Merseburgo, priore Sede sua, contentus, Archiepiscopatui Magdeburgensi renunciaret. Hic Præsul, cum Argumenta deficerent, auro causam defendit, obtinuitque, ut negotium usque ad Conventum ampliorem, Quedlinburgi in Festis Paschali- *Chron. Sax.* 1000. *Ditm. lib. 4. p. 43.*

Sæculum X. A. C. 1000.

schalibus celebrandum differretur. Cum vero illo tempore morbo impediretur, misit unum Clericorum suorum, nomine Rotmannum, & Waltardum Ecclesiæ Magdeburgensis Præpositum, qui ipsum excusarent; unde causa iterum ad tempus Concilii, Aquisgrani indicti, in quo ipse Imperator interfuturus erat, dilata. Tunc quidem advenit Gisilerius cum Clientibus suis, adfuitque Papæ Legatus, Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus, qui bis terve institit, ut causam judicari pateretur. Sed factum ad res solerter gerendas viri ingenium in hoc quoque Concilio effecit, ut omnes existimarent, rem istam in Concilio Generali Romæ congregando, cui interfuturus Imperator ad iter suscipiendum se comparabat, discutiendam esse.

Ottonem Aquisgrani commorantem cupido subiit aperiendi Sepulchrum Caroli Magni; unde Cruce aurea, e collo ejus pendente, & vestimentorum, quæ integra reperta sunt, parte sublata, cetera in priore loco reverenter deposuit.

FINIS TOMI XIII.

INDEX

INDEX
RERUM ET NOMINUM
TOMI XIII.

Abbas. A Rege Baculum Pastoralem accipit. pag. 325.
Abbo Floriacensis. p. 670. Ejus Apologia. p. 715. Collectio Canonum. p. 720. Romam proficiscitur. p. 749.
Adalbero II. Episcopus Metensis. p. 699.
S. *Adalbertus* Magdeburgensis. p. 448. Obit. p. 562.
S. *Adalbertus* Pragensis. p. 564. Praga discedit. p. 612. Romæ. p. 614. In Bohemiam revocatur. p. 704. Mittit Prædicatores Fidei in Hungariam. p. 706. Roma in Bohemiam remissus. p. 725. Martyr. p. 729.
Adaldagus Bremensis. Obit. p. 617.
S. *Adelheidis* Imp. Ejus vita. pag. 520. Obitus. p. 763.
Adulterium. Adultera capite plectitur. p. 705.

Advocati Ecclesiæ. Qui sint, & eorum origo. p. 720.
Agapitus II. Papa. p. 307. Concilium in Francia convocat. p. 308. Obit. p. 362.
Albericus Urbis Dominus. p. 224.
Alexander Imp. Orientis. p. 149.
Alexandria. Michaeli succedit Christodulus. p. 121. Et huic Eutychius. p. 227. Ultimus Patriarcharum. ibid. Gabriel Jacobita. p. 229.
Alfredus Rex Angliæ. Literarum Protector. p. 18. Scripta & Versiones illius. p. 24. Pietas. p. 27. & 110. Obitus. p. 110.
Alveldense Monasterium in Hispania. Dulquitus Abbas. p. 350. Ei successit Salvus. ibid.
Anastasius III. Papa. p. 155. Obit. ibid.
Anglia. Alfredo succedit filius Eduardus Senior. p. 112. Edelstanus. p. 235. Edmundus Frater. p. 276. Edmundo succedit Edredus. p. 322. Edredo Nepos Eduinus. p. 402. Huic Edgarus. p. 404. Edgaro Eduardus. pag. 553. S. Eduardo occiso Ethelredus. p. 560.
Antiochia. Theodosio successit Simeon, & huic Elias. p. 121. Eliæ Theodosius Melchita. p. 230. Antiochia occupatur a Græcis. p. 475. Christophorus Patriarcha a Saracenis occisus. ibid. succedit Theodorus ab Imperatore

tore Græcorum nominatus. p. 478. Agapitus Patriarcha. p. 552.
S. *Antonius* Caulea Conſtantinopolitanus Patriarcha. p. 41. Obit. p. 101.
Appellatio. In cauſa liquida non datur. p. 654.
Aquileja. Angelfridus Patriarcha. p. 415. Rodoaldus. p. 448.
Arelate. Ludovicus Boſonis Filius Rex. p. 12. Manaſſes Archiepiſcopus. p. 237.
Argrimus Lingonenſis. Reſtituitur. p. 90. & 109.
Arnulphus Aurelianenſis. In Concilio Remenſi. p. 635. Vehementiſſima ejus Oratio. p. 647. forte Gerberti opus. p. 660.
Arnulphus Lotharii Regis filius naturalis. Seditioſus. p. 627. Archiepiſcopus Remenſis. ib. Reſtituitur. p. 752. & 762.
Arnulphus Rex Germaniæ. p. 2. In Concilio Triburienſi. p. 64. Imperator. p. 71. Obit. p. 92.
Arragonia. Garzias Rex. p. 351.
Artaldus Archiepiſcopus Remenſis. Pulſus. p. 255. Reſtitutus. p. 302.
S. *Attilanus* Epiſcopus Zamarenſis. p. 759.
Atto Vercellenſis. Ejus Epiſtolæ. p. 381. Tractatus de Abuſibus in Eccleſia. p. 389.
Auguſta Vindelicorum. Adalpero Epiſcopus in Concilio Triburienſi. p. 70. Ipſi

ſuccedit Hiltinus, & huic S. Udalricus. p. 222. Udalrico Henricus. p. 567. Liutolfus in Concilio Romano. p. 674.

Auxilius. Ejus Scripta. p. 125. & ſeqq.

Baptiſmus. Parvuli baptizantur. p. 489.

Baſilius & Conſtantinus. Impp. p. 550.

Bavaria. Arnulphus Imp. obit. p. 92. Ludovicus Infans. ibid. Epiſtola Epiſcoporum Bavariæ ad Joannem Papam. p. 93. Reſponſio Papæ. p. 238. & ſeqq. Res Eccleſiæ. ibid. Presbyteri uxores ducunt. p. 241. Arnulphus malus, & Eberhardus Duces. p. 243. Henricus Dux. p. 249. Obit. p. 458. Henricus Dux ſub Ottone III. p. 632.

S. *Benedictus* Patriarcha. Ejus Regula in Bohemia. p. 454.

Benedictus IV. Papa. p. 109. Epiſtola illius. p. 110. Obit. p. 113.

Benedictus V. p. 432. Deponitur. p. 433. In Germania. p. 435. Obit. p. 436.

Benedictus VI. p. 507. Strangulatur. p. 509.

Benedictus VII. p. 509. Obit. p. 606.

Beneficia. Quod liceat plura habere probatur ab exemplo SS. Petri & Marci. p. 238.

S. *Benno* Metenſis. p. 203.

Berengarius Dux. Rex in Italia. p. 3. Imperator. p. 79. Ludovicum Imp. oculis privat. p. 113. Secundo coronatur. p. 157. Occiditur. p. 190.

Bernuardus Ottonis III. Præceptor. p. 568. Hildesheimensis Episcopus. p. 701.
Bohemia. Borivojus. Wratislaus primi Duces Christiani. p. 253. Boleslaus, S. Wenceslaus, & Drahomira eorum Mater. ib. Sclavi convertuntur. p. 329. Boleslaus Bonus. p. 454. Status Ecclesiæ. p. 613.
Boleslaus Dux Bohemiæ. p. 766.
Bonifacius VI. Antipapa. p. 72.
Bonifacius VII. Antipapa. p. 509. & 606.
Borussia. S. Adalbertus Martyr prædicat Evangelium. p. 728.
Bremensis Ecclesia. Hogerio successit Renuardus, & huic Unnius. p. 169. Unnius Daniæ Apostolus. p. 246. Adaldagus ejus Successor. p. 247. Infidelium conversioni incumbit. p. 327. Ei succedit Libentius. p. 617.
Britannia Minor. Rollo Dux. p. 160. & seq.
S. *Bruno* Colonienſis Archiepiscopus. p. 334. Obit. p. 438.
Bulgaria. Simeon Rex. p. 300. Petrus. ibid. Pauli Latrensis precibus se & Regnum commendat. p. 375.
Burgundia. Rudolphus Rex. p. 4. in Italiam vocatur. p. 190. Rudolphus III. Rex. p. 681. Conradus. p. 685.

Cæsarea in Cappadocia. Basilius S. Polyeuctum Constantinopolitanum ordinat. p. 365.

Cantuaria. Plegmundo ſuccedit Athelmus, huic Wulfelmus, & demum Odo. p. 275.
Cardinales. Romæ viginti quatuor. p. 451.
Carolus Imp. Deſeritur. p. 2. Obit. ibid.
Carolus Lotharii Regis Franciæ Frater Carolinorum ultimus. p. 625. Hugoni Capeto traditur. p. 628.
Carolus M. Ejus ſepulchrum aperitur. p. 768.
Carolus Simplex. Rex Franciæ. p. 45. Ludovici Balbi Filius ex Stirpe Carolina. ibid. Normanniam & Britanniam Rolloni cedit. p. 161. Obit. p. 235.
Caſſinenſe Monaſterium. Abbates Bertarius, Ragemprandus, Leo, & Joannes. p. 157. & ſeq. Viri celebres. p. 580. & ſeqq. Eo divertit S. Nilus. p. 603. Abbates Majelpotus, & Aligernus. p. 605. S. Adalbertus Archiepiſcopus Pragenſis Caſſinum adit. p. 615. Manſon Abbas. ibid. & p. 707. Abducitur & oculis privatur. p. 709. & ſeq.
S. *Catharina* ſeu Ætaterina Martyr. Colitur. p. 377.
Chriſtophorus Papa. p. 113.
Clerici. Conjugati in Anglia reprobantur. p. 29. Uxorem ducentes deponantur. p. 332. Si uxores habent, ſe contineant. ibid. Ad continentiam obligantur. p. 385. & ſeq. Cur in ordinibus minoribus ceſſaverint miniſtrare. p. 528.

p. 528. Clerici in Italia impudici. p. 531. Presbyterorum Liberi ordinantur, si digni sunt. p. 701. An Subdiaconi & Minoristæ sint proprie Clerici. p. 716.

Cluniacum. Fundatur. p. 140. Berno primus Abbas. p. 143. Ei succedit S. Odo. p. 205. S. Odoni Aimardus. p. 264. Et huic S. Majolus. p. 317. Aimardi obitus. p. 510. S. Majolus Abbas. p. 511. Ejus obitus. p. 682. S. Odilo. ib. Abbates sibi Coadjutores eligunt. ibid.

Colbergensis Episcopatus in Pomerania. p. 621.

Colonia. Guillebertus in Concilio Moguntino. p. 4. Ei succedit Hermannus. p. 16. Qui interfuit Concilio Triburiensi. p. 63. Hogerium Hamburgensem ordinat. p. 145. Hermanno succedit Wicfredus. p. 250. Præsens in Concilio Ingelheimensi. p. 308. Succedit Bruno Ottonis M. Frater. p. 334. Et huic Folcmarus. p. 441.

Communio. Milites ante pugnam S. Communione reficiuntur. p. 343. Tribus diebus ante Pascha omnis populus communicat. p. 346.

Concilia. Eorum authoritatem Summi Pontifices venerantur. p. 79. Eorum infallibilitas. p. 648. An sine authoritate Romani Pontificis celebrari possint. p. 654.

Concilium Anglicum. Sub S. Dunstano. p. 491. Mores Clericorum depravati. ib. & seq.
Concilium Augustanum. p. 331.
Concilium Cabilonense. p. 61.
Concilium Confluentinum. p. 186.
Concilium Erfordiense. p. 219.
Concilium Ingelheimense. p. 308. Aliud. p. 500.
Concilium Lateranense. Contra Benedictum V. p. 432.
Concilium Metense. p. 7.
Concilium Moguntinum. p. 4.
Concilium Mosomense. p. 306. Aliud. p. 693.
Concilium Ravennatense. p. 87. Aliud. p. 446.
Concilium Remense. p. 45. & seq. & p. 188.
Concilium Romanum. Sub Joanne IX. p. 79. Aliud contra Joannem XII. p. 415. Aliud contra Leonem. p. 426. Aliud. p. 674. Aliud sub Gregorio V. p. 754.
Concilium Trevirense. p. 314.
Concilium Triburiense. p. 63.
Concilium Troslejanum. p. 134.
Concilium Viennense in Gallia. p. 42.
Conradus I. Rex Germaniæ. p. 149. Obit. p. 172.
Constantinopolis. Nicolao Mystico succedit Stephanus Amaseensis: huic Triphon Fidei-Commissarius, & demum Theophylactus. p. 225. & seq. Theophylacto

phylacto succedit S. Polyeuctus. p. 363. Et huic Basilius Scamandrinus. p. 478. Nicolao succedit Sisinnius, & huic Sergius. p. 711. & seq.
Constantinus Leonis VI. Filius. Coronatur. p. 149.
Constantinus Porphyrogenitus Imp. Ejus vita, & exitus. p. 379. & seqq.
Corinthus. Archiepiscopatus. p. 300.
Corsica Insula. In Patrimonio S. Petri. p. 398.
Crescentius Theodoræ famosæ Filius. p. 509. Romæ Tyrannus. p. 732. Antipapam promovet. ibid. Suspenditur. p. 741.

Damascus. Sergius Metropolita Romam se confert. p. 552.
Dania. Rex Garmius. p. 170. Persequitur Christianos. ibid. Garmio succedit Haroldus, qui Christianis favet. p. 246. Et convertitur. p. 327. Martyr. p. 561. Ipsi succedit Sueno. ibid. Suenonem vincit Hericus Rex Sueciæ. p. 619.
Decimæ. Bonorum industrialium. p. 138.
Degradatio. Qualis. p. 664.
Depositio. Modus deponendi Episcopum. p. 664.
Diaconissæ & *Presbyteræ*. Earum officia. p. 385.
Dialectica S. Augustini. p. 209.

S. *Dionysius Areopagita.* An celebris Liber ipsius opus sit. p. 35.
Dispensatio. In affinitate necdum est ordinaria. p. 485.
Donnus II. Papa. p. 509.
Duellum. In argumentum innocentiæ. p. 414.
Dulquitus Abbas. p. 350.
S. *Dunstanus.* p. 279. Archiepiscopus Cantuariensis. p. 401. Ejus Constantia. p. 483. Obitus. p. 608. & seqq.

Ecclesia. Reditus Ecclesiæ in quatuor partes divisi. p. 612.
Edgarus Rex Angliæ. Ejus pœnitentia. p. 487. Leges. p. 489.
S. *Eduardus* Rex Angliæ. Occiditur. p. 558.
Einsidlense Monasterium. Gregorius Abbas recipit S. Wolfgangum. p. 524.
Electio Episcoporum. Qualis in Anglia. p. 29. Qualis in Germania. p. 526. Et Investitura. ibid. Episcopi nominantur a Rege, & eliguntur a Clericis. p. 627.
S. *Emmerami* Monasterium Ratisbonæ. Possessum ab Episcopis. p. 690.
Episcopus. Translatus primus ad Sedem Romanam fuit Formosus. p. 31. Episcopi in bello occisi. p. 63. Translatio ab una Sede ad aliam prohibita. p. 84. Sine mandato Regis non ordinentur Episco-

Episcopi. p. 184. Episcopi Ordinatio Fidei-Commissaria. p. 226. Episcopi nominantur a Regibus & Principibus. p. 274. Translatio Episcoporum probatur exemplis SS. Petri & Marci. p. p. 238. Et aliorum. p. 277. Episcopi fiunt Monachi, cum Episcopatum suscipiunt. p. 277. Episcopi Baculum Pastoralem accipiunt a Principibus. p. 326. Canes & accipitres non habeant. p. 333. A quo judicandi. p. 389. & seq. Non cogantur jurare, nec descendere ad singulare certamen. p. 390. Abusus in Electionibus. p. 391. & seqq. Dispensasse videntur in impedimento Cognationis Spiritualis. p. 425. Non ordinentur Coadjutores. p. 502. Episcopus a Rege in carcerem mittitur. p. 546. Episcopi a quo judicandi. p. 638. An ultimo supplicio a Regibus affici possint. ibid. Episcoporum judicium non est minus judicio Pontificis. p. 675. Episcopi non sunt oves. p. 676. Episcopatus unus est in Ecclesia. p. 677. Ecclesias Episcopales conferunt Imperatores. p. 746. & seq.

S. *Ethelwoldus.* p. 493.

Evchariſtia. Statim post Baptismum detur. p. 10. In veritate consecratur Sanguis Christi. ibid. Communio non ita frequens in primordio Ecclesiæ. p. 263. Evchariſtia quomodo celebranda,

da, si non adsit Presbyter. p. 301. Communio sub una specie. ibid. Genuflexione adoratur. ib. & 440. Eucharistia servatur ut viaticum. p. 728. Vendebatur a Subdiaconis. p. 753.

Euthymius Constantinopolitanus. p. 120. Pellitur. p. 150. Obit. p. 151.

Eutychius Alexandrinus. Auctor Compendii Historiæ Universalis. p. 227.

Excommunicatio. Extinctis facibus pronunciata. p. 105. Mortuus absolvitur. p. 185. Abusus. p. 718.

Flandria. Balduinus Comes excommunicatur. pag. 46. Balduinus II. primi Filius Fulconis interfector. p. 102. Arnulphus Senior. p. 266. Guilielmum Ducem interficit. p. 273.

Floriacense Monasterium. Privilegium ne interdicatur. p. 751.

Formosus Papa. p. 30. Epistola ad Stylianum. p. 31. Ad Fulconem Remensem. p. 44. Imperatores coronat. p. 44. & seqq. Epistolæ. p. 47. Obit. p. 72. Damnatur & exhumatur. p. 76. Restituitur. p. 78. Absolvitur. p. 83. & seq. A Sergio damnatur. p. 122. Defenditur. p. 125. & seqq.

Francia. Odo Comes Parisiensis post Carolum Crassum Rex. p. 3. Carolus Simplex. p. 45. Odone mortuo Carolus solus. p. 91. Robertus. p. 187. Rudolphus

phus Rex. p. 189. & 235. Ludovicus Transmarinus Rex. p. 235. Normannos vincit. p. 274. Ei ſuccedit Lotharius Filius. p. 409. Lothario ſuccedit Ludovicus Iners, & huic Hugo Capetus. p. 624. & ſeq. Robertus. p. 749.

Franco Antipapa dictus Bonifacius VII. p. 606.

Franco Wormatienſis. p. 746. Hildebaldo ſucceſſerat. ibid.

Friſinga. Waldo Epiſcopus in Concilio Triburienſi. p. 70. Epiſtola ad Joannem IX. p. 94.

Frodoardus. Vita illius & ſcripta. p. 442. & ſeqq.

Froilanus Epiſcopus Legionenſis. p. 759.

Fulco Remenſis. Ipſius Epiſtola ad Stephanum VII. p. 73. Ad Regem Carolum Simplicem. p. 75. Trucidatur. p. 102.

S. Galli Monaſterium. Floret. p. 146. Ab Hungaris invaditur. pag. 191. Engilbertus Abbas. ibid.

Geiſa Dux Hungarorum. p. 706.

S. *Gennadius* Aſturigenſis. p. 176.

S. *Geraldus* Auriliacenſis. p. 56.

S. *Gerardus* Bronienſis. p. 264.

Gerbertus Abbas. p. 630. Archiepiſcopus Remenſis. p. 668. Literæ adverſus Arnulphum. p. 675. In Concilio Moſomenſi cauſam dicit. p. 693. Remenſi Sede privatur. p. 752. Archiepiſcopus

pus Ravennas. ibid. Sub nomine Silvestri II. p. 761.
Germania. Ab Hunnis seu Hungaris vastata. p. 168. & seq. Henricus Auceps Rex. p. 172.
Gnesna. Archiepiscopatus erigitur. p. 765.
Græcia. Episcopi quales. p. 472. Tributarii. ibid.
Gregorius V. Papa. p. 723. & seq. Ottonem III. coronat. p. 724. Pellitur a Crescentio. p. 732. Obit. p. 761.
Grimbaldus & *Joannes* Monachi doctissimi. In Angliam vocantur. p. 19.
Guido Spoletanus. Rex. p. 3. Imperator. p. 44. Obit. p. 79.
Hæretici. Sub nominibus Gog & Magog accipiuntur. p. 167.
Hamburgenſis & *Bremenſis* Episcopatus. Eorum status. p. 145.
S. *Haroldus* Rex Daniæ & Martyr. p. 561.
Henricus Auceps. Rex Germaniæ. p. 172. Ejus obitus & Victoriæ. p. 244.
Heraclea. Nicephorus Episcopus. p. 365. Olim Byzantinæ Ecclesiæ Metropolis. ibid.
Heriveus Remensis. p. 104. Concilia ab ipso celebrata. p. 134.
Hermannus Colonienſis. Ad eum scribit Joannes X. p. 184.
Hiſpania. Alphonsus III. qui successerat Patri suo Ordogno. p. 105. Concilia sub ipso celebrata. p. 106. & seq. Ecclesia

cleſia S. Jacobi. ibid. Alphonſo ſuccedit Garzias Filius. p. 108. Garciæ ſuccedit Ordognus II. Rex Legionis. p. 174. Ordogno II. Froila II. & huic Alphonſus IV. p. 178. Alphonſo IV. Monacho ſuccedit Ramirus II. & huic Ordognus III. p. 223. & ſeq. Ordogno III. ſuccedit Sanctius Craſſus. p. 350. Sanctio Craſſo Ramirus III. & huic Veremundus. p. 544. Bermundus II. Rex Legionis p. 757. Illi ſuccedit Alphonſus V. Filius. p. 759.

Hugo Capetus Comes Pariſienſis. p. 218. Remos obſidet. p. 255. Dux Franciæ. p. 273. Excommunicandus, niſi reſipiſcat. p. 313. Excommunicatur. p. 316. Burbonicæ Gentis Parens & Rex Franciæ. p. 626. Epiſtola ad Summum Pontificem. p. 629. Altera. 681. Monachis Benedictinis favet. p. 720. Obit. p. 749.

Hugo Lotharii Filius. Obit. p. 3.

Hungari. Quæ natio. p. 99. In Bavaria. p. 100. Et Italia. ibid. An ſint Gog & Magog. p. 165. Liber Abbatis cujusdam de Hungaris. ibid. Initia Fidei Chriſtianæ. p. 706. Geiſa Dux. ibid. Stephanus Filius baptizatus. ibid.

Jejunium. Sabbatinum necdum introductum. p. 68. Quomodo ſervandum. p. 538. Non jejunat, qui ante Nonam comedit. ibid. Quare in Sabbato jejunan-

nandum, vel non jejunandum sit. p. 604.

Jerosolyma. Christophorus Episcopus. p. 230. Joannes Episcopus flammis traditur a Saracenis. p. 475.

JEsus Christus. Ejus Imago Edessena. p. 282. & seqq.

Imperatores. Episcopos in Bohemia Baculo & Annulo investiunt. p. 566.

Interdictum. Ecclesiarum Cathedralium. p. 628.

S. *Joannes Baptista.* Ejus manus Constantinopolim delata. p. 367.

S. *Joannes Gorzienſis.* Ejus vita. p. 268. & seqq. Legatus ad Saracenos Hispaniæ. p. 351.

Joannes Papa IX. p. 78. Concilia ab ipso celebrata. p. 79. & 87. Ad Stylianum scribit. p. 100.

Joannes Papa X. p. 155. Berengarium coronat. p. 157. Epistola ad Heriveum Remensem. p. 164. In vincula conjicitur. p. 200. Moritur. ibid.

Joannes Papa XI. p. 215. Capitur. p. 225. Obit. p. 233.

Joannes Papa XII. Octavianus antea dictus nomen mutat. p. 362. Ottonem vocat. p. 395. Rebellis Imperatori. p. 411. Accusatur. p. 416. Deponitur. p. 420. Redit. p. 426. Ejus exitus. p. 431.

Joan-

Joannes Papa XIII. Episcopi Filius. p. 437. In Campaniam abducitur. ib. Restituitur. p. 444. Ottonem II. coronat. p. 462. Obit. p. 507.

Joannes Papa XIV. p. 606. Nomen mutavit. ibid. Fame perit. ibid.

Joannes Papa XV. p. 607. S. Udalricum Sanctis adscribit. p. 674. Concilium Mosomense indicit. p. 693. S. Adalbertum remittit. p. 705. Obit. p. 723.

Joannes XVI. Antipapa. p. 732.

Joannes Zimisces Imp. p. 477. Ejus exitus. p. 549.

Jordanus primus Polonorum Episcopus. p. 442.

Italia. Reguli plures post Carolum Crassum. p. 3. Imperatores. p. 44. & seq. Hungari a Rudolpho vocati. p. 190. Rudolphus pellitur. p. 199. Hugo Comes Arelatensis vocatur & regnat. ib. Guido cum Marozia Romæ Dominus. p. 200. Hugo Rex fugit. p. 224. Saraceni ibidem. p. 236. Lotharius Rex veneno tollitur. p. 331. Otto Imp. ib. Berengarius Ottonis Vasallus. p. 334. Berengarius & Adalbertus ejus Filius. p. 381. Roma sub Imperatore. p. 445. Græci Archiepiscopatus erigunt. p. 481.

Judicium extremum. Futurum statim post annum Christi millesimum. pag. 719.

Jurisdictio. Episcopi in causa sanguinis non judicent. p. 638.

Labor manuum. Monacho necessarius. p. 55.

Lambertus Eremicola. p. 268. & seq.

Lambertus Guidonis Filius Imp. p. 45. Berengarium expellit. p. 79. In Concilio Ravennatensi. p. 87. Occiditur in Venatione. p. 90.

Lando Papa. p. 155. Obit. ibid.

Laureacum. Gerardus Archiepiscopus. p. 238. Metropolitam Pannoniæ se dicit. p. 329.

S. *Lazarus.* Ejus & S. Magdalenæ corpora Constantinopoli. p. 101.

Leo Abbas S. Alexii. Legatus Papæ in Concilio Mosomensi. p. 693.

Leo VI. Græcorum Imp. Jus Romanum in unum corpus cogi jubet. p. 41. Auctor Novellarum Basilicarum. ib. Uxores quatuor habuit. pag. 114. & seqq. Obit. p. 149.

Leo V. Papa. p. 113.

Leo VI. Papa. p. 200.

Leo VII. Papa. p. 234. Epistola ad Episcopos Bavariæ. p. 240.

Leo *VIII.* Papa. p. 422. Deponitur. p. 426. Reducitur. p. 432. Obit. p. 436.

Leodium. Richarius & Hilduinus Episcopi. p. 183.

S. *Libentius* Bremensis. p. 617.

Lotharingia. Fridericus Dux. p. 204. Giselber-

ſelbertus Dux. p. 266. Conradus Dux. p. 335. Godefridus Dux. p. 693. Fridericus Dux. p. 699.
S. *Lucas* Junior. p. 297.
S. *Ludmilla* S. Wenceslai avia. p. 253.
Ludovicus Boſonis Filius Rex Provinciæ & Imp. p. 110. Oculis privatur. p. 113.
Ludovicus Infant Rex Germaniæ. Obit. p. 147.
Luitprandus. Liber illius de Legatione Conſtantinopolitana. p. 462. & ſeqq. Hiſtoriam ſcripſit. p. 472.
Magdeburgum. Ibidem Monaſterium SS. Petri & Mauritii fundatum ab Ottone M. p. 252. Metropolis p. 400. & 451. S. Adalbertus. p. 450. Primatus in Germania. p. 451. S. Adalberto ſuccedit Giſilerus. p. 563. Qui huic Epiſcopatui noluit renunciare. p. 767.
Mahometani. Mutamid ſuccedit Achmet nepos. Huic Ali Moctafi, qui Ægypto iterum potitus eſt. p. 121. & ſeq. Moctafi ſuccedit Frater Jafat Abulfadel, Moutadir Mahomet Abulmanſor. Huic Achmet Abulabas. pag. 230. & ſeqq. Imperium dividitur. p. 231.
S. *Majolus* Abbas Cluniacenſis. Ejus vita. p. 317. A Saracenis captus. p. 515. Ejus obitus. p. 682. Diſcipuli. p. 685. & ſeqq.
Manichæi. In Occidentem translati. p. 479.

Manso Abbas Cassinensis. p. 707. Excæcatur. p. 710.
S. Maria. Beneficium ab Illa Christianis contra Normannos collatum. p. 160. S. Udalricus ejus cultor. p. 343. & seq.
Marinus II. Papa. p. 307.
Marozia. Joannem X. pellit. p. 200. Joannem Filium ad Pontificatum evehit. p. 215. Hugoni Regi nubit. ibid. Capitur. p. 225.
S. *Mathildis.* p. 248. & 456.
Mathildis Abbatissa Quedlinburgensis. Romani Imperii Administratrix. p. 733.
Matrimonium. Certis diebus Conjuges se continent. p. 249. Impedimentum inter Patrinum & Matrem prolis. p. 425. Matrimonium cum Moniali dissimulatur. p. 442. Cum Propinqua non dispensatur. p. 485.
Mediolanum. Lambertus Episcopus Rudolphum Burgundiæ Regem vocat. p. 190. Manasses Episcopus Ratherio Leodiensi infensus. p. 338. Walbertus Episcopus conqueritur, quod Manasses fuerit intrusus. p. 395. In Concilio Romano. p. 415. Et Ravennatensi. p. 448.
Merseburgum. Episcopatus. p. 400. Boso primus Episcopus. p. 453. Gisiler secundus. ibid. Hic Episcopatus unitur Halberstadiensi. p. 564. Restituitur

tur in Concilio Romano. p. 755. Giſilerius Epiſcopus. ibid.
Metaphraſtes. Vitas Sanctorum colligit. 289. Ejus ſcribendi ratio. p. 290. & ſeq.
S. *Michael.* An Miſſam celebret. p. 539.
Miſſa. Non conſecretur in Calice ligneo. p. 69. Calici duæ tertiæ vini, & una tertia aquæ infundatur. ibid. S. Udalricus duas, aut etiam tres in die celebravit. p. 345. Miſſa pro vivis & mortuis. p. 460. Miſſa ter in die. p. 489. Quidam in aqua celebrantes. p. 691.
Mlada ſeu Maria Abbatiſſa O. S. Bened. p. 454.
Moguntia. Luitberto ſuccedit Sunzo ſeu Sunderoldus. pag. 4. Ad Concilium Wormatienſe vocatur. p. 17. Hatto Epiſcopus. p. 63. Hattoni ſuccedit Herigerus. p. 146. Quem Henricus Rex Sacro Oleo ſe ungere prohibet. p. 172. Intereſt Concilio Confluentino. p. 186. Succedit Hildebertus. p. 219. Ottonem M. coronat. p. 250. Fridericus Epiſcopus. p. 252. Artaldum Remenſem introducit. p. 304. Captivus Fuldæ. p. 330. In Concilio Auguſtano præſidet. p. 331. Friderico ſuccedit Guillelmus. p. 397. Willegiſus Archiepiſcopus. p. 566.
Monachi. Recluſi. p. 53. Eorum Regula. ibid. Monaſticum habitum Reges

in fine vitæ induunt. p. 224. Monachi Episcopo subjecti sint. p. 333. Monachi & Anachoretæ in Asia. p. 367. & seqq. Monachis conceditur privilegium Archiepiscopum eligendi. p. 562. Ecclesiis Cathedralibus serviunt. p. 618. Quid agendum Monachis in commodo Monasterio viventibus. p. 737.

Monasteria. Qualis eorum status. p. 136. In Francia reformantur. p. 685. & seq.

Moniales. Ejectæ in carcerem Monasterii jubentur redire. p. 7. & seq. Matrimonium cum Moniali dissimulatur. p. 442.

Moravia. Status Ecclesiæ. p. 93.

Moscovia. Christiana. p. 621.

Musulmanni in Hispania. Abderamus. p. 351.

Navarra. Sanctius Rex. p. 350.

Nicephorus Phocas Imp. p. 424. Ejus bella. p. 473. Occiditur. p. 476.

Nicolaus Constantinopolitanus. p. 101. Non consentit in nuptias Imperatoris. p. 117. & seq. In exilium mittitur. p. 119. Restituitur. p. 150. Epistola ad Papam. p. 152. A Regia amovetur. p. 179.

S. *Nicon* Armenus. p. 479. Obit. p. 712.

S. *Nilus* Calaber. p. 580. In Monte Cassino. p. 602. Romæ. p. 734. Ab Imperatore invisitur. p. 744.

Normanni. Convertuntur. p. 159. & seqq. Normannia Feudum Regni. p. 161.

161. Wilhelmus Dux. p. 255. Status Ecclesiæ. p. 273. Richardus Dux. p. 274.
Norwegia. Multi convertuntur. p. 621.
S. *Notgerus.* p. 146.
Nuptiæ. Quartæ sunt infames apud Græcos. p. 116. & 153. Decretum de Nuptiis. p. 180. Secundæ sunt pœnitentiæ subjectæ. p. 425. Quartas Græci horrent. p. 711.
S. *Odo* Cantuariensis. p. 275.
S. *Odo* Cluniacensis p. 205. Romæ. p. 234. Ejus obitus. p. 260. Scripta. p. 262. & seq.
Olibanus Comes. p. 577. Convertitur. p. 579.
Ordinatio. Iterari prohibetur. p. 85. & 125. Ordinatio ad tempus. 225. Monachi sine titulo non ordinantur. p. 280.
S. *Osualdus.* p. 496.
Otto I. Imp. p. 249. In Gallia. p. 304. In Concilio Ingelheimensi. p. 308. Danos vincit. p. 327. Vasallos habet. ib. Bohemiam subigit. pag. 329. Rex Longobardiæ. p. 331. Hungarorum Victor. p. 344. In Italia. p. 397. Imperator coronatur. ibid. Conjuratio contra ipsum. p. 426. Romam obsidet. p. 432. In Germaniam revertitur. p. 435. Iterum in Italia. p. 446. & 461. Obit. p. 503.

Otto II. Imp. Rex designatur. p. 397. Coronatur a Joanne XIII. p. 462. Patri in Imperio succedit. p. 604. A Græcis in Italia victus. p. 567. Obit. p. 568.
Otto III. Imp. Aquisgrani coronatur quadriennis. p. 567. Ejus educatio. p. 568. & seqq. Romæ coronatur. p. 724.
Oxfordienses Schola. p. 21.
Pallium. An Episcopis Orientis fuerit missum. p. 226.
Papa. Sedes Apostolica non judicatur. p. 81. Papa non consecretur nisi præsentibus Legatis Imperatoris. p. 86. Jurisdictio in Sedem Constantinopolitanam. p. 120. S. Sedes a Pontifice distinguenda. p. 127. Ex provinciis remotissimis ordinandi Romam veniunt. p. 129. Jurisdictio in Sedem Constantinopolitanam. p. 155. Papa fidem jurat Imperatori. p. 397. Donatio Carolinorum confirmatur reservata suprema potestate. p. 398. Quid tunc Patrimonium S. Petri. ibid. Modus eligendi Papam. ibid. & seq. An Otto acceperit potestatem constituendi Papam. p. 434. & 437. Dispensationi Papæ S. Dunstanus non obedit. p. 485. Auctoritas Romanæ Doctrinæ & Disciplinæ. p. 536. Presbyterorum filii eliguntur Papæ. p. 607. Papa an sit supra Canones. p. 648. An sit infallibilis collatus cum Conciliis. ibid. Si Romæ malus

malus Papa ſedeat, exſpectanda eſt converſio Præpoſitorum noſtrorum. p. 651. Si Epiſcopi Officio ſuo fungantur, omnes ſint æquales. p. 652. Imperator interrogatur, quis Papa eligendus. p. 723.

Paſſavium. Richarius Epiſcopus. p. 94. Hujus Epiſcopatus fines. ibid. Piligrimus. p. 525.

Pater Noſter. Ad menſam non recitandum. p. 241.

S. *Paulus* Latrenſis. p. 367.

S. *Pelagius* Puer Martyr. p. 178.

Petrus Urſeolus. Convertitur. p. 574.

Photius. Ejus obitus. p. 34. Bibliotheca. ibid. Nomocanon. p. 38.

Pœnitentia. Homicidæ injungenda. p. 6. Pœnitentiæ in Eccleſia modus. p. 66. & ſeqq. Abſolutio a criminibus. p. 265. Confeſſio generalis. p. 268. Confeſſio interdum Laicis facta. p. 299. Pœnitentia privata & publica. p. 388. Confeſſio Auricularis & abſolutio. p. 460. Pœnitentia Regi injuncta. p. 488. Aliæ privatis injunctæ. p. 490. initium pœnitentias commutandi. p. 491. Confeſſio peccatorum ſecreta. p. 534. Caſus Epiſcopo reſervati. p. 535. Confeſſio ſecreta fit Presbytero, publica Epiſcopo. ibid. Pœnitentes publici irregulares. p. 536. Pro delictis publicis nil valet pœnitentia ſecreta. p. 643.

Polonia. Convertitur. p. 441. Miſeco ſeu Miecislaus Dux, & Boleslaus Filius. ib. & ſeq. Archiepiſcopatus Gnesnenſis erigitur. p. 765.

Praga. Epiſcopatus. p. 453. Ditmarus Monachus Epiſcopus. p. 455. Ei ſuccedit S. Adalbertus. p. 565. Et huic Thietdagus. p. 767.

Presbyteri. Uxorem ducentes deponantur. p. 242.

Princeps. Nec pœnitentia publica, nec anathema ejus ſupremæ poteſtati nocent. p. 755.

Quedlinburgenſe Monaſterium. a S. Mathilde fundatum. p. 248. & 456.

S. *Ratbodus* Ultrajectenſis. p. 170.

Ratherius Leodienſis. p. 338. Auctor Grammaticæ, cujus titulus: Serva dorſum. p. 340. Tractatus contra Clericos ſuos. p. 527. Synodus ab ipſo celebrata. p. 533. Alia Scripta. p. 535. Obit. p. 539. Epiſtola de Evchariſtia. p. 541. & ſeqq.

Ratherius Veronenſis. p. 216.

Ratisbona. S. Wolfgangus. p. 522.

Ravenna. Petrus Epiſcopus in Concilio Romano. p. 415. Et Ravennatenſi. p. 448. Joannes Ottonem III. coronat. p. 567. Honeſtus ante Joannem. p. 572. Joanni ſuccedit Gerbertus Remenſis. p. 752.

Regino Scriptor. p. 3.

Regula

Regula Monachorum Recluſorum. p. 53. & ſeqq. Ex Regula S. Benedicti deſumpta. p. 56.
Reinbern Ruſſorum Apoſtolus. p. 621.
S. *Reliquiæ*. Non ſupra, ſed infra Altare deponendæ. p. 263. An expediat Virum Sanctum occidere ad acquirendas S. Reliquias. p. 578.
Remenſis Eccleſia. Heriveo ſuccedit Seulfus. p. 187. Et huic Hugo infans. p. 197. Hugoni ſufficitur Artaldus. p. 217. Pellitur. p. 255. Hugo iterum Epiſcopus. p. 258. Eo pulſo reſtituitur Artaldus. p. 304. Qui intereſt Concilio Ingelheimenſi. p. 308. Artaldo, rejecto Hugone, ſuccedit Udalricus. p. 407. Adalbero Epiſcopus Hugonem Capetum ungit. p. 626. Arnulphus. p. 627. Arnulpho ſufficitur Gerbertus. p. 668. Et huic iterum Arnulphus. p. 762.
Remigius Monachus & celebris Doctor. p. 209.
Robertus Dux Francorum. Rollonis Patrinus. p. 162. Occiditur. p. 188.
Robertus Hugonis Capeti Filius. Coronatur. p. 626. Ejus matrimonium cum Berta. p. 749. Excommunicatus. p. 756.
Rollo Dux Normannorum. p. 160. Baptizatur. p. 162. Robertus vocatur. ibid.
Roma. Quid ſit dici Romanum. p. 467. Donatio Conſtantini M. probari videtur. p. 468.

Roma-

Romanus Imp. Orientis. p. 179. Imaginem Edeſſenam afferri jubet. p. 282. Ejus exitus. p. 292.
Romanus Imp. Junior. p. 381. Obit. p. 422.
Romanus Papa. p. 77.
S. *Romualdus*. Ejus vita. p. 571. In Catalonia. p. 575. Apud Ottonem III. p. 740.
Rotomagus. Hugo libidinoſus Epiſcopus. p. 274.
S. *Rudeſindus*. p. 545.
Rugi in Pomerania. Convertuntur. p. 448. Olga Regina. ibid.
Ruſſia. Wolodomirus Princeps convertitur. p. 621. Status Eccleſiæ. p. 622.
Ryſpenſis Epiſcopatus in Jutia. p. 620.
Salisburgum. Theotmarus Epiſcopus. p. 93. Geroldus in Concilio Ingelheimenſi. p. 309. Lis cum Archiepiſcopo Laureacenſi. p. 329. Geroldus deponitur. p. 446. Succedit Fridericus. p. 447. Qui S. Wolfgangum ordinat. p. 526. Hartwicus S. Wolfgangum ſepelit. p. 693.
Salomon. An ſit ſalvatus. p. 596.
Salus æterna. Quot homines ſalventur. p. 595.
Salvus Abbas. Ejus Scripta. p. 350.
Sancti. Cur Templa non dedicentur Sanctis veteris Teſtamenti. p. 168. Quomodo in Sanctorum numerum relati. p. 196. Eorum & Reliquiarum cultus in Eccleſia Orientali. p. 367.

B. Se-

B. Segnorina. p. 548.
Seguinus Senonenſis. In Concilio Remenſi Præſes. p. 637.
Sergius III. Papa Joannis IX. Æmulus. Roma ejicitur. p. 78. Papa ordinatur. p. 122. Ejus turpis vita. p. 123. Obitus. p. 155.
Sicilia. In poteſtate Saracenorum. p. 398.
Silveſter II. Papa. p. 761.
Sleswicum. Popo Epiſcopus. p. 619.
Spiritus Sanctus. De ejus Proceſſione error in Oriente. p. 139. Nec genitus, nec non genitus. p. 719.
Staffelſeenſe Monaſterium. p. 348.
Stephanus Geiſæ Ducis Hungariæ Filius. Baptizatur. p. 706.
Stephanus Papa VI. Ejus epiſtola ad Fulconem Remenſem. p. 14. Obit. p. 17.
Stephanus Papa VII. p. 73. Concilium Romæ celebrat. p. 76. Formoſum Papam damnat. ibid. Et in Tiberim projici jubet. p. 77.
Stephanus Papa VIII. p. 203. Obit. pag. 214.
Stephanus Papa IX. p. 259. Obit. pag. 307.
S. Stephanus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Obit. p. 40.
Straquazius Monachus. p. 613.
Suecia. Hericus Rex, & ſimul in Dania. p. 619.

Themel

Themel Sacerdos. p. 296.
Theodora. Marozia & Theodora filiæ. p. 123.
Theodorus Papa. p. 78.
Trevirenſis Eccleſia. Ratbodus Archiepiſcopus in Concilio Moguntino. p. 4. In Triburienſi. p. 63. Rogerius in Erfordienſi. p. 219. Rogerio ſuccedit Robertus S. Mathildis Frater. p. 250. Qui Artaldum Remenſem introducit. p. 304. Henricus & Theodoricus Archiepiſcopi. p. 435. Ecbertus. p. 633. Liutolfus in Concilio Moſomenſi. p. 693.
Turcæ. Quidam convertuntur. p. 295.
Turketulus Abbas Crulandenſis. p. 321. Ejus obitus. p. 554. & ſeqq.
Tuſcia. Adalbertus Marchio. p. 78.
S. *Udalricus* Auguſtanus Epiſcopus. p. 221. Urbem defendit. p. 342, Ejus vitæ ratio. p. 344. & ſeqq. Dimittit regimen Eccleſiæ. p. 499. Ejusdem Monachatus. p. 500. Obitus. p. 500. Canonizatio. p. 674.
Venetiæ. Dux Candidianus interficitur. p. 574. Succedit Petrus Urſeolus. ibid.
Vercellenſis Eccleſia. Poteſtate publica donatur. p. 761.
Vigila Monachus Compilator Conciliorum. p. 351.
Unctio extrema. In ultimo morbo quotidie recepta. p. 16.
S. *Wenceslaus* Martyr. p. 253.
S. *Wiborada*. p. 190. & ſeqq.
Wicfridus Virdunenſis. Ad eum datus eſt Liber de Hungaris. p. 165.
Willegiſus Moguntinus. Ottonem III. Regem Germaniæ coronat. p. 567.
S. *Wolfgangus* Ratisbonenſis. p. 522. In Monaſterio Einſidlenſi Monachus. p. 524. Ejus vita & obitus. p. 689. & ſeqq.
Wolodomirus Princeps Ruſſiæ Chriſtianus. p. 621.
Zwentiboldus Rex Lotharingiæ. p. 65.

* * *

ERRA-

ERRATA.

Lib. LIV.

in Nota. pag. 32.	Sub. L. LIII. *Corrige.*	Sup. L. LIII.
Pag. 41.	Hæc Novellæ	Hæ novellæ.
48.	*in Not.* vindicari	vindicare.
52.	quidam piis	quibusdam piis.
60.	implicitatem	ſimplicitatem.
75.	ſtabicies	ſtabilies.
82.	ſed nec	ſe nec.
87.	§. XIX.	§. XXIX,
127.	dieendum	dicendum.
134.	quod	quam.
144.	quidem Comes	quidam Comes.
151.	aulæis & candelabris	aulæa & candelabra.
164.	caſtigare	caſtigari.
178.	æræ.	æra.

Lib. LV.

Pag. 205.	§. VI.	§. IV.
ibid.	ab omni	omni.
208.	noctum	noctu.
210.	Reguia	Regula.
212.	Præpoſitis præpoſitis	Præpoſitis.
267.	efrenem	effrenem.
269.	repusculo	crespuſculo.
283.	altera	altero.
285.	quam	quod.
293.	Polyectus	Polyeuctus.
323.	alios	alias.
325.	Batholomæo	Bartholomæo.
326.	ad Archiepiſcopo	ab Archiepiſcopo.
331.	diebant	dicebant.
335.	ex uno	ex una.
359.	longe	Longæ.
361.	præter quam	præterquam.
368.	pærcipue	præcipue.

ERRA-

ERRATA.

Lib. LV.

Pag. 370.	lacrymas	lacrymis.
ibid.	deſerere.	deſerere?
380.	Sectatoribus	ſectoribus.

Lib. LVI.

Pag. 404.	poſt, poſt	poſt.
412.	in quod	in quem.
421.	quoniam cum	quoniam eum.
429.	in loco	in locum.
430.	producuntur	producantur.
465.	Chriſtianiſſimis	Chriſtianiſſimi.
ibid.	anni anni,	anni.
475.	Damaſum	Damaſcum.
ibid.	Michalem	Michaelem.
479.	aureæ petræ	aurea petra.
493.	cum cum	cum.
494.	ſe ei	ſed ei.
540.	Iconia	Ironia.
542.	prius avam	priusquam.
ibid.	qutem	autem.

Lib. LVII.

Pag. 626.	Francs	Francis.
630.	proprium	propriam.
632.	Ottone II.	Ottone III.
633.	Norgero	Notgero.
643.	ſententia	ſententiam.
687.	efrenem	effrenem.
688.	percepiſſet	percepiſſet, quod.
723.	deſtricto	diſtricto.
741.	defunctum. Sed	defunctum, ſed
749.	Quod vero, usque ad finem, literis Curſivis.	
764.	pietatem	pietate.

H[illegible]
E[illegible]
ECCLESIASTIC
TOM · XII.

Th
5178

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN